CONCORDIA CHRONOLOGICA A PHILIPPO LABBEO BITURICO E...

Philippe Labbe

Digitized by Google

8
1 ME
6

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILIPPI LABBEI BITURICI

SOCIETATIS IESU

CHRONOLOGIÆ HISTORICÆ

De Conuentu Minimorum Rothomagensium ad Montes.

PARS SECUNDA.



PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LXX.

Digitized by Google

PHILIPPI LABBEI

BIBLIOTHECA

SOCIETATIS IESU

CHRONOLOGICA

HISTORICA

PARS SECUNDA.

PARISIIS,

E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LXX.

Digitized by Google

ÆRÆ
CHRISTIANÆ
PARS POSTERIOR,
SECVNDÆ AC TERTIÆ
DYNASTIÆ
REGVM CHRISTIANISSIMORVM
CAROLINORVM
ET CAPETINORVM
ANNALES ACCVRATISSIMOS COMPLEXA,
Cum Breui Hiſtoriæ aliorum Regnorum
EPITOME.

Digitized by Google

ÆRÆ

CHRISTIANÆ

PARS POSTERIOR,

SECVNDÆ AC TERTIÆ

DYNASTIÆ

REGVM CHRISTIANISSIMORVM

CAROLINORVM

ET CAPETINORVM

ANNALES ACCVRATISSIMOS COMPLEXA,

Cum Brevi Historia aliorum Regnorum

EPITOME.

Digitized by Google

FRANCORVM REGVM

ANNALES ACCVRATISSIMI.

SECVNDA DYNASTIA CAROLINORVM.

Ab anno DCCLII. *ad* DCCCCLXXXVII.

ANNO CHRISTI DCCLII. *Aulæ Regiæ Præfectus* PIPPINVS *exaucto-* Pippinus.
rato Childerico postremo primæ Dynastiæ Rege, Suessionibus à sancto Bonifacio Moguntiæ Archiepiscopo Kalendis Maij vngitur & coronatur Rex Franciæ consensu Episcoporum Procerumque omnium, & accedente Romani Pontificis auctoritate, translato à stirpe Merouea-darum ad Carlouingios, vt vocant, imperio Gallicano. Grifo Pipini frater, qui ad Vvaifarium in Vvasconiam ante aliquot annos confugerat, dum ad Haistulphum Langobardorum Regem in Italiam ad res nouas moliendas properaret, à Comitibus fratris sui in valle, quâ Maurienna Sabaudiæ vrbs sita est, super fluuium Arboris interfectus est. Fredegarius aut quis alius in calce Appendicis ad Gregorij Turonensis Historiam, quam Childebrandus Comes Pipini Regis auunculus scribendam curauit, quámque vir Illustris Nibelungus Comes eiusdem Childebrandi filius continuari iussit hoc initio: His transactis, hoc est factâ coronatione Pipini Regis, sequenti anno iterum Saxones, &c. Chronicon Cadomense, Fragmentum Argentinense paulò fusiùs, Varij Franciæ Annales, ac præsertim Fuldenses, in quibus hæc leges: Zacharias Papa

Digitized by Google

ex auctoritate sancti Petri Apostoli mandat populo Francorum, vt Pipinus, qui potestate Regiâ vtebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hyldricus Rex, qui vltimus Merouingorum Francis imperauit, depositus, & in monasterium missus est. Pipinus verò in ciuitate Suessionum à sancto Bonifacio Archiepiscopo in Regem vnctus, regni honore sublimatus est. *Idem eiusdem mensis die 5. Compendij signauit diploma donationis monasterio Epternacensi factæ non anno 3. sed 1. regni sui, & monente S. Bonifacio quibusdam Episcopatibus vel medietates vel tertias rerum reddidit, promittens postmodum omnia restituere.* Zacharias Papa moritur Idibus Martij: Succedit III. Kalendas Maias Stephanus dictus II. ad annos quinque dies viginti nouem, nam Stephanus ille, quem Baronius & quidam recentiores secundum vocant, omitti solet, quod tertia die suæ creationis Martij 30. decesserit morte repentinâ subductus è viuis. Eclipsis Lunæ memoratur die 31. mensis Iulij. *Idem annus nouum Biturigis dedit Præsulem Berlamum seu Bertellanum ordine XXXVIII. cui Chronologi nostri annos duodecim haud malè imputant, quamquam in hoc insigniter hallucinati sint hactenus, quòd hunc eiúsque successorem in sequentis proximè sæculi primordia distulerint; cùm certis documentis compertum sit, à Vvaifario ad Pipinum missum fuisse cum Comitibus legatum. Concilium Vermerense in Diœcesi Suessionensi celebratum hoc anno videtur præsente Rege, statutíque Canones 31. Extant quoque & alij Canones octo in quadam Synodo, quam nonnulli Metensem vocant, sub eodem Pippino conditi, & à Pithœo in fronte Capitularium Sirmondóque editi.*

Anno Christi DCCLIII. *Pipini 2. idem Rex auditâ morte fratris sui Griphonis exercitum duxit in Gothiam, Narbonámque ciuitatem, in quâ adhuc Saraceni latitabant, obsedit; relictáque custodia, quæ quotidianis irruptionibus inclusos affligeret, post aliquot tandem annos obtinuit. Salinoam quoque Dux Saracenorum, qui Barcinonam Gerundámque regebat, Pipini se cum omnibus, quæ habebat, dominationi subdidit. Inde contra Britones mouit Pipinus, Venedis castrum, id est, ni fallor, Veneticam vrbem, conquisiuit, totámque Britanniam subiugauit partibus Francorum. Ad eum ab hac expeditione reuertentem Stephanus Romæ Pontifex summus, quòd ab Aistulpho Langobardorum Duce opprimeretur, Româ mense Octobri Indictione 7. iam inchoata, vt ex Anastasio Bibliothecario discimus, digressus, in Franciam Ponticonem vsque venit, vt auxilium aduersus Ecclesiæ capitalissimos hostes*

impetraret, à quo honorificè susceptus est, eiusdémque iussu ad monasterium sancti Dionysij prope Lutetiam deductus, ibidem hyemauit. Anastasius Bibliothecarius in Vita dicti Pontificis fusissimè, Appendix ad Fredegarium iussu Nibelungi Comitis Childebrandi itidem Comitis filij adiecta, Fragmentum Argentinense, Annales Plebeij, Fuldenses, Metenses, Bertiniani, aliique vulgò scriptores, vt taceam de Sigeberto, Adone, Hermanno Contracto, Regione, &c. quorum aliqui huic potiùs quàm præcedenti anno illigant Pippini expeditionem alteram Saxonicam, in quâ firmitates eorum destruxit, & plurimos ex iis inito certamine superauit: Hildegarius tamen Colonienſis Archiepiscopus in castro, quod Viberg dicitur, occisus est, & Saxones sacramentis & obsidibus datis polliciti sunt licentiam sacerdotibus prædicandi nomen Domini, & singulis annis in censu equos trecentos. Pontifex verò seq. anno in Carisiaco palatio ad Saram fluuium sito, Brittaniaco monasterio diœcesis Nouiomensis responsa dedit, capitulis 19. distincta ad varia consulta, de quibus fuerat interrogatus, ac nominatim de Presbytero, qui cùm deesset aqua, periclitantem infantem vino baptizauerat, &c. Vide Sirmondum initio Tomi II. Concil. Galliæ. Idem Pontifex cùm in monasterio S. Dionysij ægrotaret, commisit vices suas Hildulfo Treuecensi, Bonifacio Moguntino, Fulcario Leodiensi, Hildegero Colonienſi Episcopis, vt de gestis miraculisque S. Suitberti apud Vverdam sepulti sedulò inquirerent, vt docet Ludgerus Monasterienſis Ep. in epistola ad Rixfridum Vltraiectinum Ep. Anastasius ille qui per annos ferè 24. scelestè præfuit throno CP. mortuus est corpore simul & animâ miserabili passione, quæ dicitur cordapsus, egesto per os stercore. Successit Constantinus ad annos 13. Vide Theophanem, Miscellam, *&c.* Alfonsus Catholicus Legionis Rex obiisse dicitur Æra 791. successore Froilâ, qui ex Mauris Galleciam recepit, & Ouetum condidit.

Anno Christi DCCLIV. *Pippini* 3. *Stephanus Papa in basilica sancti Dionysij diuinitus à morbo sanatus, postquam à Rege Pippino Ecclesiæ Romanæ defensionis firmitatem iteratò accepit, ipsum sacrâ vnctione ad regiæ dignitatis honorem consecrauit, & cum eo duos filios eius, Carolum & Carolomannum, sexto Kalendas Augusti, vel, vt contendit Baronius 28. Iulij die Dominico. Auctor Vitæ Ludouici Imperatoris id testatur factum in monasterio Ferrarienſi diœcesis Senonensis, alij verò scriptores vulgò inaugurationem illam Ecclesiæ sancti Dionysij adiudicant. Huius secundæ coronationis tempore obiisse dicitur Childericus ex Rege Sithiuensis Monachus factus in monasterio S. Au-*

domari diœceſis Taruanenſis. Eiuſdem verò infeliciſſimi principis filius Theodericus, ex aui nomine dictus, in Fontanellenſi S. Vvandregiſili cœnobio Clericus effectus anno ſeq. collocatus eſt, vt ex Chronico Fontanellenſi docuit Henſchenius. At Carolomannus, qui anno ſuperiore ad Pippinum fratrem iuſſu Abbatis ſui fuerat delegatus, vt in gratiam Aiſtulphi precibus Romani Pontificis obſiſteret, cùm re infectâ rediret, conatus eſt oſſa ſancti Benedicti è Floriacenſi monaſterio ſecum in Italiam ad ſuam Caſſinenſem Abbatiam reportare, ſed miraculis à Deo oſtenſis, & Francis obſiſtentibus ab incœpto prohibitus eſt. Annales Bertiniani, Eginardi, Metenſes, &c. Sigebertus in Chronico, Chronicon Moiſſiacenſe, Cadomenſe, ſimuléſque Scriptores, ſed præcipuè conſulendus Adreualdus Floriacenſis libro primo de Miraculis ſancti Benedicti capit. XV. & XVI. vbi & meminit Remigij Rhotomagenſis Archiepiſcopi Caroli & Carolomanni naturalis fratris: quem tamen anno duntaxat ſequenti ad ſedem Rhotomagenſem euectum fuiſſe docent Annales breues Tiliani apud Ducheſnium pag. 7. Tomi II. Eodem anno Epiſcopatus 36. ſanctus Bonifacius Moguntiacenſis Archiepiſcopus, & Germaniæ Apoſtolus, in Friſiæ Occidentalis villa Dotkumio, quæ ad Diœc. Leouvardienſem pertinet, verbum Dei prædicans, à paganis interfectus martyrio coronatus eſt cum Eobano, & aliquot monachis die Iunij quinto, & in Fuldenſi monaſterio, quod ipſe fundauerat, honorificè tumulatus eſt. Ita ſentiunt Annales Plebeij, Fuldenſes, Eginardi, Bertiniani, Metenſes, Sigebertus, Fragmentum Argentinenſe, &c. Baronius, Serarius, Bucherius, Miræus, Caluiſius, quorum ſententiam video priùs placuiſſe Auctori Chronici Hildensheimenſis, anno ſequenti ab Incarnatione Verbi 755. conſignant. Nazariani verò Annales mendosè omninò annum 753. præfigunt martyrio ſancti Bonifacij, poſt quem Moguntiæ ſedit Lullus eius diſcipulus, quem paullo ante mortem Pippino Regi per Fulradum Abbatem commendarat. In Tabulis S. Galli in Alemannia reperitur donatio data die Martis 8. Idus Auguſti anno tertio Pippini Regis. Conſtantinus Copronymus Imp. Orientis perditiſſimus, cum ſuo Pſeudopatriarcha, & 338. vt ferunt, Epiſcopis, Concilium iniquum aduerſus ſacras Imagines celebrauit à die 10. Februarij ad diem 8. Auguſti in palatio Hieriæ, nullo præſente ex Catholicis ſedibus Romana, Antiochena, Alexandrina & Hieroſolymitana. Plura repete ex Theophane, Anaſtaſio, Miſcellæ auctore, aliiſque Catholicis ſcriptoribus aduerſus impuros nebulones Illyricum, Goldaſtum, Cluuerium, Boxhornium, ſimiléſque Stercorarij illius Εἰκο-

νομάχου Principis fautores, eiúſque hæreſeos patronos eò impudentiores, quòd ipſius etiam Venerandæ Crucis Chriſti cultum omnem abiiciant, &c. Scribebat Iſidorus Pacenſis Ep. initio huius anni ærâ 792. Conſtantini non 10. ſed 13. Abdellæ 4. Iuſſif. 7. Arabum 136. Euſebiano ab ortu rerum 5954.

Anno Chriſti DCCLV. *anno regni* 4. *Pippini Regis auctoritate die* 11. *Iulij celebratum eſt Concilium in Verno palatio, ac ſtatuti Canones* 25. *Idem verò Princeps glorioſiſſimus Pippinus inuitante Papâ Italiam manu validâ ingreditur ſub Autumnum. Reſiſtentibus Langobardis & clauſtra tuentibus ad ipſas montium anguſtias, quas Cluſas vocant, acerrimè pugnatum eſt, cedentibúſque hoſtibus omnes copiæ Francorum viam quamuis difficilem non magno labore ſuperarunt. Aiſtulphus manum conſerere non auſus, Ticini obſeſſus eſt à Pippino, qui ante obſidionem non ſoluit, quàm pro reſtituendis, quæ Romanæ Eccleſiæ ablata fuerant, obſides XL. recepiſſet. His datis, promiſſiſque iureiurando firmatis, ipſe quidem in regnum regreſſus eſt, & Stephanum Papam cum Fulrado, & non minimâ Francorum manu, Romam remiſit. At Carolomannus Monachus frater Regis, qui cum Bertradâ Reginâ in Viennenſi ciuitate remanſerat, priuſquam Rex de Italiâ reuerteretur, febre correptus, diem obiit extremum* 17. *Auguſti. Cuius corpus ad Monaſterium ſancti Benedicti, in quo monachicum habitum ſuſceperat, relatum eſt. Annales Eginardi, Metenſes, Fuldenſes* (qui vitiosè defunctum Lugduni produnt) *Bertiniani, Anaſtaſius Bibliothecarius fusè, Adrevaldus Floriacenſis, Leo Hoſtienſis, Appendix ad Fredegarium iuſſu Nibelongi Comitis adtexta,* &c. *Idem Fulradus Abbas ſancti Dionyſij & Regij Sacelli Capellanus corpus ſancti Viti Româ Pariſios tranſtulit, vt docet Sigebertus in Chronico.* De morte Abubalæ Saracenorum Principis, qui & Muhammat dictus eſt, & de Habdalla fratre eius conſule Theophanem ac Miſcellam: neque enim vacat in iſtis Arabicis diutiùs immorari. Venetorum res turbatas hoc anno volunt in Theodoto Duce, eiúſque ſucceſſore, quibus erutos fuiſſe oculos aſſerunt.

Anno Chriſti DCCLVI. *Pippini Regis* 5. *Aiſtulphus Langobardorum Rex quamquam anno ſuperiore obſides dediſſet, & ad reddendum ea, quæ Romanæ Eccleſiæ abſtulerat, tam ſe, quàm Optimates ſuos iureiurando obſtrinxiſſet, nihil promiſſorum opere compleuit. Propter hoc Pippinus iterum cum exercitu, traiectis vi Alpium clauſtris, in Italiam intrauit, Aiſtulphum Ticini ſe includentem obſedit, & obſi-*

dione ad impletionem promissorum suorum compulit. Redditámque sibi Rauennam & Pentapolim, omnémque Exarchatum Romano Pontifici tradidit, atque iis peractis in Galliam reuersus est. Aistulphus verò quùm meditaretur, quomodo sua promissa non tam impleret, quàm dolosè ea, quæ impleta fuerant, commutaret, in venatione de equo suo, casu prolapsus est, atque ex hoc ægritudine contractâ intra paucos dies viuendi finem fecit. Alij fulmine ictum volunt. Cui Desiderius, qui Comes stabuli fuerat, consilio Pippini & Procerum eius, annitente plurimùm Stephano Pontifice, à Langobardis suffectus est ad annos 18. *Sunt tamen, qui & Aistulphi mortem, & Desiderij primordia, in sequentem annum differant. Appendix ad Fredegarium, Annales Eginardi, Bertiniani, Fuldenses, Metenses, Nazariani, Anastasius Bibliothecarius, Sigebertus, Hermannus, Leo Hostiensis,* &c. Miscella refert. I. Constantinum Syros & Armenos in Thraciam deduxisse, ex quibus Publicianorum seu Paulicianorum hæresis est dilatata. II. Viduatam peste vrbem CP. euocatis ex insulis & Hellade pluribus familiis frequentasse. III. Bulgaros vsque ad Longum-murum venisse, multóque excidio perpetrato illæsos fuisse reuersos.

Anno Christi DCCLVII. *Pippini* 6. *Constantinus Imperator Pippino Regi multa misit munera, inter quæ & organa, quæ ad eum in Compendio villâ commorantem peruenerunt, vbi tunc populi sui generalem conuentum habuit. Illuc & Tassilo Dux Baioariorum cum primoribus gentis suæ venit, & more Francico in manus Regis in vassaticum manibus suis semetipsum commendauit, fidelitatémque, tam ipso Regi Pippino, quàm filiis eius, Carolo & Carolomanno, iureiurando super corpus sancti Dionysij promisit. Sed non solùm ibi, verumetiam super corpus sancti Martini & S. Germani simili sacramento fidem se prædictis dominis suis diebus vitæ suæ seruaturum est pollicitus. Quidam censent hoc primùm anno auctore Pippino ob maius Francorum commodum Martis campum in Maij mensis campum fuisse commutatum. Appendix ad Fredegarium, Annales Eginardi, Metenses, Bertiniani,* &c. *Extat Tomo III. Rerum Alamannicarum charta donationis viuente S. Otmaro, cui subscripsit Arnulfus anno 6. Pippini Regis die Mercurij* 21. *Decembris. Concilium Compendiense celebratum in generali populi conuentu, & statuti canones* 18. *De priuilegiis concessis Fulrado Abbati diximus in nostro Chronico Technico.* Stephanus Papa moritur 26. Aprilis. Succedit Paulus I. die 28. vel vt alij, 25. Maij, ad annos 10. mensem vnum, diem vnum, reiecto Theophylacto quodam

quodam Archipresbytero. Extat eius epistola, quam ad Pippinum scripsit post electionem ad Pontificatum nondum peracta consecratione, séque spondet cum suis permansurum in ea fide, quam Stephanus pactus fuerat. In Palæstina & Syria terræ motus haud modicus factus est die 9. Martij, & in exilium eiectus est Theodorus Antiochenus Patriarcha.

Anno Christi DCCLVIII. *Regni 7. Pippinus Rex cum exercitu Saxoniam aggressus pulsis propugnatoribus per ipsum, quo patriam defendere conabantur, vallum intrauit: commissisque passim præliis, plurimam ex ipsis multitudinem cecidit, coëgítque, vt promitterent se omnem eius voluntatem facturos, & singulis annis honoris causâ ad generalem conuentum equos trecentos pro munere daturos. Annales Eginardi, Metenses, Bertiniani, Hermannus, &c. Sanctus Gengulphus claret in Burgundiá, qui etiam martyrij claruit gloriâ, inquit Sigebertus in Chronico sub huius anni periochâ. Idem quoque paullò ante meminit Chrodegandi Metensis Ep. Landradæ sororis Pippini Regis filij, qui Gorziense monasterium fundauit in sua diœcesi.* Habdallas Saracenorum Princeps Christianis tributorum rationem auget, cáque ex ipsis etiam Monachis, Inclusis, ac Cionitis exigit. Iudæis quoque Ecclesiarum χειμήλια vendidit.

Anno Christi DCCLIX. *Pippini 8. Natus est Regi filius, quem suo nomine Pippinum vocari voluit, seu, vt in quibusdam Annalibus legitur, Mutauit Rex Pippinus nomen suum in filium suum. Sed puer immaturâ morte præuentus tertio post natiuitatem suam anno decessit. Pippinus hoc anno legationem mittit ad Vvaifarium Aquitanorum principem, tum vt Ecclesiis bona rapta restitueret, eásque à tributis liberaret, tum vt Francos rebelles, qui ad eum confugerant, redderet, quæ omnia insuper habuit Vvaifarius: Appendix ad Fredegarij Chronicon, Annales Eginardi, Fuldenses, Sigebertus, &c. Franci Narbonam obsident ac dato sacramento Gothis, vt si ciuitatem traderent Pippino, permitterentur legem suam habere, Gothi Saracenos occiderunt, & ciuitatem Francis tradiderunt: Fragmentum Chronici apud Catellum p. 538. Commentariorum Landgothiæ, quod quidam putant desumptum ex Chronico monasterij Moissiacensis. Idem quoque habet Geruasius Tilleberiensis in Otiis Imperialibus. Quid si pericopen illam in annum 756. pro 759. reuoces? Paulus Papa scriptis ad Pippinum litteris de Desiderio Langobardorum Principe infideli conquestus est. Sanctus Othmarus qui Cellæ sancti Galli primus Abbas constitutus quadraginta annis præfuerat, consensu Sidonij Constantiensis Episcopi iniquè damnatus, in insulam*

Rheni relegatus, migrauit ad Dominum. Chronicon Hermanni, Fragmentum Agrippinense, Hepidannus, &c. Constantinus Imp. Slauinos penes Macedoniam positos captiuauit, & reliquos subiugauit, inquit ex Theophane Miscella, vbi etiam plura de Persis quibusdam Magicę superstitioni addictis. Subdit Christianos inuidiâ Arabum remotos fuisse à publicis Chartothesiis ad modicum tempus, sed paullò pòst restitutos, cùm ipsi scribere calculationes non possent: victus quoque Copronymi exercitus tum à Saracenis, tum à Bulgaribus.

Annus Christi DCCLX. *Pippini 9. Vvaifarius Dux Aquitaniæ, cùm res, quæ in suâ potestate erant, & ad Ecclesias sub manu Pippini Regis constitutas pertinebant, reddere noluisset, contumaciâ suâ ad suscipiendum contra se bellum Regem concitauit: qui celebrato in Iopilia villa haud procul Leodico Paschate, per Tricassinos in Aquitaniam properans, Ligerim transmisit ad Masuam vicum in pago Antisiodorensi, & per regionem Biturigum Aruerniam ingressus, maximam Aquitaniæ partem ferro & igni vastauit. Cúmque in loco, qui Thedoad vocatur, positis castris consedisset, Vvaifarius bello certare non ausus, missis ad Regem Legatis, Bertellanno seu Berlamo Bituricæ ciuitatis Episcopo, Vniberto seu Humberto Biturico Comite, & Blandeno Comite Aruernico, spondet se imperata facturum, Ecclesiis suâ iura redditurum, obsides qui impetrarentur daturum. Dedit etiam duos de primoribus gentis, Adalgarium & Itherium, quo facto, ita contra se commotum Regis animum mitigauit, vt statim bello desisteret. Appendix ad Fredegarium, Annales Eginardi, Metenses, Bertiniani*, &c. *Hermannus, Ado, & Sigebertus, sed is hîc, vt in aliis plerisque, aut anteuertit, aut nimiùm tardat.* Paulus Papa monasterium Romæ constituit in quo Monachi Græcè psallerent, teste Anastasio in eius vitâ. De Paschali solemnitate non ritè à quibusdam celebratâ, qui non 6. sed 13. Aprilis peregerunt, præter ea, quæ in Chronico Technico ex eodem Auctore diximus, consulenda quoque est Miscella: Anno 20. inquit, imperij Constantini factus est error Paschæ, & orthodoxi quidem in Oriente octauâ Idus Aprilis celebrauerunt, at verò erronei hæretici Idibus Aprilis. Eodem anno translatum esse dicitur caput S. Ioannis Baptistæ à monasterio Spelei in templum in Emesenium ciuitate constructum, apparuisse Cometam, Docetem dictum, & factam Solis Ecclipsim 15. Augusti feria 6. hora decima. Vide Theophanem, & ex eo cæteros.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCLXI. *Pippini* 10. *Vvaifarius Dux, quamquam obsides dedisset, sacramentáque iurasset, satiùs tamen ratus de illato sibi anno superiore bello vltionem exigere, exercitum suum, qui Augustodunensium possessiones popularetur, immisit in Franciam, suburbana Cabilloni concremauit, multísque ditatus spoliis ad propria reuersus est. Quod cùm Pippino Regi mense Maio generalem conuentum agenti in villa Duriâ in pago Ripuariensi fuisset nunciatum, coactis vndique auxiliis cum magno belli apparatu Aquitaniam ingressus, quædam oppida & castella manu cepit, in quibus præcipua fuere Burbona & Cantella in pago Biturico, Clarusmons & nonnulla alia Aruernorum castella, quæ se victori vltro dederunt. Blandinum perfidum Comitem captum custodia mancipat, cunctáque ad Lemouicam vsque, quæ extra munitiones erant, ferro & igni deuastat. In hac expeditione fuit cum Rege filius eius primogenitus Carolus, ad quem post eius obitum totius imperij summa peruenit. Appendix ad Fredegarium, Annales Eginardi, Metenses, Bertiniani, aliíque scriptores. Ex chartis S. Galli constat anno* 10. *Pippini* 3. *Maij fuisse Dominicum,* 11 *Maij diem Lunæ, &* 11. *Octobris Dominicum. De subscriptione epistolæ Pauli Papæ consule Chronicon Technicum.* Constantinus persequutor Andream monachum Calybitem impietatem eius arguentem apud Blachernas flagris in Hippodromio S. Mamæ occidit, iussítque in mare iactari: verùm sorores eius in emporio Leucadij sepelierunt. Vide Theophanem, Miscellam, Baronium, *&c.* Edelbaldus Nordhumbrorum Rex die 7. Augusti ingenti prælio vincit occidítque Etwinum Scotorum Regem, cùm regnasset annos 31. Dominicus Venetorum Dux effossis oculis expulsus est magistratu ob fastum & insolentiam, subrogato in eius locum Mauricio mitioris ingenij viro.

Anno Christi DCCLXII. *regni* 11. *Pippinus susceptο à se bello finem imponere cupiens iterum Aquitanicam prouinciam cum magnis Francorum copiis intrauit, Bitoricas venit, vt habet Appendix ad Fredeg. castra metatus est vndique, & omnia, quæ in gyro fuerunt, vastauit. Circumsepsit vrbem munitione fortissimam, ita vt nullus egredi ausus fuisset, aut ingredi potuisset. Cum machinis & omni genere armorum circumdedit eam vallo, multis vulneratis, plurimísque interfectis, fractísque muris cepit vrbem, & restituit eam ditioni suæ iure prælij. Et homines illos, quos Vvaifarius ad defendendum ipsam ciuitatem dimiserat, clementiâ suæ pietatis absoluit. Vmbertum Comitem, & reli-*

quos Vascones, quos ibidem inuenit, sacramentis datis secum adduxit, muros Bituricæ ciuitatis restaurari iussit, Comitésque suos ad custodiendam ciuitatem reliquit. Toarcium quoque validissimum castrum eodem anno Pippinus cepit, succenditque, tum in Franciam reuersus, cum multa præda spoliísque, hiemauit in villa Gentiliaco. Annales Eginardi, Plebeij, Metenses, Bertiniani, Nazariani, &c. Vetat Copronymus, ne quis Monachus fiat, & in Catholicos omni furore grassatur. Polonia post varios tumultus electo post crebras concertationes Primislao Principe, ad aliquot tempus conquieuisse perhibetur.

Anno Christi DCCLXIII. *regni sui* 12. *Conuentu seu placito generali Niuerni habito Rex Pippinus Aquitaniam repetit, & omnia, quæ extra munitiones erant, ferro & igne depopulatus vsque ad Cadurciam oppidum accessit. Inde cum exercitu in Franciam se recepturus per Lemouicensem vrbem regreditur. Plurimi quoque Vuaifarij Comites infœliciter variis in locis pugnant aduersus Francos, prope Narbonam, in Burgundiâ, atque haud procul Turonensi vrbe. Remistanus eiusdem Vuaifarij auunculus, seu potiùs patruus, dicitur enim paulo post Eudonis filius, dato sacramento Pippino se submisit, multisque ab eo donis ditatus est. De hac autem expeditione Tassilo Baioariæ Dux ægritudine per dolum simulatâ in patriam reuersus est, firmatóque ad defectionem animo ad Regis aspectum se vlteriùs venturum abiurauit. Appendix ad Fredegarium, Annales Eginardi, Metenses, Bertiniani,* &c. *Cancor Comes Rhenensis cum Vuillisuuindâ matre monasterium Laurissamense fundat in diœcesi Vuormatiensi, quod anno* 1246. *Præmonstratensibus datum. Chrodogangus seu Ruotgangus Episcopus Metensis Pippini Regis ex Landradâ sorore nepos corpora Sanctorum Martyrum Gorgonij Naboris & Nazarij Româ in Gallias transtulit, & Gorgonium quidem in Gorziâ, Naborem in Illiriaco, Nazarium autem in cœnobio Laurisham collocauit. Sigebertus in Chronico, vbi & anno sequenti è viuis abiisse perhibetur. In Fuldensibus tamen, aliísque Annalibus, Hermanno, & Chronico Laureshamensi, ea tantùm corpora venisse dicuntur in Galliam post biennium. Paulus autem Vuarnefridus hoc vnum dumtaxat affirmat, obiisse illum pridie Nonas Martias in diebus Pippini Regis, & requiescere in monasterio Gorziâ, quod ipse à fundamentis erexerat. Heddus siue Heddo Strateburgensis Episcopus die* 12. *Martij regnantis Pippini anno vndecimo nondum finito testamentum scripsit, quod leges apud Guillimannum. Ad hæc verò tempora reuocanda sunt ingentia illa miracula quæ aduersus prædones rerum*

Eccleſiaſticarum enarrantur copioſiùs in libello de miraculis S. Auſtregiſili Bituricenſis Archiepiſcopi, cuius Eccleſiam in ſuburbano Biturigæ caſtro regebat Abbas nomine Berthoradus. Copronymus die 16. Iunij egreſſus contra Zeletim ſeu Teletzem Bulgarorum Regem & in campo Anchiali caſtrametatus, eum vicit, fugauítque die 30. Iunij feria 5. primæ Indictionis, commiſſo prœlio ab horâ quinta ad veſpertinam. Plura de cæde Zeletis, de triumpho Conſtantini, de Turcarum è Caſpiis portis in Armeniam irruptione, de Coſmâ Ep. Epiphaniæ, quæ eſt ciuitas Apameæ Syriæ, ob defectionem ad Iconomachos ab Alexand. Ant. & Hier. Patriarchis ipſo Pentecoſtes die poſt lectionem Euangelij excommunicato, de gelu à Kal. Octobris inchoato, aliíſque, dabunt Theophanes, Miſcella, *&c.*

Anno Chriſti DCCLXIV. *regni* 13. *Pippinus caſtrum, cui nomen eſt Argentomus in pago Biturico, à fundamentis miro opere in priſtinum ſtatum reſtituit, & Remiſtano cum medietate pagi Bituricivſque ad Carum amnem ad Vvaifario reſiſtendum conceſſit. Vvaifarius verò quùm cerneret Clarimontis caſtrum à Pippino ſuccenſum, & Bituricam caput Aquitaniæ munitiſſimam vrbem machinis captam, ipſe Pictauenſis, Lemouicenſis, Santonenſis, Petracoricenſis, & Equoliſmenſis, reliquarúmque vrbium & caſtellorum muros diruit, quos reparari iuſſit Pippinus, hominibus ſuis ad eas ciuitates cuſtodiendas miſſis. Appendix ad Fredegarij Chronicon quæ omnium optimè Aquitanicas expeditiones digeſſit. De conuentu ſeu Placito Vvormatienſi, in quo cauſa inter Taſſilonem & Vvaifarium diligenter pertractata dicitur, & dati à patre Comitatus filiis ſuis Carolo & Carolomanno, conſule Reginonem, Annales Fuldenſes, & Chronicon Tilianum. Notant quoque Annales Eginardi, Continuator Aimoini, aliíque Solis Eclipſim factam fuiſſe pridie Nonarum Iunij horâ ſexta. Fuldenſes verò, aliíque Annales pag. 8. Tomi II. Coll. Quercetanæ hyemem frigore ſæuam & præter ſolitum prolixam à die XIX. Kal. Ianuarij vſque XVII. (alias VII. tantùm) Kalendas Apriles. Diſces ſimiliter ex paginâ 381. Tomi III. eiuſdem Collectionis eodem anno factam eſſe ſancti Auſtremonij tranſlationem ex Voluicenſi Eccleſiâ in cœnobium Mauziacenſe præſente ipſo Rege Pippino, quod quàm bellè conueniat cum Annalibus viderint, quorum intereſt. Sunt enim qui ad Pippinum Ludouici Pij filium iſta referant. Berlamo in Patriarchali Biturigum ſede ſubrogatus eſt Ermenarius ſiue Herminardus ad annos ſeptem, quos noſtri vulgò Chronologi ab anno 820. ad 827. inſigni allucinatione protrahunt.* Februario menſe

secundæ huius Indictionis gelu in diuersas montium instar concisiones dissectum fuisse tradit Theophanes oculatus testis, ab iisque euersam partem aliquam murorum C P. mense Martio traiectiones stellarum addit, tantámque siccitatem, vt ipsi etiam fontes excrescerent. Adhæc Constantinum de restituendo Nestorianismo cogitasse, Turcos iterum ad Caspias portas & Iberiam cum Arabibus magna vtrimque strage conflixisse, & alia quæ pluribus in eius Chronico, vel apud Miscellam exponuntur.

Anno Christi DCCLXV. *regni* 14. *Pippinus Niuerni placitum suum Campo Madio habuit, tum transacto Ligere villas publicas, quæ in Aquitania Vvaifarij erant, igne cremari præcepit, Hisandonem vsque venit, Vvaifarium cum multis Vvasconibus trans-Garumnanis occurrentem profligauit, occiso inter cæteros Blandino Aruernorum Comite transfugâ. Inde cum magno triumpho Ligere ad Denegontium superato, per pagum Augustudinensem ad propriam ædem reuersus oblatas à Vvaifario pacis conditiones admittere detrectauit. Appendix ad Fredegarium, namque hoc loco haud satis sinceri videntur Annales Eginardi, Plebeij, Bertiniani, aliique, qui hoc & præcedenti anno domi se continuisse Pippinum, dilatá in futurum expeditione testantur: Metenses verò hoc anno referunt Mancionem, Hilpingum & Amanucum Vvaifarij Comites diuersis in locis à Pippini fidelibus cæsos, & Remistanum in Pippini partes relicto nepote concessisse, quæ nos ex Appendice ad Fredegarium iam præmisimus.* Constantinus infida pace cum Pagano Bulgariæ domino facta, clam mittens in Bulgariam, cepit Scuerum principem Sclauinum, qui in Thrace multa fecerat mala, & Christinum adductis Medicis viuum incidit à thorace pube tenus, ad hominis cognoscendam positionem atque structuram. Idem ab expeditione re infecta reuersus die 12. Kal. Decembris Indictionis quartæ Stephanum Monachum inclusum apud S. Auxentium in monte Amasti occidi iussit, cum multis militibus ac principibus, qui sacras adorabant imagines, & generale insuper ab omnibus subditis iusiurandum exegit aduersus cultum imaginum atque Sanctorum. Hæc Theophanes, Miscella, Cedrenus, alij. Apud Scotos Eugenio propter insolentiam tyrannicósque mores interempto successisse dicitur Fergusius III. Æthni Regis filius.

Anno Christi DCCLXVI. *regni* 15. *Pippinus Aurelianis pla-*

citum tenens Campo Madio, multísque pro more muneribus à Francis & Proceribus ſuis ditatus, Ligere tranſacto, Aquitaniam deuaſtat Aginnum vſque, Petrocoricum, & Equoliſmam, multos Vaſcones vltrò accedentes in deditionem recipit. Appendix ad Fredegarium, cui potius ſubſcribo, quàm Annalibus Bertinianis, Metenſibus, alíſque, qui hoc dumtaxat anno reædificatum Argantomenſe caſtrum, & in Biturica ciuitate collocatam Francorum Scaram commemorant: Regino teſtatur Regem Paſcha in Nouo caſtello ſeu Aquiſgrani celebraſſe. Conſtantinus die 21. Ianuarij 4. Indictionis mouit contra Bulgaros, eiúſque claſſis quam ad 2600. naues excreuiſſe ferunt flante Aquilone contrita eſt, pluribus necatis. Idem die 17. Auguſti publicè dehoneſtauit habitum Monachorum, præcipiens, inquit Auctor Miſcellæ, vnumquemque Monachum manu tenere mulierem, & taliter tranſire per Hippodromum. In Ludis Circenſibus die 25. Auguſti Conſtantinus Patricius, & alij Proceres occiſi, die 30. Auguſti Conſtantinus Patriarcha CP. in carcerem detruſus, eíque ſuffectus die 16. Nouembris Nicetas Eunuchus è Sclauis oriundus ad annos 14. Valentiniani aquæductus ob penuriam aquæ in ciſternis & fontibus inſtauratus, & Prætores per Prouincias perditiſſimi dimiſſi. Aurelius in Hiſpania regnare cœpit æra vt volunt 804. Froïlâ fratre coniuratione ſuorum interempto.

Anno Chriſti DCCLXVII. *regni 16. Orta quæſtione de ſancta Trinitate & de Sanctorum Imaginibus inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam, id eſt Romanos & Græcos, Rex Pippinus conuentu in Gentiliaco villâ, vbi Paſcha peregit, congregato, Synodum de ipsâ quæſtione habuit, tum de bello Aquitanico ſollicitus commoto omni exercitu Antiſiodorum venit, ad caſtrum quod vocatur Gordinis (infra Sanceram ad S. Satyri Abbatiam in Biturigibus) cum Bertradane Regina Ligerim tranſmittit, Bituricas ingreditur, ſibique palatium ædificari iubet, cúmque ad perſequendum Vaifarium perrexiſſet, neque fugientem aſſequi poſſet, imminente hyeme Bituricas, vbi Reginam dimiſerat, reuerſus eſt, ibidémque per hyemem totam cum vxore in palatio reſedit, miſſo ad hyemandum in Burgundiam exercitu. Hæc ex Appendice ad Fredegarij Chronicon iuſſu Nibelungi Comitis conſcripta, & breuibus Annalibus. Namqui dicuntur Eginardi, Metenſes, alíque referunt Pippinum per Narbonam iter egiſſe, Toloſam aggreſſum cepiſſe, Albienſem & Gaualdenſem pagos in deditionem accepiſſe, Viennæ ad Rhodanum feſti Paſchalis ſacra peregiſſe, tum Bituricam veniſſe, luſtratíſque Aqui-*

taniæ regionibus Bituricam reuersum exercitum in hyberna dimisisse, quæ in plerisque mihi videntur ἀούσκλωστα. De Concilio præter Annales videndi quoque Ado, Regino, Sigebertus, Hermannus & Sirmondus pag. 60. Tomi II. Conciliorum Galliæ. Paulus Papa moritur die 28. Iunij vel potiùs 29. cuius rei nuncius ad Regem peruenit quùm Biturigibus hyemaret: Inuasit Romanam sedem quidam Constantinus Totonis Nepesini Ducis frater, ideóque sedes vacauit annum vnum, mensémque vnum, cum diebus octo. Tandem enim exturbato perfido Constantino Stephanus Papa dictus III. recentiores quidam IV. vocant, legitimè anno sequenti creatus est Nonis Augusti, sedítque annos tres, menses quinque & dies 27. Præter Anastasium luculenti sunt testes, quotquot fere extant scriptores Gallici illorum temporum. De Constantini Patriarchæ CP. ignominiosissima morte Octobri mense, inchoacta iam Indictione 6. aliisque Copronymi sceleribus infandis, & in Monachos, eorúmque cœnobia contumeliis, de abrasis à Niceta falsi nominis Patr. iconibus ex musiuo factis, ac similibus consule Theophanem, Misc. Ced. alios. S. Stephanus Auxentianus siue Iunior dictus die 28. Nouembris Copronymi Imperatoris iussu interfectus est, vt pluribus narrant eius Acta. Consule Baronium in Annalibus Ecclesiasticis.

Anno Christi DCCLXVIII. *regni postremo Pippinus Natalis Dominici & Epiphaniorum festis apud Bituricam ciuitatem celebratis, mediante Februario maturiùs solito Comites cum copiis in Burgundiâ hiemantibus euocat, vt Remistanum, qui fractâ fide ad Vaifarium se contulerat, & Biturigum Lemouicúmque fines infestos habebat, insequantur. Captum Rex Vniberto & Ghiselario Comitibus Biturice ciuitatis tradit patibulo suspendendum. Ipse Pippinus ad Garomnam vsque properat frustra latitantem in siluis Vaifarium insecutus, ad Sellum castrum, quo Bertrada Aurelianis paulo ante nauali euectione concesserat, se recepit, ibíque Pascha celebrauit, & Saracenis, qui ad ipsum ab eorum Rege missi fuerant, munera dedit, & Massiliam vsque cum multo honore reduci præcepit. Paulò pòst cùm diuisi in quatuor turmas seu scaras Pippini milites Vaifarium perquirerent, ipse à suis IV. Nonas Iunij (ita breue Chronicon Bedæ additum pagina 128. Tomi III. Collectionis Quercetanæ) in territorio Petracorico interficitur, tandémque omnis Aquitania Pippino se dedit, qui Santonas reuersus, dum pro salute patriæ & vtilitate Francorum causas tractaret, à febre*

vexatus decubuit, & per Pictauum Turonos venit ad monasterium beati Martini: Turonis deinde cum Bertradâ duobúsque filiis Parisios vsque ad monasterium sancti Dionysij se deferri iussit, vocatísque Proceribus, de eorum consilio regnum Francorum, quod ipse tenuerat, æquali sorte inter filios, dum adhuc ipse viueret, diuisit, Carolo seniori Austrasiorum regnum, Carolomanno iuniori Burgundiam, Prouinciam, Gothiam & Alamaniam attribuit, Aquitaniâ, quam acquisierat, duas in partes diuisâ. His peractis morbo aquæ intercutis extremum diem obiit VIII. Kalendas Octobris, ætatis anno 54. cùm annos 25. regnasset (à morte Patris scilicet, nam ab inauguratione per sanctum Bonifacium facta fluxerunt tantum 16. anni cum mensibus 4. & diebus 24.) & à filiis in eodem sancti Dionysij monasterio, vt ipse voluit, cum magno honore sepultus est. Hæc quibusdam insertis detractisque ex Appendice ad Fredegarium, cuius postrema verba non pigebit adtexere. Prædicti Reges Carolus & Carolomannus vnusquisque cum Leudibus suis ad propriam sedem regni eorum venientes instituto placito, initóque consilio cum Proceribus eorum mense Septembri die dominico XIV. Kalendas Octobris (alij haud dubiè veriùs VII. Idus Octobris, id est nonum eiusdem mensis, vtpote post obitum Pippini XV. præfigunt) Carolus ad Nouiomensem vrbem & Carolomannus ad Sueßionis ciuitatem pariter vno die à Proceribus eorum & consecratione Sacerdotum sublimati sunt in Regno. Videndi præterea Annales breues, Plebeij, Bertiniani, Metenses, Fuldenses, Eginardus in Vita Caroli & in Annalibus, Regino, Hermannus, Ado, & Sigebertus in Chronicis, Epistola Hincmari ad Ludouicum Balbum capite 2. Chronicon Hildesheimense, Cadomense, Bezuense, & alia, Carolus annum 22. Carolomannus 18. tum agebant ex Chronico Tiliano. Eiectis Constantino & Philippo Romanæ sedis inuasoribus electum fuisse Stephanum III. Papam die 5. Augusti iam superiori anno monuimus. Plura curiosis suggeret Anastasius, & ex eo, aliísque veterum scriptorum monumentis Baronius, Soluatius Eugenij VIII. filius regnare incipit apud Scotos ad annos 6. occiso ab vxore Fergusio III. quæ postea culpam confessa sibi ipsi violentas intulit manus.

Anno Christi DCCLXIX. *Caroli & Carolomanni primo (seu secundo ab Octobri mense dumtaxat inchoando) Hunaldus post mortem Vvaifarij filij ex Monasterij claustris egressus Regnum Aquitanicum denuò affectans, Prouincialium animos ad noua molienda concitat: Carolus peracto Rotomagi Paschate, víxque impetrato cum fratre*

Carolomanno colloquio in loco, qui Duasdiues seu Ad-duos-cliuos vocatur, frustratúsque promisso ab eodem auxilio, Egolesinam venit, indéque contractis vndique copiis inimicum latebras quærentem insequitur, Fronciacum castrum super Dordoniam seu Duranium ædificat, cúmque à Lupo Vvasconum Duce, cuius fidei se Hunaldus commiserat, perfugam cum vxore recepisset, Aquitanico bello finem imponit. Hunaldus verò paulò pòst à Langobardis, ad quos è Caroli regno confugerat, lapidibus obrutus est. Vita Caroli per Eginardum scripta, eiusdémque Annales cum Plebeiis, Metensibus, Bertinianis, Fuldensibus, aliisque, Passio sanctorum Bertharij & Athaleni, & Anastasius Bibliothecarius in Vita Stephani Papæ pagina 208. Tomi II. Coll. Duchesnianæ, necnon Sigebertus in Chronico post biennium. Vvilicarius Senonensis, Lullus Moguntinus, Gauienus Turonensis, Addo Lugdunensis, Herminardus Bituricensis, Daniel Narbonensis, Tilpinus Remensis, Herulfus Lingonensis, aliique Galliarum Episcopi à Regibus Christianissimis Romam missi rogatu Stephani Papæ, in Concilio Lateranensi cum Episcopis Italiæ mense Aprili Indictione VII. Constantini Pseudo-Papæ acta resciderunt, sacrarúmque Imaginum venerationem ex antiquo Ecclesiæ vsu stabilierunt. Tomo II. Conciliorum Galliæ pag. 65. Constantinus Imp. Kalendis Aprilis sabbato Eudociam tertiam suam coniugem in Tribunali XIX. Accubitorum coronari iussit, & postridie ipso Paschatis die filios ex eâ susceptos Christophorum & Nicephorum Cæsares appellauit: Nicetam quoque Nobilissimum creauit. Eodem anno Indictione 8. Kalendis Nouembris Irene Bulgarorum Regis filia Græcis moribus imbuta ab Athenis veniens, ingressa est CP. & tertia die Leoni desponsa à Patriarchâ in Ecclesiâ Phari coronata est in Triclinio Augusta Imperatrix die 17. Decembris, vt docent Theophanes, Miscella, Nicephorus, *&c.*

Anno Christi DCCLXX. *fratrum Regum* 2. *Carolus Rex celebrato Paschate in Leodio vico publico habuit populi sui generalem conuentum Vvormatiæ, in quo à populo Clericisque impetratum fuisse dicitur, ne liceret Clericis in bellum exire. Bertrada vero mater Regum cum Carolomanno minore filio apud Saluiam (aliàs Salonam) locuta pacis causâ, per Baioariam in Italiam proficiscitur, peractóque, propter quod illò profecta erat, negotio, adoratis etiam Romæ sanctorum Apostolorum liminibus ad filios in Galliam reuertitur. Annales Eginharti, Metenses, Bertiniani, aliique. Causam profectionis designant Fuldenses,*

Nazariani, ac Tiliani Annales his verbis: Domna Berta fuit in Italiâ propter filiam Desiderij Regis Langobardorum, quam & adduxit in Franciam, & filio suo Carolo sociauit, dissuadente nequicquam talem coniunctionem Stephano Romano Pontifice: quam in rem legenda Epistola 45. Codicis Carolini editionis Gretserianæ, & Caroli vita auctore Eginarto. Hermannus quoque: Carolus filiam Desiderij Regis Longobardorum adducente Bertha matre suâ vxorem duxit, sed statim eam repudiauit. Nec omittendus Monachus Sangallensis lib. 2. quâ non post multum temporis, quia esset clinica & ad propagandam prolem inhabilis, iudicio sanctissimorum Sacerdotum relicta velut mortua, &c. Eodem pariter anno natus dicitur Pippinus Carolomanni & Gerbergæ filius in Annalibus ab an. 768. ad 814. Constantinus Copronymus monachos monachásque in themate Thracesiorum commorantes alba veste iussit indui, & nuptias celebrare: renuentes luminibus orbatos in Cyprum exilio damnauit. Vide Theoph. Misc. &c.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCLXXI. *fratrum Regum 3. celebrata apud Heristallium ad Mosam haud procul Leodico Paschali solemnitate, & peracto secundùm morem generali Conuentu super fluuium Scaldam in villa Valentiana Carolus Rex ad hiemandum profectus accipit Carolomannum fratrem Pridie Nonas Decembres in villa Salmontiaco decessisse, sepultúmque iuxta vrbem Remorum in basilica beati Remigij confessoris. Quo audito venit ad Carbonnacum villam, multósque Comites & Primates fratris sui ad se venientes suscipit, à quibus denuò vnctus in Regem, obtinuit feliciter Monarchiam regni Francorum. Girberga verò vxor Carlomanni cum duobus paruulis filiis, pauciſque Principibus in Italiam ad Desiderium Regem Langobardorum ob repudiatam à Carolo filiam abalienatum peruenit. Annales Eginarthi, Bertiniani, Plebeij, Metenses, aliique scriptores, vt Regino, Ado, Sigebertus, Hermannus, Hincmarus in Epistola ad Ludouicum Balbum, Catulphus in Epistola ad Carolum, quæ ex Schedis Pithœanis citatur à Sirmondo in Notis ad Tomum II. Concil. Galliæ, extátque integra pag. 666. Tomi II. Collectaneorum Quercetani. Ab hoc verò anno auspicantur Annales Metrici, qui editi sunt pag. 136. eiusdem Tomi à Saxone quodam Poetâ sub Arnulpho Imperatore circa annum Christi nongentesimum conscripti:*

Saluator mundi, postquam de Virgine nasci
Dignatus, nostri se corporis induit artus,

Rheni relegatus, migrauit ad Dominum. Chronicon Hermanni, Fragmentum Agrippinense, Hepidannus, &c. Constantinus Imp. Slauinos penes Macedoniam positos captiuauit, & reliquos subiugauit, inquit ex Theophane Miscella, vbi etiam plura de Persis quibusdam Magicę superstitioni addictis. Subdit Christianos inuidiâ Arabum remotos fuisse à publicis Chartothesiis ad modicum tempus, sed paullò pòst restitutos, cùm ipsi scribere calculationes non possent: victus quoque Copronymi exercitus tum à Saracenis, tum à Bulgaribus.

Annus Christi DCCLX. *Pippini 9. Vvaifarius Dux Aquitaniæ, cùm res, quæ in suâ potestate erant, & ad Ecclesias sub manu Pippini Regis constitutas pertinebant, reddere noluisset, contumaciâ suâ ad suscipiendum contra se bellum Regem concitauit: qui celebrato in Iopilia villa haud procul Leodico Paschate, per Tricassinos in Aquitaniam properans, Ligerim transmisit ad Masuam vicum in pago Antisiodorensi, & per regionem Biturigum Aruerniam ingressus, maximam Aquitaniæ partem ferro & igni vastauit. Cúmque in loco, qui Thedoad vocatur, positis castris consedisset, Vvaifarius bello certare non ausus, missis ad Regem Legatis, Bertellanno seu Berlamo Biturice ciuitatis Episcopo, Vniberto seu Humberto Biturico Comite, & Blandeno Comite Aruernico, spondet se imperata facturum, Ecclesiis sua iura redditurum, obsides qui impetrarentur daturum. Dedit etiam duos de primoribus gentis, Adalgarium & Itherium, quo facto, ita contra se commotum Regis animum mitigauit, vt statim bello desisteret. Appendix ad Fredegarium, Annales Eginardi, Metenses, Bertiniani*, &c. *Hermannus, Ado, & Sigebertus, sed is hîc, vt in aliis plerisque, aut anteuertit, aut nimiùm tardat.* Paulus Papa monasterium Romæ constituit in quo Monachi Græcè psallerent, teste Anastasio in eius vitâ. De Paschali solemnitate non ritè à quibusdam celebratâ, qui non 6. sed 13. Aprilis peregerunt, præter ea, quæ in Chronico Technico ex eodem Auctore diximus, consulenda quoque est Miscella: Anno 20. inquit, imperij Constantini factus est error Paschæ, & orthodoxi quidem in Oriente octauâ Idus Aprilis celebrauerunt, at verò erronei hæretici Idibus Aprilis. Eodem anno translatum esse dicitur caput S. Ioannis Baptistæ à monasterio Spelei in templum in Emesensium ciuitate constructum, apparuisse Cometam, Docetem dictum, & factam Solis Ecclipsim 15. Augusti feria 6. hora decima. Vide Theophanem, & ex eo cæteros.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCLXI. *Pippini* 10. *Vvaifarius Dux, quamquam obsides dedisset, sacramentáque iurasset, satiùs tamen ratus de illato sibi anno superiore bello vltionem exigere, exercitum suum, qui Augustodunensium possessiones popularetur, immisit in Franciam, suburbana Cabilloni concremauit, multísque ditatus spoliis ad propria reuersus est. Quod cùm Pippino Regi mense Maio generalem conuentum agenti in villa Duriâ in pago Ripuariensi fuisset nunciatum, coactis vndique auxiliis cum magno belli apparatu Aquitaniam ingressus, quædam oppida & castella manu cepit, in quibus præcipua fuere Burbona & Cantella in pago Biturico, Clarusmons & nonnulla alia Aruernorum castella, quæ se victori vltro dederunt. Blandinum perfidum Comitem captum custodia mancipat, cunctáque ad Lemouicam vsque, quæ extra munitiones erant, ferro & igni deuastat. In hac expeditione fuit cum Rege filius eius primogenitus Carolus, ad quem post eius obitum totius imperij summa peruenit. Appendix ad Fredegarium, Annales Eginardi, Metenses, Bertiniani, aliique scriptores. Ex chartis S. Galli constat anno* 10. *Pippini* 3. *Maij fuisse Dominicum,* 11 *Maij diem Lunæ, &* 11. *Octobris Dominicum. De subscriptione epistolæ Pauli Papæ consule Chronicon Technicum.* Constantinus persequutor Andream monachum Calybitem impietatem eius arguentem apud Blachernas flagris in Hippodromio S. Mamæ occidit, iussítque in mare iactari: verùm sorores eius in emporio Leucadij sepelierunt. Vide Theophanem, Miscellam, Baronium, *&c.* Edelbaldus Nordhumbrorum Rex die 7. Augusti ingenti prælio vincit occidítque Etwinum Scotorum Regem, cùm regnasset annos 31. Dominicus Venetorum Dux effossis oculis expulsus est magistratu ob fastum & insolentiam, subrogato in eius locum Mauricio mitioris ingenij viro.

Anno Christi DCCLXII. *regni* 11. *Pippinus suscepto à se bello finem imponere cupiens iterum Aquitanicam prouinciam cum magnis Francorum copiis intrauit, Bitoricas venit, vt habet Appendix ad Fredeg. castra metatus est vndique, & omnia, quæ in gyro fuerunt, vastauit. Circumsepsit vrbem munitione fortissimam, ita vt nullus egredi ausus fuisset, aut ingredi potuisset. Cum machinis & omni genere armorum circumdedit eam vallo, multis vulneratis, plurimísque interfectis, fractísque muris cepit vrbem, & restituit eam ditioni suæ iure prælij. Et homines illos, quos Vvaifarius ad defendendum ipsam ciuitatem dimiserat, clementiâ suæ pietatis absoluit. Vmbertum Comitem, & reli-*

quos Vascones, quos ibidem inuenit, sacramentis datis secum adduxit, muros Biturice ciuitatis restaurari iussit, Comitésque suos ad custodiendam ciuitatem reliquit. Toarcium quoque validissimum castrum eodem anno Pippinus cepit, succenditque, tum in Franciam reuersus, cum multa præda spoliisque, hiemauit in villa Gentiliaco. Annales Eginardi, Plebeij, Metenses, Bertiniani, Nazariani, &c. Vetat Copronymus, ne quis Monachus fiat, & in Catholicos omni furore grassatur. Polonia post varios tumultus electo post crebras concertationes Primislao Principe, ad aliquot tempus conquieuisse perhibetur.

Anno Christi DCCLXIII. *regni sui* 12. *Conuentu seu placito generali Niuerni habito Rex Pippinus Aquitaniam repetit, & omnia, quæ extra munitiones erant, ferro & igne depopulatus vsque ad Cadurciam oppidum accessit. Inde cum exercitu in Franciam se recepturus per Lemouicensem vrbem regreditur. Plurimi quoque Vuaifarij Comites infœliciter variis in locis pugnant aduersus Francos, prope Narbonam, in Burgundiâ, atque haud procul Turonensi vrbe. Remistanus eiusdem Vuaifarij auunculus, seu potiùs patruus, dicitur enim paulo pòst Eudonis filius, dato sacramento Pippino se submisit, multisque ab eo donis ditatus est. De hac autem expeditione Tassilo Baioariæ Dux ægritudine per dolum simulatâ in patriam reuersus est, firmatóque ad defectionem animo ad Regis aspectum se vlteriùs venturum abiurauit. Appendix ad Fredegarium, Annales Eginardi, Metenses, Bertiniani,* &c. *Cancor Comes Rhenensis cum Vuilisuuindâ matre monasterium Lauriſſamense fundat in diœcesi Vuormatiensi, quod anno* 1246. *Præmonstratensibus datum. Chrodogangus seu Ruotgangus Episcopus Metensis Pippini Regis ex Landradâ sorore nepos corpora Sanctorum Martyrum Gorgonij Naboris & Nazarij Româ in Gallias transtulit, & Gorgonium quidem in Gorziâ, Naborem in Illiriaco, Nazarium autem in cœnobio Laurisham collocauit. Sigebertus in Chronico, vbi & anno sequenti è viuis abiisse perhibetur. In Fuldensibus tamen, aliisque Annalibus, Hermanno, & Chronico Laureshamensi, ea tantùm corpora veniſſe dicuntur in Galliam post biennium. Paulus autem Vuarnefridus hoc vnum dumtaxat affirmat, obiisse illum pridie Nonas Martias in diebus Pippini Regis, & requiescere in monasterio Gorziâ, quod ipse à fundamentis erexerat. Heddus siue Heddo Strateburgensis Episcopus die* 12. *Martij regnantis Pippini anno vndecimo nondum finito testamentum scripsit, quod leges apud Guillimannum. Ad hæc verò tempora reuocanda sunt ingentia illa miracula quæ aduersus prædones rerum*

Eccleſiaſticarum enarrantur copioſiùs in libello de miraculis S. Auſtregiſili Bituricenſis Archiepiſcopi, cuius Eccleſiam in ſuburbano Biturigæ caſtro regebat Abbas nomine Berthoradus. Copronymus die 16. Iunij egreſſus contra Zeletim ſeu Teletzem Bulgarorum Regem & in campo Anchiali caſtrametatus, eum vicit, fugauítque die 30. Iunij feria 5. primæ Indictionis, commiſſo prœlio ab horâ quinta ad veſpertinam. Plura de cæde Zeletis, de triumpho Conſtantini, de Turcarum è Caſpiis portis in Armeniam irruptione, de Coſmâ Ep. Epiphaniæ, quæ eſt ciuitas Apameæ Syriæ, ob defectionem ad Iconomachos ab Alexand. Ant. & Hier. Patriarchis ipſo Pentecoſtes die poſt lectionem Euangelij excommunicato, de gelu à Kal. Octobris inchoato, aliíſque, dabunt Theophanes, Miſcella, *&c.*

Anno Chriſti DCCLXIV. *regni* 13. *Pippinus caſtrum, cui nomen eſt Argentomus in pago Biturico, à fundamentis miro opere in priſtinum ſtatum reſtituit, & Remiſtano cum medietate pagi Biturici vſque ad Carum amnem ad Vaifario reſiſtendum conceſſit. Vaifarius verò quùm cerneret Clarimontis caſtrum à Pippino ſuccenſum, & Bituricam caput Aquitaniæ munitiſſimam vrbem machinis captam, ipſe Pictauenſis, Lemouicenſis, Santonenſis, Petracoricenſis, & Equoliſmenſis, reliquarúmque vrbium & caſtellorum muros diruit, quos reparari iuſſit Pippinus, hominibus ſuis ad eas ciuitates cuſtodiendas miſſis. Appendix ad Fredegarij Chronicon quæ omnium optimè Aquitanicas expeditiones digeſſit. De conuentu ſeu Placito Vvormatienſi, in quo cauſa inter Taſſilonem & Vvaifarium diligenter pertractata dicitur, & dati à patre Comitatus filiis ſuis Carolo & Carolomanno, conſule Reginonem, Annales Fuldenſes, & Chronicon Tilianum. Notant quoque Annales Eginardi, Continuator Aimoini, aliíque Solis Eclipſim factam fuiſſe pridie Nonarum Iunij horâ ſexta. Fuldenſes verò, aliíque Annales pag. 8. Tomi II. Coll. Quercetanæ hyemem frigore ſæuam & præter ſolitum prolixam à die XIX. Kal. Ianuarij vſque XVII. (alias VII. tantùm) Kalendas Apriles. Diſces ſimiliter ex paginâ 381. Tomi III. eiuſdem Collectionis eodem anno factam eſſe ſancti Auſtremonij tranſlationem ex Voluicenſi Eccleſiâ in cœnobium Mauziacenſe præſente ipſo Rege Pippino, quod quàm bellè conueniat cum Annalibus viderint, quorum intereſt. Sunt enim qui ad Pippinum Ludouici Pij filium iſta referant. Berlamo in Patriarchali Biturigum ſede ſubrogatus eſt Ermenarius ſiue Herminardus ad annos ſeptem, quos noſtri vulgò Chronologi ab anno 820. ad 827. inſigni allucinatione protrahunt.* Februario menſe

secundæ huius Indictionis gelu in diuersas montium instar concisiones dissectum fuisse tradit Theophanes oculatus testis, ab iisque euersam partem aliquam murorum C P. mense Martio traiectiones stellarum addit, tantámque siccitatem, vt ipsi etiam fontes excrescerent. Adhæc Constantinum de restituendo Nestorianismo cogitasse, Turcos iterum ad Caspias portas & Iberiam cum Arabibus magna vtrimque strage conflixisse, & alia quæ pluribus in eius Chronico, vel apud Miscellam exponuntur.

Anno Christi DCCLXV. *regni* 14. *Pippinus Niuerni placitum suum Campo Madio habuit, tum transacto Ligere villas publicas, quæ in Aquitania Vvaifarij erant, igne cremari præcepit, Hisandonem vsque venit, Vvaifarium cum multis Vvasconibus trans-Garumnanis occurrentem profligauit, occiso inter cæteros Blandino Aruernorum Comite transfugâ. Inde cum magno triumpho Ligere ad Denegontium superato, per pagum Augustudinensem ad propriam ædem reuersus oblatas à Vvaifario pacis conditiones admittere detrectauit. Appendix ad Fredegarium, namque hoc loco haud satis sinceri videntur Annales Eginardi, Plebeij, Bertiniani, aliique, qui hoc & præcedenti anno domi se continuisse Pippinum, dilatâ in futurum expeditione testantur: Metenses verò hoc anno referunt Mancionem, Hilpingum & Amanucum Vvaifarij Comites diuersis in locis à Pippini fidelibus cæsos, & Remistanum in Pippini partes relicto nepote concessisse, quæ nos ex Appendice ad Fredegarium iam præmisimus.* Constantinus infida pace cum Pagano Bulgariæ domino facta, clam mittens in Bulgariam, cepit Scuerum principem Sclauinum, qui in Thrace multa fecerat mala, & Christinum adductis Medicis viuum incidit à thorace pube tenus, ad hominis cognoscendam positionem atque structuram. Idem ab expeditione re infecta reuersus die 12. Kal. Decembris Indictionis quartæ Stephanum Monachum inclusum apud S. Auxentium in monte Amasti occidi iussit, cum multis militibus ac principibus, qui sacras adorabant imagines, & generale insuper ab omnibus subditis iusiurandum exegit aduersus cultum imaginum atque Sanctorum. Hæc Theophanes, Miscella, Cedrenus, alij. Apud Scotos Eugenio propter insolentiam tyrannicósque mores interempto successisse dicitur Fergusius III. Ætfini Regis filius.

Anno Christi DCCLXVI. *regni* 15. *Pippinus Aurelianis pla-*

citum tenens Campo Madio, multísque pro more muneribus à Francis & Proceribus ſuis ditatus, Ligere tranſacto, Aquitaniam deuaſtat Aginnum vſque, Petrocoricum, & Equoliſmam, multos Vvaſcones vltrò accedentes in deditionem recipit. Appendix ad Fredegarium, cui potius ſubſcribo, quàm Annalibus Bertinianis, Metenſibus, aliíſque, qui hoc dumtaxat anno reædificatum Argantomenſe caſtrum, & in Biturica ciuitate collocatam Francorum Scaram commemorant: Regino teſtatur Regem Paſcha in Nouo caſtello ſeu Aquiſgrani celebraſſe. Conſtantinus die 21. Ianuarij 4. Indictionis mouit contra Bulgaros, eiúſque claſſis quam ad 2600. naues excreuiſſe ferunt flante Aquilone contrita eſt, pluribus necatis. Idem die 17. Auguſti publicè dehoneſtauit habitum Monachorum, præcipiens, inquit Auctor Miſcellæ, vnumquemque Monachum manu tenere mulierem, & taliter tranſire per Hippodromum. In Ludis Circenſibus die 25. Auguſti Conſtantinus Patricius, & alij Proceres occiſi, die 30. Auguſti Conſtantinus Patriarcha CP. in carcerem detruſus, eíque ſuffectus die 16. Nouembris Nicetas Eunuchus è Sclauis oriundus ad annos 14. Valentiniani aquæductus ob penuriam aquæ in ciſternis & fontibus inſtauratus, & Prætores per Prouincias perditiſſimi dimiſſi. Aurelius in Hiſpania regnare cœpit æra vt volunt 804. Froïlâ fratre coniuratione ſuorum interempto.

Anno Chriſti DCCLXVII. *regni 16. Orta quæſtione de ſancta Trinitate & de Sanctorum Imaginibus inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam, id eſt Romanos & Græcos, Rex Pippinus conuentu in Gentiliaco villâ, vbi Paſcha peregit, congregato, Synodum de ipsâ quæſtione habuit, tum de bello Aquitanico ſollicitus commoto omni exercitu Antiſiodorum venit, ad caſtrum quod vocatur Gordinis (infra Sanceram ad S. Satyri Abbatiam in Biturigibus) cum Bertradane Regina Ligerim tranſmittit, Bituricas ingreditur, ſibique palatium ædificari iubet, cúmque ad perſequendum Vvaifarium perrexiſſet, neque fugientem aſſequi poſſet, imminente hyeme Bituricas, vbi Reginam dimiſerat, reuerſus eſt, ibidémque per hyemem totam cum vxore in palatio reſedit, miſſo ad hyemandum in Burgundiam exercitu. Hæc ex Appendice ad Fredegarij Chronicon iuſſu Nibelungi Comitis conſcripta, & breuibus Annalibus. Nam qui dicuntur Eginardi, Metenſes, aliíque referunt Pippinum per Narbonam iter egiſſe, Toloſam aggreſſum cepiſſe, Albienſem & Gaualdenſem pagos in deditionem accepiſſe, Viennæ ad Rhodanum feſti Paſchalis ſacra peregiſſe, tum Bituricam veniſſe, luſtratíſque Aqui-*

taniæ regionibus Bituricam reuersum exercitum in hyberna dimisisse, quæ in plerísque mihi videntur ἀσύλλωγα. De Concilio præter Annales videndi quoque Ado, Regino, Sigebertus, Hermannus & Sirmondus pag. 60. Tomi II. Conciliorum Galliæ. Paulus Papa moritur die 28. Iunij vel potiùs 29. cuius rei nuncius ad Regem peruenit quùm Biturigibus hyemaret: Inuasit Romanam sedem quidam Constantinus Totonis Nepesini Ducis frater, ideóque sedes vacauit annum vnum, mensémque vnum, cum diebus octo. Tandem enim exturbato perfido Constantino Stephanus Papa dictus III. recentiores quidam IV. vocant, legitimè anno sequenti creatus est Nonis Augusti, sedítque annos tres, menses quinque & dies 27. Præter Anastasium luculenti sunt testes, quotquot fere extant scriptores Gallici illorum temporum. De Constantini Patriarchæ CP. ignominiosissima morte Octobri mense, inchoacta iam Indictione 6. aliísque Copronymi sceleribus infandis, & in Monachos, eorúmque cœnobia contumeliis, de abrasis à Niceta falsi nominis Patr. iconibus ex musiuo factis, ac similibus consule Theophanem, Misc. Ced. alios. S. Stephanus Auxentianus siue Iunior dictus die 28. Nouembris Copronymi Imperatoris iussu interfectus est, vt pluribus narrant eius Acta. Consule Baronium in Annalibus Ecclesiasticis.

Anno Christi DCCLXVIII. *regni postremo Pippinus Natalis Dominici & Epiphaniorum festis apud Bituricam ciuitatem celebratis, mediante Februario maturiùs solito Comites cum copiis in Burgundiâ hiemantibus euocat, vt Remistanum, qui fractâ fide ad Vvaifarium se contulerat, & Biturigum Lemouicúmque fines infestos habebat, insequantur. Captum Rex Vniberto & Ghiselario Comitibus Biturice ciuitatis tradit patibulo suspendendum. Ipse Pippinus ad Garomnam vsque properat frustra latitantem in siluis Vvaifarium insecutus, ad Sellum castrum, quo Bertrada Aurelianis paulo ante nauali euectione concesserat, se recepit, ibíque Pascha celebrauit, & Saracenis, qui ad ipsum ab eorum Rege missi fuerant, munera dedit, & Massiliam vsque cum multo honore reduci præcepit. Paulò pòst cùm diuisi in quatuor turmas seu scaras Pippini milites Vvaifarium perquirerent, ipse à suis IV. Nonas Iunij (ita breue Chronicon Bedæ additum pagina 128. Tomi III. Collectionis Quercetanæ) in territorio Petracorico interficitur, tandémque omnis Aquitania Pippino se dedit, qui Santonas reuersus, dum pro salute patriæ & vtilitate Francorum causas tractaret, à febre*

vexatus

vexatus decubuit, & per Pictauum Turonos venit ad monasterium beati Martini: Turonis deinde cum Bertradâ duobúsque filiis Parisios vsque ad monasterium sancti Dionysij se deferri iussit, vocatísque Proceribus, de eorum consilio regnum Francorum, quod ipse tenuerat, æquali sorte inter filios, dum adhuc ipse viueret, diuisit, Carolo seniori Austrasiorum regnum, Carolomanno iuniori Burgundiam, Prouinciam, Gothiam & Alamaniam attribuit, Aquitaniâ, quam acquisierat, duas in partes diuisâ. His peractis morbo aquæ intercutis extremum diem obiit VIII. Kalendas Octobris, ætatis anno 54. cùm annos 25. regnasset (à morte Patris scilicet, nam ab inauguratione per sanctum Bonifacium facta fluxerunt tantum 16. anni cum mensibus 4. & diebus 24.) & à filiis in eodem sancti Dionysij monasterio, vt ipse voluit, cum magno honore sepultus est. Hæc quibusdam insertis detractisque ex Appendice ad Fredegarium, cuius postrema verba non pigebit adtexere. Prædicti Reges Carolus & Carolomannus vnusquisque cum Leudibus suis ad propriam sedem regni eorum venientes instituto placito, initóque consilio cum Proceribus eorum mense Septembri die dominico XIV. Kalendas Octobris (alij haud dubiè veriùs VII. Idus Octobris, id est nonum eiusdem mensis, vtpote post obitum Pippini XV. præfigunt) Carolus ad Nouiomensem vrbem & Carolomannus ad Sueßionis ciuitatem pariter vno die à Proceribus eorum & consecratione Sacerdotum sublimati sunt in Regno. Videndi præterea Annales breues, Plebeij, Bertiniani, Metenses, Fuldenses, Eginardus in Vita Caroli & in Annalibus, Regino, Hermannus, Ado, & Sigebertus in Chronicis, Epistola Hincmari ad Ludouicum Balbum capite 2. Chronicon Hildensemense, Cadomense, Bezuense, & alia, Carolus annum 22. Carolomannus 18. tum agebant ex Chronico Tiliano. Eiectis Constantino & Philippo Romanæ sedis inuasoribus electum fuisse Stephanum III. Papam die 5. Augusti iam superiori anno monuimus. Plura curiosis suggeret Anastasius, & ex eo, aliisque veterum scriptorum monumentis Baronius, Soluatius Eugenij VIII. filius regnare incipit apud Scotos ad annos 6. occiso ab vxore Fergusio III. quæ postea culpam confessa sibi ipsi violentas intulit manus.

Anno Christi DCCLXIX. *Caroli & Carolomanni primo (seu secundo ab Octobri mense dumtaxat inchoando) Hunaldus post mortem Vvaifarij filij ex Monasterij claustris egressus Regnum Aquitanicum denuò affectans, Prouincialium animos ad noua molienda concitat: Carolus peracto Rotomagi Paschate, víxque impetrato cum fratre*

Carolomanno colloquio in loco, qui Duaſdiues ſeu Ad-duos-cliuos vocatur, fruſtratúſque promiſſo ab eodem auxilio, Egoleſinam venit, indéque contractis vndique copiis inimicum latebras quærentem inſequitur, Fronciacum caſtrum ſuper Dordoniam ſeu Duranium ædificat, cúmque à Lupo Vaſconum Duce, cuius fidei ſe Hunaldus commiſerat, perfugam cum vxore recepiſſet, Aquitanico bello finem imponit. Hunaldus verò paulò pòſt à Langobardis, ad quos è Caroli regno confugerat, lapidibus obrutus eſt. Vita Caroli per Eginardum ſcripta, eiuſdémque Annales cum Plebeiis, Metenſibus, Bertinianis, Fuldenſibus, aliiſque, Paſſio ſanctorum Bertharij & Athaleni, & Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Stephani Papæ pagina 208. Tomi II. Coll. Ducheſnianæ, necnon Sigebertus in Chronico poſt biennium. Vvilicarius Senonenſis, Lullus Moguntinus, Gauienus Turonenſis, Addo Lugdunenſis, Herminardus Bituricenſis, Daniel Narbonenſis, Tilpinus Remenſis, Herulfus Lingonenſis, aliique Galliarum Epiſcopi à Regibus Chriſtianiſſimis Romam miſſi rogatu Stephani Papæ, in Concilio Lateranenſi cum Epiſcopis Italiæ menſe Aprili Indictione VII. Conſtantini Pſeudo-Papæ acta reſciderunt, ſacrarúmque Imaginum venerationem ex antiquo Eccleſiæ vſu ſtabilierunt. Tomo II. Conciliorum Galliæ pag. 65. Conſtantinus Imp. Kalendis Aprilis ſabbato Eudociam tertiam ſuam coniugem in Tribunali XIX. Accubitorum coronari iuſſit, & poſtridie ipſo Paſchatis die filios ex eâ ſuſceptos Chriſtophorum & Nicephorum Cæſares appellauit: Nicetam quoque Nobiliſſimum creauit. Eodem anno Indictione 8. Kalendis Nouembris Irene Bulgarorum Regis filia Græcis moribus imbuta ab Athenis veniens, ingreſſa eſt CP. & tertia die Leoni deſponſa à Patriarchâ in Eccleſiâ Phari coronata eſt in Triclinio Auguſta Imperatrix die 17. Decembris, vt docent Theophanes, Miſcella, Nicephorus, &c.

Anno Chriſti DCCLXX. *fratrum Regum* 2. *Carolus Rex celebrato Paſchate in Leodio vico publico habuit populi ſui generalem conuentum Vvormatiæ, in quo à populo Clericíſque impetratum fuiſſe dicitur, ne liceret Clericis in bellum exire. Bertrada vero mater Regum cum Carolomanno minore filio apud Saluſiam (aliàs Salonam) locuta pacis causâ, per Baioariam in Italiam proficiſcitur, peractóque, propter quod illò profecta erat, negotio, adoratis etiam Romæ ſanctorum Apoſtolorum liminibus ad filios in Galliam reuertitur. Annales Einharti, Metenſes, Bertiniani, aliique. Cauſam profectionis deſignant Fuldenſes,*

Nazariani, ac Tiliani Annales his verbis: Domna Berta fuit in Italiâ propter filiam Desiderij Regis Langobardorum, quam & adduxit in Franciam, & filio suo Carolo sociauit, dissuadente nequicquam talem coniunctionem Stephano Romano Pontifice: quam in rem legenda Epistola 45. Codicis Carolini editionis Gretserianæ, & Caroli vita auctore Eginarto. Hermannus quoque: Carolus filiam Desiderij Regis Longobardorum adducente Berthâ matre suâ vxorem duxit, sed statim eam repudiauit. Nec omittendus Monachus Sangallensis lib. 2. quâ non post multum temporis, quia esset clinica & ad propagandam prolem inhabilis, iudicio sanctissimorum Sacerdotum relicta velut mortua, &c. Eodem pariter anno natus dicitur Pippinus Carolomanni & Gerbergæ filius in Annalibus ab an. 768. ad 814. Constantinus Copronymus monachos monachásque in themate Thracesiorum commorantes alba veste iussit indui, & nuptias celebrare: renuentes luminibus orbatos in Cyprum exilio damnauit. Vide Theoph. Misc. *&c.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCLXXI. *fratrum Regum 3. celebrata apud Heristallium ad Mosam haud procul Leodico Paschali solemnitate, & peracto secundùm morem generali Conuentu super fluuium Scaldam in villa Valentiana Carolus Rex ad hiemandum profectus accipit Carolomannum fratrem Pridie Nonas Decembres in villa Salmontiaco decessisse, sepultúmque iuxta vrbem Remorum in basilica beati Remigij confessoris. Quo audito venit ad Carbonnacum villam, multósque Comites & Primates fratris sui ad se venientes suscipit, à quibus denuò vnctus in Regem, obtinuit feliciter Monarchiam regni Francorum. Girberga verò vxor Carlomanni cum duobus paruulis filiis, pauciſque Principibus in Italiam ad Desiderium Regem Langobardorum ob repudiatam à Carolo filiam abalienatum peruenit. Annales Eginarthi, Bertiniani, Plebeij, Metenses, aliique scriptores, vt Regino, Ado, Sigebertus, Hermannus, Hincmarus in Epistola ad Ludouicum Balbum, Catulphus in Epistola ad Carolum, quæ ex Schedis Pithœanis citatur à Sirmondo in Notis ad Tomum II. Concil. Galliæ, extátque integra pag. 666. Tomi II. Collectaneorum Quercetani. Ab hoc verò anno auspicantur Annales Metrici, qui editi sunt pag. 136. eiusdem Tomi à Saxone quodam Poetâ sub Arnulpho Imperatore circa annum Christi nongentesimum conscripti:*

Saluator mundi, postquam de Virgine nasci
Dignatus, nostri se corporis induit artus,

Euoluit ſeptingentos rota temporis annos,
Et decies ſeptem : ſed & vnus pene peractus
Inſuper annus erat, cum iure Monarchia regni
Francorum Carolo diuinitus eſt data Magno :
Nam Carolomannus frater deceſſerat eius
Præſentis iam ſupremis propè partibus anni.
Et Carolus villam quæ Carbonaca vocatur
Adueniens, ſummos Proceres, &c.

S. Adelardus ob repudiatam, vt volunt, à Carolo Deſiderij filiam aula diſcedens Corbeiam petiit, vt in eius vitâ tradit Paſch. Ratbertus. Eodem anno Biturigum Præſul ordine XXXX. extitit Deodatus ad annos, vt volunt, nouem : neque enim plura de eo hactenus mihi comperta. Conſtantinus Leonis & Irenes filius naſcitur die 14. Ianuarij Ind. IX. Banacas Saracenorum Dux Iſauriam vaſtat, victóque Imp. exercitu multis ditatur ſpoliis. Imp. miniſtri ac ſatellites nefarij vænum exponunt monaſteria omnia virorum ac mulierum, & omnia vaſa ſacra, libros, *&c.* redactámque pecuniam in ærarium inferunt, & in Monachos ditiſſimè ſæuiunt, vt ex Theophane, aliiſque diſces. Sunt quoque qui velint Ofredum regnaſſe cœpiſſe in Anglia apud Northumbros, miſsúmque Albinum Flaccum ſiue Alcuinum ad Carolum Magnum contrahendæ amicitiæ gratia.

Anno Chriſti DCCLXXII. *Caroli Magni* 4. Romæ Stephano Papa defuncto Kalendis Februarij, Hadrianus in Pontificatu ſucceſſit, creatus quarto Idus Februarij ad annos 23. menſes decem dies 17. *Rex verò Carolus congregato Vvormatiæ generali Conuentu Saxoniam bello aggredi ſtatuit, eámque ſine morâ ingreſſus ferro & igne cuncta depopulatus, Ereſburgum caſtrum cepit, idolúmque, quod Irminſul à Saxonibus vocabatur, euertit : tùm ad Viſeram fluuium à Saxonibus duodecim acceptis obſidibus, in Franciam reuerſus in villâ Hariſtallio Natalem Domini & proximum Paſcha celebrauit. Annales Eginardi, Metenſes, Plebeij, Bertiniani, ac præcipuè Metrici. Charta S. Benigni Diuionenſis data die Martis, quod eſt 4. Kal. Ianuarias in anno 5. Caroli Regis : rectè. S. Amelberga obiit Tamiſiæ ad fl. Scaldim die 10. Iulij : vnde Blandinium poſtea delata fuit.* Habdallas Saracenorum Princeps Hieroſolymam abiit, peractóque ieiunio præcepit Chriſtianos & Hebræos inſcribi in manibus : quamobrem multi Chriſtianorum ſolum verterunt. In æra 810. collocatur à Roderico & quibuſdam aliis

Hiſpanis auctoribus obitus Aurelij Legionenſis in Aſturia Principis, cuius in locum ſucceſſiſſe dicitur Silo ſororis Aurelij maritus, qui Alfonſum Froïlæ ante aliquot annos defuncti filium conſortem regni fecit.

Anno Chriſti DCCLXXIII. *Caroli Magni* 5. *Hadrianus Papa, cùm inſolentiam Deſiderij Regis & Langobardorum ferre non poſſet, decreuit legationem ad Carolum Regem Francorum mittere, eúmque, vt ſibi atque Romanis aduerſus Langobardos opem ferret, rogare. Et quia id terreno itinere per Italiam fieri non poterat, eum, quem miſerat legatum, nomine Petrum, Romæ nauim conſcendere, & Maſſiliam vſque per mare ire, atque inde terreno itinere in Franciam fecit peruenire. Qui cùm ad Regem in Theodonis villâ peruenisſet, & ei legationis ſuæ cauſam aperuiſſet, eadem, quâ venerat, viâ Romam regreſſus eſt. Rex pro defenſione Romanorum, bellum ſibi contra Langobardos ſuſcipiendum ratus, cum toto Francorum exercitu Geneuam Burgundiæ ciuitatem iuxta Rhodanum ſitam venit, Ibíque de bello ſuſcipiendo deliberans, copias, quas ſecum adduxerat, diuiſit, & vnam partem cum Bernardo patruo ſuo per montem Iouis ire iuſſit: alteram ipſe ducens per montem Ciniſium in Italiam contendit, ſuperatiſque Alpium iugis Deſiderium Regem fruſtra ſibi reſiſtere ad Cluſas conantem, citra congreſſum fugauit, Ticinóque incluſum obſedit, & in oppugnatione ciuitatis totam hiemem conſumpſit. Annales Eginardi, Metrici, aliique, quos paſſim ſingulis annorum periochis citamus, Vitæ Actorumque Caroli ſcriptores, quibus adde Paulum Vvarnefridum diaconum Foroiulienſem, & Chronicon Noualicienſis monaſterij in Valle Seguſianâ, quod pleráque ſcitu digna curioſis ſuppeditabit. Italiam intranti quàm difficilis Alpium tranſitus fuerit, quanto labore Francorum inuia montium iuga & eminentes in cœlum ſcopuli atque aſperæ cautes ſuperatæ, longum eſt enarrare, inquit Auctor Chronici Beſuenſis. De patre Deſiderij Papiæ tota hyeme obſeſſo neſcio quæ ſomniat Caluiſius in Chronico.* Apud Theophanem & in Miſcella malè mihi collocatæ videntur Indictiones, & XI. quidem coniungenda cum menſe Martio ſeu Maio fuit: XII. verò cum menſe Octobri. Adi locum ipſum, & à Conſtantino Imp. reportatam de Bulgaribus victoriam conſule.

Anno Chriſti DCCLXXIV. *regni ab obitu patris* 6. *Carolus Rex dimiſſo ad obſidionem Ticini exercitu orandi gratiâ Romam profectus Paſchales ferias ibidem celebrat, cúmque peractis votis inde fuiſſet ad exercitum reuerſus, fatigatam longâ obſidione ciuitatem in dedi-*

tionem compulit, quam cæteræ ciuitates secutæ omnes se Francorum potestati subdiderunt. Rex subactâ & pro tempore ordinatâ Italiâ in Franciam reuertitur, captiuum ducens cum vxore Ansâ Desiderium Regem, quem paulò pòst Leodium in exilium ad Agilfridum Episcopum ablegat. Adalgisus autem Desiderij filius, in quem, vt loquitur Ioannes Monachus in Chron. Besuensi, spes omnium inclinata videbatur, desperatis patriæ rebus, relictâ Italiâ in Græciam ad Constantinum Imperatorem se contulit, ibique in Patriciatus ordine atque honore consenuit. Interim dum hæc in Italia gererentur, Saxones velut opportunam de absentiâ Regis nacti occasionem contiguos sibi Hassorum terminos ferro & igne populati sunt, vnde domum reuersus Carolus ex Ingeheirmensi palatio tripartitum in eorum regiones misit exercitum (quatuor Scaras seu legiones alij missas, vnámque dumtaxat ex iis non pugnasse tradunt) qui incendiis ac direptionibus cuncta deuastans, compluribus Saxonum interfectis cum ingenti prædâ regressus est. Vita Caroli, Annales Eginardi, Metrici, Plebeij, Fuldenses, Metenses, Bertiniani, Nazariani, &c. Anselmus, aliique scriptores Leodiensis Historiæ, Anastasius Bibliothecarius in vitâ Adriani, Adrealdus libro I. Miraculorum sancti Benedicti cap. 18. Ado, Hermannus, Sigebertus, Paulus Diaconus tum cap. 61. lib. 6. Historiæ Langobardorum, quorum regnum, postquam Italiam intrauerant, mansisse per annos sex & ducentos affirmat, tum in libello de Metensibus Episcopis.

Quàm vario cursu vitæ rota voluitur huius?
Hesterno Desiderius diademate regni
Floruit, en hodie est pauper, captiuus, & exul: canit Poëta Saxo. Scio non æquè probari omnibus quæ subdit Sigebertus in hæc verba: Carolus iterum Romam rediit, Synodum constituit cum Hadriano Papa aliisque CLIII. religiosis Episcopis & Abbatibus, in quâ Hadrianus Papa cum vniuersali Synodo dedit ei ius eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatem quoque principatus. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere definiuit, & vt nisi à Rege laudetur & inuestiatur Episcopus, à nemine consecretur, omnésque huic decreto rebelles anathematizauit, & nisi resipiscerent, bona eorum publicari. Vide Baronium in Annalibus. Certum verò est præter prouincias à Pippino Rege concessas, Carolum Hadriano dedisse territorium Sabinense & Ducatus Spoleticum ac Beneuentanum, & sancti Nazarij dedicationem & translationem corporis ipsius in Laurethamense monasterium. Charta S. Martini Turonensis: Signum Caroli glorioſi Regis Hitherius recognouit. Data 17. Kalend.

Auguſt. anno ſexto & primo regni noſtri Actum Papia ciuitate. Conſtantinus Imp. paratâ ingenti in Bulgaros claſſe, ſed ea ventorum vi contritâ, multíſque ſuorum amiſſis, redire CP. coactus eſt inglorius, lepidóque ſtratagemate deluſus à Telerico Bulgariæ domino canos ſuos euulſiſſe dicitur. De Paullo Diacono Aquileienſi poſtea Monacho Caſſinenſi plura aliàs dicturi ſumus, Deo bene volente, ex Leone Hoſtienſi in Chronico Caſſinenſi, aliíſque Scriptoribus.

Anno Chriſti DCCLXXV. *Caroli Magni 7. Cùm Rex in villâ Cariſiaco hiemaret, vbi Natale Domini & Paſcha celebrauit, conſilium iniit, vt perfidam ac fædifragam Saxonum gentem bello aggrederetur, & eo vſque perſeueraret, dum aut victi Chriſtianæ religioni ſubiicerentur, aut omninò tollerentur. Habitóque apud Duriam villam generali Conuentu Rheno tranſmiſſo cum totis viribus Saxoniam petiit, & primo ſtatim impetu Sigiburgum arcem pugnando cepit, præſidium Francorum in Ereſburgo caſtro à ſe diligenter munito poſuit, tum à Veſtphalis ſeu Oſtfalis & Angrariis obſides ſecum in Franciam adduxit. Annales Eginardi, Bertiniani, Metenſes, Metrici*, &c. *S. Rumoldus Ep. Mechliniæ patronus hoc anno ab impiis occiſus dicitur.* Conſtantinus Copronymus Imp. perditiſſimus, dignúſque, quem Lutherani & Caluiniſtæ tanquam patronum ſuum venerentur ac colant, cùm menſe Auguſto XIII. Indictionis exiiſſet contra Bulgaros, plaga, quæ Græcè dicitur αἰμορραξ, diuinitus in cruribus percuſſus ſceleratam euomuit animam in chelandio die 14. Septembris, exclamans ac dicens: Viuus adhuc igni ſum inextinguibili traditus propter MARIAM DEIPARAM. Succeſſit eius filius Leo Chazarus dictus. Eodem menſe obiit Habdallas Saracenorum Princeps eiúſque principatum obtinuit Mady filius. Plura repete ex Theophane, Miſcella, Cedreno, Zonara, ac ſimilibus.

Anno Chriſti DCCLXXVI. *regni 8. Carolo ex Germania expeditione domum reuertenti nunciatur Rotgaudum, quem Foroiulienſibus Ducem dederat, in Italiâ res nouas moliri, etiam complures ad eum ciuitates defeciſſe. Sunt quoque qui addant Adelgiſum filium Deſiderij Langobardorum Regis claſſe à Græcis accepta Byzantio ſoluiſſe, & in Italiam appuliſſe. Ad quos motus comprimendos, cùm ſibi feſtinandum iudicaſſet, ſtrenuiſſimum quemque ſuorum ſecum ducens, raptim in Italiam proficiſcitur, Rotgaudoque, qui regnum affectabat, interfecto, ciuitatibus quoque, quæ ad eum defecerant, ſine dilatione receptis, & in*

eis Francorum Comitibus constitutis, eadem, quá venerat, velocitate reuersus est. Cui vix Alpes transgresso occurrerunt, qui nuntiarent Eresburgum à Saxonibus expugnatum, Sigiburgum oppugnatum quidem, sed validè propugnatum: Quare habito Vormatiæ Conuentu (quas Synodos ciuiles dumtaxat fuisse constat, & ex occasione tantùm confluentium eodem Episcoporum Ecclesiasticas, quidquid contra scripserit senserítve Baronius) hostium conatus festinatione præuertere studuit, & ad fontem vsque Lippiæ progressus, immensam perfidi illius populi multitudinem supplicem, erroríque sui veniam poscentem inuenit. Inde receptis, quos voluit, obsidibus, Eresburgo restaurato, alióque castello super Lippiam constructo, quo venientes Saxones vnà cum vxoribus & infantibus baptizati sunt, & in vtroque non modico præsidio relicto, ipse in Galliam reuersus in villâ Haristallio hyemauit. Iidem qui supra Annales. Eadem expeditione Stabilinum Chrodgausi Foro-Iulij Ducatus præfecti socerum Taruisâ ciuitate obsessum & captum, totámque Italiam subiugatam memorat Ioannes Monachus Besuensis post Reginonem, &c. Leo Imp. rogatus à Proceribus ac populo filium suum Constantinum creauit Imperatorem die 14. Aprilis ipso Paschatis festo 14. Indictione, ideóque apud Miscellam haud dubiè legendum XVIII. Kalendas Maij: excidit enim nota decussis, exscriptorum, vt arbitror, incuriâ. Seq. mense Nicephorum Cæsarem fratrem suum accusatum, quòd insidias struxisset, exauctorauit, eiusdémque sceleris socios cæsos & tonsos Chersonam deportari iussit.

Anno Christi DCCLXXVII. *regni 9. Carolus Rex celebrata Nouiomagi ad fluuium Vvachalim Paschalis festi solemnitate generalem conuentum Paderbornæ in Vvestfalia indixit, vbi totum perfidæ gentis Senatum ac populum, quem ad se venire iusserat, morigerum inuenit. Cuncti enim ad eum venerunt, præter Vvidikindum vnum è primoribus Vvestfalorum, qui multorum sibi facinorum conscius, & ob id Regem veritus, ad Sigifridum Danorum Regem profugerat. Baptizata est ibidem ex eis maxima multitudo, eáque conditione veniam accipere meruerunt, vt si vlteriùs sua statuta violarent, & patriâ & libertate priuarentur. Venit iisdem loco & tempore Ibinala Rabi Præfectus Cæsaraugustæ, cum aliis Saracenis sociis suis dedens se ac ciuitates, quibus eum Rex Saracenorum præfecerat. Annales Eginardi, Metenses, Bertiniani, Metrici*, &c. *In epistola S. Ludgeri de S. Suitberto cap.* 11. *initio scriptum erat, anno Incarn. Dom.* 777. *Indictione V. & X. eiusque loco perperam substituta fuit Indictio vndecima. Carolus anno regni* 9. *die* 7.

die 7. Iunij Basilicam cathedralem S. Martini in Traiecto veteri subter Doreſtadum dotauit, diplomate dato in palatio publico eiusdem Noviomagensis Regiæ villæ. Telericus Bulgariæ Dominus ad Leonem Imp. confugit, quem cùm baptizatum ex sancta piscina suscepisset, Patricium fecit, eique vxorem tradidit consobrinam Irenes Augustæ.

Anno Christi DCCLXXVIII, *regni* 10. *Carolus celebrato in Aquitaniâ apud Cassinogilum villam Paschate, superatisque in regione Vvasconum Pyrenæi iugis, primò Pompelonem Nauarrorum oppidum aggressus, in deditionem accepit: Inde Iberum amnem vado traiiciens Cæsarauguſtam præcipuam illarum partium ciuitatem accessit, deditisque sibi Barcinona, Gerunda & Osca; tum acceptis, quos Saraceni obtulerunt, obsidibus, Pompelonem reuertitur. Cuius muros, ne rebellare posset, ad solum vsque destruxit, ac regredi statuens, Pyrenæi saltum ingressus est, in cuius summitate Vascones insidiis collocatis extremum agmen adorti, totum exercitum magno tumultu perturbant. Et licet Franci Vasconibus, tam armis, quàm animis præstare viderentur, tamen & iniquitate locorum, & genere imparis pugnæ inferiores effecti sunt. In hoc certamine plerique Aulicorum quos Rex copiis præfecerat, interfecti sunt, direpta impedimenta & hostis propter notitiam locorum statim in diuersa dilapsus est. Eginartus in Vita Caroli, quam hoc loco consulendam censeo, exertè affirmat desideratos fuisse Egichardum seu Eghartum regiæ mensæ præpositum, Anselmum Comitem Palatij, & Ruodlandum siue Rutlandum Britannici limitis præfectum; vnde tot fabularum commenta sub Turpini seu Tilpini Remensis Archiepiscopi, aliorúmque nomine pullularunt. Et Anonymus Poëta in Annalibus Metricis.*

Namque Palatini quidam cecidere ministri
Commendata quibus Regalis copia gazæ
Prædones illos spoliis ditauit opimis.

Interea Saxones sumptis armis ad Rhenum vsque profecti cùm traiicere non possent, quidquid à Duitia ciuitate vsque ad fluenta Mosellæ vicorum villarúmque fuit, ferro & igne depopulati sunt. Vverdam quoque, Dauentriam, aliáque loca diruerunt. Cuius rei nuncium cùm Rex apud Antisiodorum ciuitatem accepisset, extemplò Francos Orientales atque Alamannos ad propulsandum hostem festinare iussit. Ipse cæteris copiis dimissis, Haristallium venit. Franci verò & Alamanni Saxonum vestigia secuti in pago Hassiorum, in ipso fluminis Adernæ vado, adorti, tanta eos strage ceciderunt, vt ex ingenti multitudine vix pauci domum fugiendo peruenisse dicantur. Annales Eginardi, Metrici, Plebeij, Ful-

denſes, Bertiniani, Metenſes, Chronicon Moiſſiacenſe, & Beſuenſe, Sigebertus, Ado, Hermannus, &c. *vt omittam Hiſpanos quos egregiè refellit Baron. Cardin. Reuerſus ab expeditione Hiſpanica Carolus reperit Hildegardim coniugem, quam in Aquitaniâ reliquerat, geminos vno partu edidiſſe Ludouicum, cui pater regnum, quod ſibi naſcendo dicauerat, poſtea contradidit, & alterum Lotharium, vt volunt, dictum, qui immaturâ morte præreptus, in eodem, quo fuerat natus, Caſſinogilo palatio terræ mandatus eſt. Auctor Vitæ Ludouici ipſo pene initio, Chronicon Floriacenſe*, &c. *Pagina 84. Tomi II. Conciliorum Galliæ extat Capitulare Caroli Magni anno* 11. *regni menſe Martio in Synodali conuentu editum, qui character, vt bene Sirmondus in Notis, annum ſequentem notat, nec vana eſt eiuſdem coniectura, qua decretum Hariſtallenſe dici poſſe ſuſpicatur. Eodem quoque tempore factum volunt alterum Decretale precum à quibuſdam Epiſcopis famis bellique tempore: Id eſt vt vnuſquiſque Epiſcopus tres Miſſas & Pſalteria tria cantet; vnum pro Rege, alterum pro exercitu Francorum, tertium pro præſenti tribulatione. Preſbyteri verò vnuſquiſque Miſſas tres, Monachi & Monachæ & Canonici vnuſquiſque Pſalteria tria.* De victoria Romanorum Ducum aduerſus Arabes in Syria, & tranſlatione ex Syria eadem in Thraciam Iacobitarum hæreticorum conſule Theophanem & Miſcellam.

Anno Chriſti DCCLXXIX. *regni vndecimo, prima veris temperie Carolus de Hariſtallio, vbi ſanctum Paſcha peregerat, Compendium venit. Et cùm inde reuerteretur, occurrit ei Hildebrandus Dux Spoletanus cum magnis muneribus in villâ Virciniaco. Rex animo ad Saxonicam expeditionem intento Duriam venit, habitóque iuxta morem generali conuentu, Rhenum traiecit, & vſque ad Lippiam cum exercitu peruenit, Saxones fugauit, ab Angeris & Oſtfalis obſides & iuramenta exegit. Annales iidem qui ſupra. Idem Princeps poſſeſſiones à proauo ſuo Pippino donatas Aquiſgranenſi Eccleſiæ confirmauit die* 3. *Maij anno regni in Francia* 11. *& in Longobardia* 5. *Hoc fermè tempore per Aquitaniam diſpoſiti ſunt Comites de gente Francorum Humbertus Biturigæ, Abbo Pictauis, Vidbaldus Petracoricis, Iterius Aruernis, Bullus Vvallagiæ, Chorſo Toloſæ, Siguinus Burdegalæ, Aimo Albigenſibus, Rotgarius Lemouicis, vt docet Vita Ludouici Imperatoris. Auctor Chronici Beſuenſis teſtatur Carolum reuerſum ex Hiſpania domuiſſe Britones, qui ad occidentem in extrema quadam parte Galliæ ſuper littus Oceani reſidentes dicto audientes non erant, miſſâ in eos expeditione, qua & obſides dare, & quæ iniungebantur ſe facturos*

polliceri coacti sunt. Verum alij in aliud differunt tempus. Mady Saracenorum Princeps immisso in Romanorum fines exercitu ob commeatus inopiam, recedere cogitur re infecta, reuersúsque in Syriam in Christianos debacchatur, teste Theophane, ex quo alij. Venetorum primus Dux, vt volunt, Mauritius hoc anno vita decessit, succedente Ioanne filio, qui ante biennium patri fuerat additus socius dignitatis & hæres.

Anno Christi DCCLXXX. *regni* 12. *Saxoniam peragrat hoc quoque anno Rex Carolus ad Obacrum vsque fluuium, multósque Saxonum vltro simulatione solitâ ad baptismum accedentes in loco, qui Horrheim appellatur, salutaribus vndis tingendos curat. Profectus inde ad Albiæ & Horæ confluentes, castris in eodem loco ad habenda statiua collocatis, tam ad res Saxonum qui exteriorem, quàm Sclauorum, qui vlteriorem fluminis ripam incolunt, componendas operam impendit. Annales Eginardi, Metrici, Metenses, aliique: Sigebertus in Chronico addit obiisse sanctum Sturmi primum Fuldensem Abbatem, & Thassilonem Ducem Baioariæ contra Carolum Regem rebellasse hortatu vxoris suæ, quæ filia erat Desiderij Regis, & exilium patris sui per maritum suum vindicare tentabat. Hadrianus Papa scriptis ad Carolum Regem literis ab eo auxilium petiit aduersus Spoletinum, Beneuentanum, Clusinum, & Foroiulienſem Duces, qui cum Græcis & Adalgiso conspirarant aduersus Rom. Ecclesiam. Nouus hoc anno Bituricensibus exoritur Pontifex ordine XXXXI. Segolenus ad quatuor vel quinque dumtaxat annos.* Leo Imperator moritur 8. die Septembris cùm imperasset annos 5. minus diebus sex, vt legendum est in Miscella pro annis 5. & diebus 6. & apud Caluisium aliósque. Succedit Constantinus puer eius filius sub tutelâ matris Irenes. Vide Theophanem, & ab eo disces obiisse Nicetam Eunuchum P. C P. die Februarij 6. Dominicâ τῆς τυροφάγου, quæ respondet nostræ Quinquagesimæ, eíque suffectum Paulum secunda Dominica Ieiuniorum: media verò ieiuniorum hebdomadâ Cubicularios tres cum aliis religiosis viris à Leone detentos cæsos vinctósque, eò quòd imagines adorarent; cuius sceleris ac sacrilegij in res cultui diuino addictas, manifestas æterno numini pœnas dedit. Iidem Auctores tradunt Irenem post 40. dies imperij filij sui decennis Constantini Proceres quosdam, qui Nicephorum Cæsarem ad imperium promouere voluerant, in exilium relegasse, ac viri sui fratres Cæsares ac Nobilissimos tonsos sacerdotio fungi & po-

pulo communionem in festiuitate Natiuitatis Christi porrigere feciſſe, in quâ Imperatorio more publicè cum puero procedens reddidit Eccleſiæ coronam, quæ fuerat à marito ablata, pulcherrimè fabrefactam & lapidibus pretioſis venuſtatam. Hoc anno Seleucidarum Dilkarnaim διχέρως ſiue duo cornua tenentis 1092. erectus eſt lapis apud Sinas die 7. menſis Autumni, fortè 17. Septembris Dominica poſt annos à prædicatione Chriſtianæ Legis ibidem facta 146. cui inſculpta eſt Sinenſibus literis toto iam orbe Chriſtiano notiſsima epigraphe, quæ anno 1625. in villa Sauxuem in Prouincia Xenſi eruta eſt. Fruſtra verò laborant, qui annum Chriſti Dionyſianum cum anno Græcorum 1092. conciliare moliuntur, & vulgarem Chriſti æram cum Euſebiano Natali confundunt. Lege Hiſtoriam Sinicam P. Semedo & Prodromum Coptum à pag. 50. ad 69.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCLXXXI. *regni* 13. *Celebrato Ticini in Langobardiâ Natali Domini Carolus cum Hildegardâ vxore & liberis Romam veniens ab Adriano Papâ honorificè ſuſceptus eſt, cúmque ibi ſanctum Paſcha perageret baptizauit idem Pontifex Pippinum, vnxítque in Regem Langobardiæ; Ludouicum verò in Regem Aquitaniæ, quibus & coronam impoſuit, ibíque Rotrudis Caroli & Hildegardis maior natu filia Conſtantino Græcorum Imperatori deſponſata eſt. Mediolani quoque in reditu Giſla eorumdem filia à Thoma illius vrbis Archiepiſcopo baptizata, & de ſacro fonte ſuſcepta eſt. Quibus geſtis cùm Vormatiam reuerſus eſſet, Thaſſilo Dux Baioariæ, Legatorum Pontificis ac Regis oratione perſuaſus ſine cunctatione ad eum venit; ſacramentum, quod iubebatur, iurauit, obſides duodecim qui imperabantur ſine mora dedit. Sed idem Dux domum reuerſus non diu in eâ, quam promiſerat, fide permanſit. Annales Eginardi, Metenſes, Fuldenſes, Metrici, qui inde ſecundum librum ordiuntur, aliíque, Regino, Chronicon Moiſſiacenſe, Vita Ludouici in quâ dicitur Ludouico in Aquitaniam à patre miſſo datus Baiulus Arnoldus cum aliis miniſtris puerili tutelæ congruis. Nec omittendi verſus illi antiqui, quos Guillelmus Catellus vulgauit cap. 3. lib. 2. Hiſtoriæ Comitum Toloſanorum.* In Longis Thraciæ muris quidam fodiens, arcam lapideam reperit, in eáque inciſas literas in hæc verba: Χριστὸς μέλλει γεννᾶσθαι ἐκ Παρθένου, καὶ πιστεύω εἰς αὐτόν· ὅπου δὲ Κωνσταντίνου καὶ Εἰρήνης πάλιν, ὦ Ηλιε, ὄψει με. *Chriſtus naſ-*

citurus est ex Maria Virgine & in eum credo. Sub Constantino & Irene, ô Sol, denuò me videbis. Romani Duces bello superant Arabes, multósque ex iis occidunt. Pietas florere deinceps cœpit, & verbum Domini dilatari cum cultu Sanctorum, & sacrarum Imaginum reliquiarúmque veneratione: Quíque volebant saluari, inquit Miscellæ auctor, poterant sine prohibitione mundo abrenunciare. Adi Theophanem, Cedrenum, Zonaram.

Anno Christi DCCLXXXII. *regni* 14. *Carolus traiecto apud Coloniam Rheno cum omni Francorum exercitu ad fontem Lippiæ castra ponit, vbi inter cetera negotia Legatos Sigefridi Regis Danorum, & quos Hunorum principes pacis causá miserant, audiuit & soluit. Cúmque conuentu completo trans Rhenum in Galliam se recepisset, Vvidikindus qui ad Nordmannos profugerat, in patriam reuersus; Saxonum animos ad defectionem concitauit, commissóque prælio cum copiis Francorum, Adalgisum, Gilonem, aliósque Comites, nobilésque viros interfecit. Cuius rei nuncium cùm Rex suscepisset, collecto festinanter exercitu in Saxoniam proficiscitur, accitísque ad se cunctis Saxonum primoribus, de auctoribus factæ defectionis inquisiuit. Et cum omnes Vvidikindum huius sceleris auctorem proclamarent, ipsum tamen tradere nequirent, eo quòd re perpetratâ ad Nordmannos se contulerat, ceterorum, qui persuasioni eius morem gerentes tantum facinus peregerunt, vsque ad quater mille & quingentos traditi, & super Alaram fluuium iussu Regis omnes vno die decollati sunt. Quâ perpetrata vindictâ, Rex Theodonis villam in hiberna concessit. Annales Eginardi, aliíque, præsertim Metrici, qui deditâ operâ vnius Eginardi Chronicon numeris illigare satagunt. Sunt qui hoc anno velint Magdeburgum seu Parthenopolim auctam munitámque fuisse à Carolo ad frænandos Saxones ad rebellionem procliues. S. Vvillehadus primus Bremensium Episcopus Romam profectus dicitur. Irene Augusta Constantem Sacellarium & Mamalum Primicerium misit ad Carolum Francorum Regem, vt filiam suum* Ερυθρὼ λεγομένω *(ea est quæ nostris Rhotrudis dicitur) nuptum traderet Constantino Imp. filio suo, pactóque inito relictus est Elisæus Eunuchus atque Notarius, vt puellam doceret Græcam linguam & mores Romani Imperij.* Eadem missâ classe Helpidium Siciliæ Præfectum vnà cum Nicephoro Cæsare compulit in Africam fugere ad Saracenos. Reliqua dabunt Theophanes, Miscella, Cedrenus, *&c.*

Annus Christi DCCLXXXIII. *Caroli Magni* 15. *Hilde-*

degardis Regina moritur pridie Kalendas Maij in peruigilio Ascensionis in Theodonis villâ, vbi Carolus Natalem Domini & Pascha celebrauerat, ac Metis in basilicâ sancti Arnulphi sepulta est. Cuius funeri, cùm more solenni iusta persoluisset Carolus, ad Saxones summâ celeritate contendit, commißóque prælio tantâ eos cæde prostrauit, vt de innumerabili eorum multitudine perpauci euasisse dicantur. Inde reuersus in Franciam duxit vxorem filiam Radolfi Comitis, natione Francam, nomine Fastradam, ex quâ duas filias procreauit. Eodem anno defuncta est mater Regis Bertrada 10. die Iulij (alij tamen quidam habent III. vel VI. Idus Iulij) in Cauciaco, ibidémque sepulta, sed postea translata in Ecclesiam sancti Dionysij martyris. Eginardus in vitâ Caroli testatur in magno consenuisse honore apud filium, qui cum summâ reuerentiâ eam colebat, ita vt nulla nunquam inuicem sit exorta discordia, præterquam in diuortio filiæ Desiderij Regis, quam illâ suadente acceperat. Consule sis Annales Eginardi, Metenses, Fuldenses, &c. Chronicon breue post Bedam, Moissiacense, Sangallense, Besuense, &c. Ex Hildegarde Carolum suscepisse quatuor filios & quinque filias docet Paulus Vvarnefridus in libello de Metensibus Episcopis, qui & epitaphium Reginæ illius scripsit, quod non bene Baronius Alcuino tribuit. At verò Eginardus in Vita Caroli tres tantùm filios, totidémque filias recenset. Qui tamen Scriptores in re non dissentiunt: hic enim de superstitibus tantùm loquitur, ille autem etiam non vitales partus enumerat, vt vel de Lothario illo planè constat, qui in Palatio Cassinogilo paucis à partu diebus mortuus & sepultus est. Irene Augusta misit Stauracium Patricium & Logothetam Dromi cum exercitu aduersus Sclauinos: quos, cùm descendisset in Thessaliam Græciámque, subiecit & tributarios fecit Imperio, atque ex Peloponneso cum multis spoliis rediit. Elipandum Toletanum Antistitem circa hæc tempora Nestorianam hæresim instaurasse volunt, cui se opposuerunt Beatus & Ætherius Presbyteri, aliíque. Ofredo Nordhumbrorum Rege mortuo, iterum ad sceptra moderanda accessit Ethelredus seu Ethelbertus eductus è carcere postremus eorum Rex ad annos 12. post cuius mortem per 33. annos Northumbria à Danis similibúsque barbaris vexata caruisse Rege perhibetur.

Anno Christi DCCLXXXIV. *regni sui 16. Carolus ad conficiendas Saxonici belli reliquias animo intento Rhenum traiicit, vastatísque Vvestfalorum pagis, venit ad Vvisuram, Carolum filium cum parte exercitus subsistere iussit, ipse per Turingiam iter faciens, depopulatis*

Orientalium Saxonum agris, qui Albi atque Salæ fluminibus adiacent, ac villis incensis, in Franciam reuersus, victorem filium Vormatiæ excepit. Vnde iterum congregato exercitu in Saxoniam profectus Natalitium Domini diem in castris super Ambram fluuium celebrauit. Annales Eginardi, Metenses, &c. Chronicon Moissiacense Albricum Episcopum & Fulradum Abbatem hoc anno vita cessisse docet. Agilfridus quoque Leodiensis Ep. mortuus circa hunc annum perhibetur ab Ægidio cap. 32. Bucherio, Miræo, &c. Mense Maio Ind. 7. Irene Imperatrix vna cum filio venit in Thraciam vsque Berrhœam, quam constrvi iussam nominauit Irenopolim. Obiit Dux Arabum Mady, eique successit filius Moyses. Kal. Septembris Paulus P. C P. cùm annis 5. & mens. 7. præfuisset, relicto throno in Monasterium Flori abiit, & monasticum suscepit habitum Imperio ignorante, breuique obiit. Successit Tharasius qui fuerat à Secretis vir nobilis creatus die Christi Natali 25. Decembris, ea conditione, vt ad constituendas res Ecclesiæ Synodus Oecumenica indiceretur. Cyneuolfo Occidentalium Saxonum Rege mortuo regnum suscepit Brittichus à Cerdicio vt volunt, decimus sextus.

Anno Christi DCCLXXXV. *regni sui* 17. *Cùm crebris vastationibus per totam hiemem Saxonum regionem ingenti clade affeciſſet Carolus, aduectis ex Franciâ commeatibus, & celebrato Conuentu generali Paderbornæ, in pagum nomine Bardengau profectus est, audiénsque Vvidikindum & Albionem esse in Transalbinâ Saxonum regione, primò eis per Saxones, vt omissâ perfidiâ ad suam fidem venire non ambigerent, suadere cœpit: Cúmque ipsi facinorum suorum sibi conscij Regis fidei se committere dubitarent, tamdem acceptâ ab eo impunitatis sponsione, atque impetratis suæ salutis obsidibus, ad Regem venerunt, & in Attiniaco villâ baptizati sunt, quieuítque illa Saxonicæ perfidiæ peruicacitas per annos aliquot. Repressa quoque fuit eodem anno solertiâ Regis valida Francorum aduersus eum conspiratio, Chronicon Moissiacense Annales Eginardi, Metrici, &c. Ducatum Angrianum Vitikindo datum memorant Germani scriptores. Ermenbertus Biturigum Patriarcha ordine XXXXII. Segoleno successit ad annos quinque dumtaxat. Hic Romam profectus cum commendatitiis Caroli literis ab Hadriano Papâ honorem Sacerdotalis Pallij suscepit, vt liquidò educet Epistola 87. Codicis Carolini, quam & Sirmondus noster retulit in Tomum II. Conciliorum Galliæ: Vnde Claudij Roberti, aliorúmque omnium nostratis Historiæ scriptorum coarguas negligentiam,*

qui ab anno 835. ad 840. sedisse Biturigibus affirmant Ermenbertum huncce nostrum. Tharasio, qui statim ab initio huius anni cum Augustâ scripserat ad Hadrianum Papam, rescripsit Pontifex non probari sibi electionem illam, quòd ex Laïco factus esset Patriarcha, verùm monere, vt vbique restituantur imagines. Reuocatum quoque Elisæum volunt è Franciâ ab Irene, ne si eius filius cum Rhotrude filiâ Caroli Magni nuptias celebraret, ipsa ab Imperij gubernatione remoueretur. De Maurogato, Veremundo, Alfonso in Hispaniâ Legionensibus Regibus consule Rodericum, Marianam, alios.

Anno Christi DCCLXXXVI. *Caroli Magni* 18. *Celebrato Attiniaci Paschate Carolus exercitum in Britanniam Cismarinam mittere constituit. Cùm enim ab Anglis ac Saxonibus Britannia Insula fuisset inuasa, magna pars incolarum eius mare traiiciens in vltimis Galliæ finibus Venetorum & Coriosolitarum regiones occupauit, & à Francorum Regibus subacta impositum sibi vectigal soluere coacta est. Eo verò tempore, quùm dicto audiens non esset, missus illuc regiæ mensæ Præpositus Audulfus, perfidæ gentis contumaciam mirâ celeritate compressit, Regémque apud Vormatiam, & obsides, quos acceperat, & complures ex populi primoribus adduxit. Rex, pace vndique partâ, statuit Romam proficisci, contractísque celeriter copiis in ipsâ hyemalis temporis asperitate Italiam ingreditur, & Florentiæ in Thusciâ Natalem Domini celebrauit. Hæc ex Annalibus Eginardi, Metricis, Metensibus, Fuldensibus, (qui obseruant Lullo Mogontiacensi Episcopo defuncto successisse Richolfum) Bertinianis, &c. Hadrianus Papa Kal. Iuliis Ind. 9. Maginario Abbati monasterij S. Dionysij in Francia, siue in Parisiaco siti dedit priuilegium, vt peculiarem ei liceat habere Episcopum: quod ex MS. edidit Sirmondus pag. 113. Tomi II. Concil. Galliæ. Idem Pontifex die 19. Septembris labente adhuc eadem Ind. 9. (siquidem 10. tantùm cœperit à die 24. Septembris) Romæ dedit Angilramno Metensi Episcopo Capitula numero 80. ex Græcis & Latinis Canonibus, Synodis Romanis atque decretis Præsulum atque Principum sparsim collecta.* Post Mosem Saracenorum Princeps factus est Aaron filius Mabdi, qui 23. annis præfuit, & multa Christianis ostendit mala, inquit Auctor Miscellæ: qui etiam ex Theophane docet Synodum C P. in quâ missi Papæ & Patr. Alexandrini & Antiocheni residebant cum Episcopis Imperio C P. subiectis, die 7. Augusti seditione plebis & militum fuisse disturbatam. Quomodo verò noxiam rebellium turbam

bam procul ab vrbe Regia ſemouerit, iidem fusè tradunt cum Anaſtaſio Bibliothecario, Ignatio in vita Taraſij die 25. Februarij, ipsóque demum Taraſio Patriarcha in epiſtola ad Hadrianum Papam.

Annus Chriſti DCCLXXXVII. *regni* 19. *Carolus Romæ de profectione ſuâ in Beneuentanam regionem cum Hadriano Pontifice & optimatibus ſuis deliberabat, quùm Aragiſus Dux Beneuentanorum miſſo Rumoaldo maiore filio ſuo rogare cœpit, ne vltra progrederetur, quod tamen non impetrauit: nam Capuam vſque cum exercitu profectus Carolus coëgit Aragiſum relicto Beneuento in Salernum munitiorem ciuitatem ſe cum ſuis conferre, miſsáque legatione cum ingenti pecuniâ filios ſuos Rumoldum & Grimoldum alióſque obſides offerre, ac fidelitatem iureiurando firmare. Quibus peractis, & Romæ celebrato Paſchate, rediit in Franciam, & in Vormatienſi Conuentu de Taſſilone, qui iuncto fœdere cum Hunnis Baioariæ ab Oriente conterminis non ſolùm imperata non facere, ſed etiam bello Regem prouocare tentabat, queſtus iniuit conſilium, vt experiretur, quid ille de promiſsâ fide præſtare vellet, ideóque diuiſo in tres partes exercitu, Pippinum filium in Tridentinam vallem miſit, Saxones & Francos Orientales ad Danubij ripam, ipſe verò ſuper Lechum fluuium, qui Alemanos & Baioarios diuidit, in Auguſtæ ciuitatis ſuburbano conſedit. Taſsilo videns ſe vndique circumſeſſum venit ſupplex, ac veniam de ante geſtis ſibi dari precatus, præter filium Theodonem alios duodecim obſides dedit, & populum per ſacramenta obſtrinxit. Inde Rex in ſuburbano Mogontiacenſi, in villâ, quæ dicitur Ingelhein, hiemauit. Chronicon Beſuenſe & Annales conſueti, quibus adde Monachum Egoliſmenſem, qui capite VIII. Vitæ Caroli Magni longam texit narrationem de contentione, quæ Romæ orta eſt Romanos inter Francóſque Cantores, & de Antiphonariis notâ Romanâ notatis, necnon de duplici Cantorum in Galliis Scholâ Metenſi & Sueſsionenſi,* &c. *quæ tu per ocium, quùm vacauerit, leges: Adibis quoque non ſine fructu pag.* 117. *Tomi II. Conciliorum Galliæ, vbi Sirmondus multa habet de Codice Canonum & Decretorum Pontificum à Siricio ad Gregorium iuniorem ab Hadriano Papâ Carolo Regi per ea tempora oblato cum epiſtola, cuius ſingulis verſibus ἀκροστιχῶς* præfixa eſt iſta ſententia: DOMINO EXCELL. FILIO CARVLO REGI HADRIANVS PAPA, *quam edidit ex vetuſtiſsimo S. Germani Pratenſis codice ſcripto an.* 805. Abderameno Saracenorum in Hiſpania principe mortuo ſucceſſit filius eius Hiſſem annis 7. menſ. 7. diebus 7. Synodus VII. Oecumenica

menſe Maio ab Irene, eiúſque filio Conſtantino conuocata in Nicæam Bithyniæ vrbem, cœpit die 24. Septembris Ind. II. Ibi præſentibus iis qui ex Romanæ Sedis & Orientalium perſona venerant & Tharaſio P. CP. aliíſque Epiſcopis recepit, inquit Miſcella, Catholica Eccleſia priſca ornamenta ſua, nihil nouum prædicans, ſed SS. Patrum dogmata immota cuſtodiens, & nouam hæreſim abdicans, tréſque falſos Patriarchas Anaſt. Conſt. & Nicetam abdicans, atque omnes conſentaneos eorum, Imperator, eiúſque mater Tomo CP. delato ſubſcripſerunt firmantes pietatem ſecundùm antiqua dogmata, *&c.* Plura de hoc Concilio aduerſus obtrectantes Hæreticos Bellarminus, Baronius, Binius, *&c.* De Adelfonſi Caſti exordio non conueniunt Hiſpani.

Anno Chriſti D C C L X X X V I I I. *Caroli Magni* 20. *In Conuentu Ingelheimenſi crimine læſæ Maieſtatis accuſatus eſt Taſſilo, quòd poſt datum filium ſuum obſidem, ſuadente coniuge Luitberga, Hunorum gentem, vt bellum contra Francos ſuſciperent, concitaſſet: alia quoque plurima obiiciebant, quorum ne vnum quidem inficiatus eſt, vnde omnium conſenſu capitali ſententiâ damnatus eſt. Verùm ex Regis clementia cum Theodone filio tonſus, & monaſticæ conuerſationi mancipatus eſt, neque regnum illud Duci ſed Comitibus ad regendum eſt commiſſum, inquit Monachus Beſuenſis. Huius porrò Taſſilonis ſepulcrum extat hoc quoque tempore Lauriſſæ non procul ab vrbe Vvormatienſi. Huni duobus exercitibus comparatis, vno Marchiam Foroiulienſem, altero Baioariam aggreſſi ſunt, ſed fruſtra; vtroque enim in loco victi fugatíque ſunt. Conſtantinus quoque Græcorum Imperator, propter negatam ſibi Regis filiam iratus, Theodorum Siciliæ Præfectum cum aliis Ducibus ſuis fines Beneuentanorum vaſtare iuſſit, ſed à Grimoaldo, Hildebrando, Vvinigiſo, aliíſque in Calabriâ ad internecionem vſque deleti ſunt. Carolus Aquiſgrani Natalem Domini celebrauit. Annales Eginardi, Metenſes, Bertiniani, Metrici, Nazariani fusè pag. VI. Tomi II. Coll. Ducheſnij, Chronicon Moiſſiacenſe, Regino, Ademarus, Sigebertus, Hermannus, &c. Caroli Magni ad Baugulfum Fuldæ Abbatem alióſque Generalem epiſtolam de ſcholis per Epiſcopia & monaſteria inſtituendis edidit Sirmondus ex codice Metenſi. Ad hunc annum Catellus refert Concilium Narbone habitum tum pro Felicis Vrgellitani peſtifero dogmate graſſante, tum pro Reddenſi pago, aliíſque negotiis: ſed neque Indictio duodecima, neque annus vigeſimus tertius Caroli Regis in huius anni V. Calendas Iulij quadrare poſſunt. Vide*

pag. 654. & 743. Commentariorum Hiſtoriæ Landgothicæ. Irene Theophanem Protoſpatharium miſit in Armeniam, adductámque ab eo puellam Mariam iunxit Conſtantino filio ſuo multum dolenti propter affectum erga filiam Caroli Regis Francorum, quam deſponſauerat. Græci cum Adalgiſo ſeu Theodato in Italiam miſſi ab exercitu Francorum debellati ſunt: quâ in re Græci cum Francis Annalibus conueniunt.

Anno Chriſti DCCLXXXIX. *regni ſui* 21. *Carolus Coloniæ tranſito Rheno per Saxoniam iter agens peruenit ad Albim, quem duobus pontibus iunxit, quorum vnum ex vtroque capite vallo muniuit, & impoſito præſidio firmauit. Ipſe ingreſſus Sclauorum terram qui noſtra conſuetudine Vvilci vel Vvinili, ſuâ verò locutione Vveletali dicuntur, & Abotritos Francis iam olim fœderatos aſſiduis inuaſionibus laceſſebant, inquit Chronici Beſuenſis Auctor Ioannes Monachus cuncta ferro & igni vaſtari iuſſit, cóſque compulit datis obſidibus & ſacramentis ſe ſuáque omnia ſubmittere. Annales Eginardi, Metrici, Metenſes, Bertiniani, &c. Vidi quoque qui depoſitionem domni Tilpini Epiſcopi III. Nonas Septembris huius anni addiceret. Hac Indictione* 12. *die* 23. *Martij Capitulare Aquiſgrani à Carolo Rege editum conſtat capitulis* 82. *quæ vulgauit Sirmondus noſter Tomo II. Paulinus Ep. vices Apoſtolicas tum apud Regem tenebat. Vnde exortum ſit prouerbium illud* τὸν Φαῦλον φίλον ἔχεις, γείτονα σὺ ἔχεις *docebit te Eginarthus in vita Caroli.* Inter Irenem eiuſque filium ſimultates exortæ, quòd annos iam 20. natus doleret nihil ſe, omnia adminiſtrare Stauracium Patricium, vt pluribus Theophanes, aliíque ex eo, qui etiam adnotant die 8. Februarij C P. horribilem terræ motum contigiſſe, & Theophilum Cibyriticorum Prætorem à Saracenis captum pro fide Chriſti intrepidè mortem obiiſſe. Dani tum primum dicuntur in Angliam veniſſe, qua de re plura dabant Matthæus Weſtmonaſterienſis, aliíque Anglicæ Hiſtoriæ Scriptores. Garſiæ II. Eneco dicto ſucceſſiſſe Garſias Fortunius in Nauarræ regno dicitur. Tu V. C. Oihenartum conſule.

Anno Chriſti DCCXC. *Caroli Magni* 22. *nulla expeditio à Rege facta eſt, ſed Vormatiæ reſidens Legatos Hunorum audiuit, & ſuos viciſſim ad eorum principes miſit. Carolum primogenitum ſuum vltra Sequanam direxit, qui cum Cenomannici Ducatus poſſeſſionem adiiſſet, ad patrem æſtiuo tempore reuerſus eſt. Ludouicus verò Toloſæ pla-*

citum Generale habuit, & Abutauri Regis aliorúmque Saracenorum regno Aquitanico collimitantium Nuntios cum donis excepit. Vvillelmus submoto Chorsone fuerat iam ab anno superiore Dux Tolosanus creatus. Hæc ex Annalibus præsertim Metensibus & Vita Ludouici Pij decerpsimus. Hoc quoque circiter tempore Monachi sancti Martini Turonensis, quod nimis delitiosè viuerent, ab Angelo percussi interierunt, vno excepto, & in eorum locum substituti Canonici. Videsis Chronicon Turonicum paginâ 358. Tomi III. Collectionis Quercetanæ. Sigebertus meminit sub huius anni periochâ Alcuini de Britannia oriundi, quem vocat delicioſum (id est charissimum) Regis Caroli Magistrum. Ioannes autem Tilius in suo breui Chronico de Regibus Francorum anno sequenti affirmat Carolum Magnum Scholam Parisiorum instituisse operâ Alcuini & Claudij Clementis, quod quâ veritate subnixum sit consule Disquisitiones Francicas Stephani Paschasij, eruditósque recentiores. Ermemberto defuncto subrogatus est Bituricensium Archiepiscopus ordine XXXXIII. sanctus Dauid ad annos, non 30. vt passim ante me nostrates Historici vniuersi, sed 20. dumtaxat. Huius curis ac potentibus apud Carolum precibus Laurentiani in primaria Biturigum vrbe Cœnobij fundationem vulgò adiudicant, in quo primam quoque volunt præfuisse Antistitam Euphrasiam nomine eiusdem Caroli naturalem filiam. Legiones in Armeniâ regimen pertæsæ muliebris Imperij, exauctoratâ Irene, Constantinum eius filium solum Imperatorem proclamant: quibus & alij exercitus consenserunt mense Octobri. Reuersus Constantinus C P. mense Decembri cæsum & tonsum Stauracium exulem fecit, aliósque, qui matri adhæserant: eodémque mense contigit incendium, quo inter alia periisse dicuntur sancti Ioannis Chrysostomi in sacram scripturam commentarij. Veremundo ad vitam monasticam translato Legionense regnum restitutum hoc vel seq. anno volunt Alfonso Casto, quem nothus frater Maurogatus Maurorum ope subnixus expulerat.

ANNO ÆRÆ CHRIST. DCCXCI. *regni sui 23. Carolus aduersus Auares, siue Hunos pugnaturus, Francis, Alemannis, Saxonibus, Baioariis, Frisonibus stipatus, bipertito procedit agmine, maximámque Pannoniæ partem vsque ad fluuium, qui dicitur Raba, seu Arrabo (eum modo Turcici & Christiani Imperij limitem esse volunt & Danubio misceri) cædibus, incendiis, rapinisque deuastat. Quo in itinere defunctum per-*

hibent Angilramum Mediomatricæ Eccleſiæ Archiepiſcopum; Chronicon Moiſſiacenſe, Monachus Engoliſmenſis, Annales, Eginarthus, qui ait tantum prædæ partum fuiſſe, quantum ex nullo alio bello, & ipſemet Carolus in Epiſtolâ, quam de Auaricâ victoriâ ſcripſit ad Faſtradam vxorem. Extat apud Sirmondum & Ducheſnium. Burchardus Herbipolenſis Ep. obiiſſe 14. Octobris dicitur hoc anno, quo iuſſu eiuſdem Caroli Regis Francorum & Langobardorum ac Patricij Romanorum collectæ ſunt Epiſtolæ, quæ Caroli aui, Pippini patris, ipſiuſque tempore, à Sede Apoſtolicâ emanarant. Theſaurum hunc vulgauit Gretſerus noſter, & ex eius editione habentur ſub finem Tomi III. Collectionis Ducheſn. pag. 703. Meminerunt ſæpe Baronius in Annalibus, Centuriatores Magdeburgenſes, & Sirmondus noſter prioribus Tomis Conciliorum Galliæ ſub titulo Codicis Carolini. Conſtantinus Imp. menſe Aprili aduerſus Bulgares mouit, & poſt leuem cum hoſtibus pugnam inglorius rediit in vrbem CP. deceptus à Pancratio Aſtrologo qui certam illi de barbaris victoriam fuerat pollicitus. Idem quoque menſe Septembri contra Saracenos in Ciliciam vſque progreſſus penuriâ aquæ regredi compulſus eſt. Alfonſus Caſtus Legionis Rex Olyſipponem Mauris eripit & cum Carolo Francorum Rege arctiſſimo fœdere iungitur. De Tiberis inundatione conſule Anaſtaſium in vitâ Hadriani. De Concilio Foroiulienſi ſub Paulino Patriarcha Aquileienſi conſule Baronium, Binium, ſimiléſque.

Anno Chriſti DCCXCII. *Caroli Magni* 24. *Felix Vrgellitanus Epiſcopus natione Hiſpanus ab Elipando Toleti Epiſcopo per literas conſultus, quid de humanitate Saluatoris Dei & Domini noſtri ſentire deberet, vtrum ſecundùm id quod homo eſt, proprius, an adoptiuus Dei filius credendus eſſet, valdè incautè adoptiuum non ſolùm pronuntiauit, ſed etiam ſcriptis ad memoratum Epiſcopum libris pertinaciſſimè prauitatem opinionis ſuæ defendere curauit. Huius rei gratia ductus ad Palatium Regis, qui tunc apud Reginum ſiue Ratiſbonam Baioariæ ciuitatem reſidebat. Vbi congregato Epiſcoporum Concilio auditus, & erraſſe conuictus, ad præſentiam Adriani Pontificis Romam miſſus eſt, vbi & hæreſim abdicauit. Rege verò ibidem æſtatem agente facta eſt contra eum coniuratio à filio maiore Pippino Gibboſo ex concubinâ Hilmitrude genito, & quibuſdam Francis, qui ſe crudelitatem Reginæ Faſtradæ ferre non poſſe aſſeuerabant, atque ideò in necem Regis conſpirauerant. Quæ cum per Ardulfum Langobardum detecta fuiſſet, ipſe ob meritum fidei ſeruatæ Monaſterio ſancti Dionyſij donatus eſt. Au-*

ctores verò coniurationis, vt rei læsæ maiestatis, partim gladio cæsi, partim patibulis suspensi. Filius attonsus in monachum in Cellam sancti Galli primùm, deinde in Prumiense cœnobium detrusus est. Præter Annales passim hîc à nobis laudatos vide Vitam Caroli auctore Eginarto, Monachum Sangallensem lib. 2. cap. 18. Chronicon Sigeberti, Moissiacense, Hildensheimense, &c. Occasione conspirationis illius suspectâ Francorum fide Carolus curam regni tradidit quibusdam seruorum suorum fisci debito subleuatis, atque in primis Rahonem Aurelianensibus Comitem præfecit, Biturigensibus Sturminium, Aruernis Bertmundum, aliisque locis alios præposuit. Adrealdus monachus Floriacensis lib. 1. de miraculis sancti Benedicti cap. 18. Sturminius autem iste idem mihi videtur cum eo qui in Vitâ Ludouici auctore incerto (quem Ademarum Monachum quidam suspicati sunt) Sturbius siue Sturmius appellatur. Regino docet à Carolo hac æstate constructum Moguntiæ pontem, vt Rhenus transiri posset. Constantinus Imperator die 15. Ianuarij matrem reuocat in aulam, mense Iulio infeliciter pugnat contra Bulgaros, qui etiam castris potiti sunt, & omni instrumento Imperatoris. Is reuersus CP. comperta quorumdam coniuratione suasu matris Nicephorum patruum suum oculis priuauit, Christophorum & Nicetam linguâ, die sabbati mense Augusto Indict. 15. hora nona. Aduertunt porrò scriptores Græcæ Historiæ post quinquennium eodem mense ac die sabbati à propria matre orbatum fuisse oculis Constantinum. Sunt quoque qui hoc anno velint à Mauris in Hispania inchoatum Valentiæ regnum.

Anno Christi DCCXCIII. *Caroli 25. Cùm idem Rex bellum à se inchoatum conficere cuperet, & Pannoniam iterum petere decreuisset, nunciatum est copias, quas Theodericus Comes per Frisiam ducebat, iuxta Vvisiram à Saxonibus esse interceptas atque deletas. Cuius rei nuncio accepto magnitudinem damni dissimulans, iter in Pannoniam intermisit. Persuasum tunc Regi erat, si inter Radantiam & Almonum fluuios (aliàs Alemoniam & Radenzam) quorum hic Danubio ille Mœno miscetur, fossa nauium capax duceretur posse commodè Danubio in Rhenum nauigari. Confestim cum omni suo comitatu eò venit, congregatáque hominum multitudine totum autumnale tempus in eo opere consumpsit. Ducta est fossa inter prædictos fluuios decem millium passuum longitudine, latitudine trecentorum pedum, sed incassum. nam propter iuges pluuias, & terram, quæ palustris erat, cœptum opus consistere non potuit. In his occupato duo valdè iniucunda de diuersis terra-*

rum partibus allata sunt: Vnum erat omnimoda Saxonum defectio: alterum, quod Saraceni Septimaniam ingressi, prælióque cum illius limitis custodibus conserto, multis Francorum interfectis victores ad sua regressi sunt. Vvillelmus Tolosæ Comes fortiter iis apud Carcassonem restitisse perhibetur. Vide Annales, quibus adde Chronica Moissiacense & Sangallense pag. 467. Tomi III. Collectionis Duchesnianæ. Constantinus Imp. aduersus Armeniacos milites rebellantes proficiscitur, & proditione Armeniorum comprehensos die 8. Kal. Iunij siue 25. Maij, Indictione prima, in festo Pentecostes, quod ab ipso peruigilio incipit, partim interfecit, partim rerum iacturis, proscriptionibus, exiliísque mulctauit. Alfonsus Legionis Rex occidisse perhibetur anno Hegiræ 177. Saracenorum 70. millia. Alij Olysipponem Lusitaniæ primariam vrbem illis eripuisse contendunt, atque arctissimam cum Carolo Magno amicitiam contraxisse.

Anno Christi DCCXCIV. *regni 26. cùm Carolus sub finem superioris anni nauigio per Radenzam Mœnum ingressus Natalem Domini celebrasset apud sanctum Kilianum in Vvirtziburgo, Paschalis festi solemnitatem peregit in Villâ Franconofurtensi, in quâ ad condemnandam hæresim Felicianam æstatis initio Concilium Episcoporum ex omnibus regni sui prouinciis congregauit. Affuerunt etiam Legati Romani Pontificis Theophylactus ac Stephanus Episcopi, Libérque probatus contra memoratam hæresim communi Episcoporum auctoritate compositus, quo omnes subscripserunt. Synodus etiam, quæ ante paucos annos sub Irene & Constantino filio eius congregata fuerat, ab omnibus abdicata est. Mortua quoque ibidem est Fastrada Regina, & Mogontiaci apud sanctum Albanum sepulta. Quibus peractis Rex bipertito exercitu Saxoniam petiit, Saxonésque omnes ad deditionem conuersi victi sine prælio Regis victoris potestati se subdiderunt, qui transmisso Rheno in Galliam reuersus Aquisgrani hiemauit. Annales Eginardi, Metrici, Metenses, Bertiniani, Fuldenses, Plebeij, &c. Chronicon Moissiacense, Rhegino, alíque. Sigebertus hæc habet: Karolus Rex non solum patria lingua sed etiam peregrinis linguis eruditus barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum bella & actus canebantur, scripsit, & memoriæ mandauit, inchoauit etiam Grammaticam patrij sermonis: mensibus anni iuxta Teutonicam linguam vocabula imposuit, ventos etiam 12. propriis nominibus appellauit, cùm antea 4. tantùm Cardinales venti nominarentur: quæ tu ex Eginartho in Caroli vita tanquam ex purissimo fonte dulcius hauries. Porrò de Francofordiensi Sy-*

nodo, & de libro Carolino, vt vocant, eiusque refutatione ab Hadriano Papa conscripta in libro de Imaginibus ad Carolum Imp. consule Bellarminum, Baronium, Binium, Sirmondum, aliósque Catholicos Tractatores, insuperhabitis, Goldasto, Cluuerio, Boxhornio, similibúsque nugatoribus Hæreticis.

Anno Christi DCCXCV. *Caroli Magni* 27. *Quamquam Saxones æstate præterita obsides dedissent & sacramenta iurassent, Rex tamen illorum perfidiæ non immemor Conuentum generalem in villa Cuffenstein, quæ super Mœnum contra Mogontiacum sita est, habuit, atque inde cum exercitu Saxoniam ingressus, pene totam populando peragrauit. Vviltzam Rex Abodritorum seu Sclauorum, quùm Albim traiiceret, in dispositas à Saxonibus insidias in ipso flumine incidit, & ab ipsis interfectus est. Annales Eginardi, aliique.* Hadrianus Papa I. Romæ mortuus est die 26. Decembris. Eodem die in eius locum sufficitur Leo III. ad annos 20. menses 5. dies 17. Qui mox per Legatos suos claues confessionis sancti Petri, ac vexillum Romanæ vrbis, cum aliis muneribus Regi misit, rogauítque, vt aliquem de suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subiectionem per sacramenta firmaret. *Missus est ad hoc Engilbertus Abbas monasterij sancti Richarij, per quem etiam tunc ad sanctum Petrum magnam partem thesauri, quem Ericus Dux Foroiulienſis spoliatâ Hunorum Regiâ, quæ Ringus vocabatur, eodem anno de Pannoniâ Regi detulerat, misit, reliquum verò inter Optimates & aulicos, cæteróſque in palatio suo militantes liberali manu distribuit. Annales Metenses, Bertiniani, Fuldenses,* &c. *Eginartus in Vitâ Caroli hæc habet:* Nuntiato etiam sibi Adriani Pontificis obitu, quem præcipuum amicum habebat, sic fleuit, ac si fratrem, aut chariſſimum filium amisisset. *Chronicon Moissiacense addit Carolum Romam ad sepulcrum Adriani transmisisse Epitaphium, quod aureis literis in marmore conscriptum iusserat in Galliâ fieri, Illud ipsum forte quod extat pag. 691. Tomi II. Collectionis Ducheſnianæ, & apud Sirmondum nostrum pag. 209. Tomi II. Conciliorum Galliæ.* Hic verò Pontifex Hæreticorum hostis fuit acerrimus, atque vt nihil dicam de Felice, aliísque, ſtrenuè oppugnauit quamdam Hiſpanorum sententiam, qui si plenilunium existeret die ſabbati, atque adeo decima quarta Luna ſabbatum esset, Paſcha non celebrabant decima quinta die, licet esset Dominica, ſed differebant in viceſimam ſecundam diem. vide Epiſtolas 96. & 97.

& 97. Carolini Codicis seu Compilationis à Gretsero nostro euulgatæ. Hîc quoque obserua eos qui in annum seq. differunt Hadriani obitum, annum à mense Septembri, vel ab ipso Natali Domini exordiri. Constantinus Imp. exosam coniugem suam Mariam suasu matris totondit mense Ianuario, Saracenos vicit Maio, Augusto verò Theodatam cubicularia coronauit in Augustam, eámque desponsauit, ac nuptiarum principia per dies 40. celebrauit. Hinc verò orta Platonis Abbatis cum Tarasio atque ipso Imperatore dissensio, quam indicare dumtaxat sufficit. Ethelredo Northumbrorum Rege à suis interfecto Danísque regiones illas vastantibus per 33. annos regnum legitimo Principe caruisse dicitur, donec eiectis illis prædonibus exteris, Egbertus Occidentalium Saxonum Rex illud occupauit anno sæculi sequentis vigesimo octauo.

Anno Christi DCCXCVI. *regni sui* 28. *Carolus cum exercitu Saxoniam petiit, Pippinum verò filium suum cum Italicis ac Baioaricis copiis in Pannoniam ire iussit, & ipse quidem Saxoniâ magna ex parte vastatâ ad hyemandum Aquisgrani Palatium reuertitur, Pippinus autem Hunis trans Tizam fluuium fugatis, eorum regiâ ex toto destructâ, direptísque opibus ad patrem Aquisgrani hyberna habentem venit. Annales Eginardi, Metenses, aliíque. Hoc fermè tempore Theodulfus Aurelianensis Episcopus doctissimus edidit Capitulare ad parochiæ suæ sacerdotes, in quo saluberrima, tum Presbyterorum propria, tùm communia, quibus subditas sibi plebes informare debeant, vitæ Christianæ documenta describuntur, 46. capitulis comprehensum. Extat Tomo II. Conciliorum Sirmondi, qui in notis ostendit Baronium seriùs illud, quàm par fuit, in annum Christi* DCCCXXXV. *coniecisse. Ludouicus Aquitaniæ Rex Hermengardim filiam Ingramni Comitis in vxorem ducit, vt discimus ex eius Vitæ auctore Anonymo.* De Terræ motu tum in Sicilia & Creta mense Aprili, tum Maio in vrbe Regia, de victoria Constantini aduersus Cardamum Bulgariæ dominum, de eiectis Platonis Monachis, consule Theophanem, Miscellam, *&c.* qui etiam referunt mense Octobri natum Imperatori filium, quem Leonem cognominauit, eiúsque matrem Irenem de deponendo filio cum Proceribus conspirasse. Offa Merciorum Rex obiit die 26. Iulij post 39. imperij annos, cui suffectus ad paucos menses Ecfertus an. seq. successorem nactus est Ceuulfum ad annos 24.

Is Edelberto Cantiæ Regi capto oculos eruit manúsque præscidit, vt docent Will. Malmesb. aliíque Angl. Hist. scriptores.

Anno Christi DCCXCVII. *Caroli Magni* 29. *Barcinona ciuitas in limite Hispanico sita, quæ alternante rerum euentu, nunc Francorum, nunc Saracenorum ditioni subiiciebatur, tandem per Zatum Saracenum, qui tunc eam inuaserat, Regi reddita est. Namis æstatis initio Aquisgrani ad Regem venit, séque cum memoratâ ciuitate spontaneâ deditione illius potestati submisit. Quâ receptâ Rex filium suum Ludouicum ad obsidionem Oscæ cum exercitu in Hispaniam misit, & ipse more solito ad contundendam perfidæ gentis contumaciam Saxoniam vastaturus intrauit, & vsque ad vltimos fines eius, quâ inter Albim & Viſuram Oceano abluitur, accessit. Inde regressus, cùm Aquasgrani venisset, ibíque Abdellam Saracenum de Mauritaniâ ad se venientem suscepisset, Legatúmque Nicetæ Patricij, qui tunc Siciliam procurabat, literas Imperatoris Constantinopolitani deferentem audisset, consilium iniit, vt ad conficiendum Saxonicum bellum in ipsâ regione hyemaret. Castris igitur super Viſuram mediante Nouembrio positis consedit, & locum Heristell vocari iussit. Illuc Pippinum de Italicâ, & Ludouicum de Hispanicâ expeditione regressos, ad se venire iussit. Ibi Legatos Hunorum audiuit, & Legatum Adelfonsi Regis Asturicæ atque Gallæciæ sibi dona deferentem suscepit. Inde iterum Pippinum ad Italiam, Ludouicum ad Aquitaniam misit. Annales Eginardi, Bertiniani, Metenses, aliíque.* Constantinus Imp. profectus validis copiis aduersus Saracenos suorum proditione redit C P. vbi mortuus est Kal. Maij filius eius Leo, quem vehementer luxit. Is deinde cùm die Augusti 19. ab equestri agone ad S. Mamantem transiret, & compertâ suorum conspiratione in Orientem fugere cogitaret, ab iisdem comprehensus sabbato mane deductus ad vrbem, & inclusus in domo Purpureâ, in qua natus fuerat, circa horam nonam tanta crudelitate excæcatus est, vt paullò post moreretur: obtenebratus autem est Sol per dies septemdecim. Irene sola tum imperare cœpit ad annos sex, quæ Nicephorum ac Christophorum mariti sui fratres Athenas relegatos ibidem iussit interfici, Vide Theoph. Misc. Cedr. alios.

Anno Christi DCCXCVIII. *Caroli Magni* 30. *Saxones Transalbiani Legatos Regis interfecerant, quâ re grauiter ille commotus congregato exercitu in loco, cui Munda nomen, super Viſuram castra posuit, & vltor necis Legatorum suorum, quidquid Saxoniæ inter Al-*

bim ac Vviſiram interiacet, totum ferro & igne vaſtauit. Tum Aquiſgranum reuerſus, Legatos Irenes Imperatricis audiuit (Conſtantinus quippe filius eius propter morum inſolentiam à ſuis comprehenſus anno ſuperiore fuerat excæcatus, vnde patet Hiſtoriæ Francicæ cum Græcâ concatenatio) ac Siſinnium fratrem Taraſij Conſtantinopolitani Patriarchæ olim in prælio captum domum redire permiſit. Venêre quoque de Hiſpaniâ Legati Adelfonſi Regis munera deferentes, quæ ille de manubiis, quas victor apud Oliſipponam ciuitatem à ſe expugnatam ceperat, Regi mittere curauit, Mauros videlicet ſeptem cum totidem mulis atque loricis. Inſulæ Baleares, quæ nunc ab incolis earum Maiorica & Minorica vocitantur, à Mauris piraticam exercentibus deprædatæ ſunt. Hoc anno ſidus Martis in toto cœlo non comparuit. Annales Eginardi, Metrici, Metenſes, Bertiniani, &c. quorum ſignatè aliqui obſeruarunt Stellam Martis à ſuperioris anni Iulio ad huius Iulium videri non potuiſſe. Cùm Felix Vrgelitanus bis iam damnatus ad Epiſtolam Alcuini, quâ illum, vt meliorem mentem reſumeret, hortabatur, virulento libello, in quem priſtinæ hæreſeos capita omnia coniecerat, reſpondiſſet, aduerſus hunc coacta eſt Romæ Synodus, in quâ & impius liber confutatus eſt, & Felici, niſi reſipiſceret, anathema dictum. Vide Sirmondum Tomo II. Conciliorum Galliæ. Maior, Boëtus, Leſlæus, ſimiléſque Scoticæ Scriptores Hiſtoriæ hunc annum celebrant initi primùm fœderis inter Carolum Magnum & Regem Scotorum Achaium miſſis in Galliam Guillelmo Regis illius fratre & Rabano viro docto, quem Pariſiis ſubſtitiſſe contendunt. qua de re alibi diſputandum. Habdimelich Rex Saracenorum aduerſus Romanos pugnans vicit, multámque conſecutus eſt prædam.

Anno Chriſti DCCXCIX. *Caroli Magni* 31. Romæ Leo Papa cum Litaniâ proceſſurus VII. Kal. Maij ſiue 25. Aprilis ipſo feſto S. Marci die de Lateranis ad Eccleſiam Beati Laurentij, quæ ad Craticulam vocatur, equo ſedens pergeret, in inſidias à Romanis poſitas iuxta eamdem baſilicam incidit; Vbi equo deiectus, erutis oculis, linguâ quoque amputatâ nudus ac ſemiuiuus in plateâ relictus eſt. Deinde iuſſu eorum, qui huius facti auctores fuere, in Monaſterium ſancti Eraſmi Martyris, velut ad curandum miſſus, Albini cubicularij ſui curâ noctu per murum demiſſus, à Winigiſo Duce Spoletano, qui audito huiuſmodi facinore Romam feſtinus aduenerat, ſuſceptus, Spoletum deductus eſt. *Carolus habito generali conuentu ſuper Rhenum in loco, qui Lippenhein vocatur, ad*

Padabrunam accessit, quò cum veniſſet Romanus Pontifex, honorificè ab illo ſuſceptus eſt, & poſt aliquot dies Romam per Legatos Regis reductus, in locum ſuum reſtitutus eſt. Hyemabat Aquiſgrani Carolus, quùm Vido Comes ac Præfectus Britannici limitis, qui eodem anno totam Britonum prouinciam perluſtrauerat, arma Ducum qui ſe dediderunt, inſcriptis ſingulorum nominibus, detulit. Allata ſunt & ſigna, quæ occiſis in Maioricâ Mauris prædonibus erepta fuerunt. Azan quoque Saracenus, Præfectus Oſcæ, claues vrbis, cum aliis donis miſit, & Monachus quidam de Hieroſolymis veniens benedictionem & reliquias de loco Reſurrectionis Dominicæ, quæ Patriarcha Regi miſerat, detulit. Annales Eginardi, Plebeij, Fuldenſes, Bertiniani, Metenſes, Sigebertus, Ado, Rhegino, Hermannus, Chronicon Moiſſiacenſe, Anaſtaſius Bibliothecarius fuſiſſimè in vita Leonis III. Theophanes in Annalibus, Conſtantinus Manaſſes, qui vocat Leonem τῶν ἄλλων ἱεροπόλων ἀρχιερέα, & Alcuinus, ſeu quis alius, in Poëmatio, quod extat in laudem Caroli Magni paginâ 194. Tomi II. Collectanorum Ducheſnij, vbi diſertè effoſſionem oculorum notat his verſibus.

Carnifices geminas traxerunt fronte feneſtras,
Et celerem abſcindunt lacerato corpore linguam:
Sed manus alma Patris oculis medicamina ademptis
Obtulit, atque nouo reparauit lumine vultum.
Ora peregrinos ſtupuerunt pallida viſus,
Explicuit celerem truncatáque lingua loquelam.

Tum ſub calcem opuſculi Carolus Rex, &c.

Miratur geminas iamdudum luce feneſtras
Extinctas, & nunc reparatum lumine vultum,
Truncatámque loqui miratur forcipe linguam, *&c.*

Ipſe quoque Poëta Saxo in Annalibus Metricis copioſè deplorat infelicem Pontificis caſum:

O quam triſte nefas mortalia pectora crebrò
Concipiunt, quam præcipiti ſubuerſa profundo
Nequitiæ, dum non leges, non iura verentur,
Horrificos nimiùm cœci labuntur in actus:
Teſtis hic eſt annus, quo res indigna relatu
Crimine Romuleam ſæuo maculauerat vrbem, *&c.*

Quæ pluribus firmanda ſuſcepi, vt Lector deteſtetur impudentiam inſcitiámque Caluiſij, ſimiliúmque Heterodoxorum, quibus fictum videtur miraculum illud de effoſſo vtróque oculo & abſciſsâ linguâ diuinitus reſtitutis: quíque Letaniam maiorem à diebus Rogationum qui hoc anno

fuerunt 6. 7. & 8. Maij, discernere nequeunt, nec capere verba Anastasij Bibliothecarij, quæ indicant secundùm olitanam traditionem biduo ante, in Natali & Ecclesiâ B. Georgij Martyris prædicatam, hoc est annunciatam fuisse, indictámque Letaniam, non verò peractam. Atque hæc obiter in gratiam Fidei Catholicæ aduersus perfidos eius calumniatores dicta sunto. Qui Vitam Alcuini conscripsit, narrat Carolum Regem, vt Felicianam hæresim expugnaret, magnam Synodum Episcoporum in Aquisgrani Palatio congregasse, in eáque Alcuinum & Felicem Regis iussu diebus aliquot conflixisse, ita vt à secundâ vsque ad septimam sabbati, vix aliud gestum sit, victum se denique Felicem voce fletúque testatum esse. Videndi in eam rem tum Alcuinus libro primo aduersus Elipantum, tum & ipse Felix in Confessione fidei, quam post hoc Aquisgranense Concilium præsente Leone Apostolico & Episcopis LVII. celebratum in domo B. Petri Apostoli, ad suos Vrgellitanos scripsit. Ericus Foroiulienſis Dux ex insidiis trucidatur à subditis, Geroldus verò Baioariorum Dux ab Hunnis circumuentus cadit. Achamirus Sclauinorum Belzitiæ Princeps mense Martio huius 7. Indictionis filios Constantini voluit ad imperium promouere: verùm omnium illorum oculos Irene iussit eiui, & Paschalis festiuitatis secunda feriâ processit à SS. Apostolis in curru aureo vecta, qui quatuor albis equis trahebatur, & à quatuor Patriciis tenebatur. Eadem mense Maio grauiter ægrotauit ac pæne depositа est.

Anno Christi DCCC. *Caroli Magni* 32. *Medio ferè Martio Rex Aquisgrano digressus littus Oceani Gallici perlustrauit, & in ipso mari, vbi tunc piraticam exercebant Nordmanni, classem instituit, præsidia disposuit, sanctum Pascha Centulæ apud sanctum Richarium celebrauit. Inde iterum per littus maris agens Rotomagum ciuitatem venit: ibique Sequanâ amne transmisso Turonos ad sanctum Martinum cum tribus filiis Carolo, Pippino, ac Ludouico, orationis causâ profectus est, vbi Luitgarda coniux eius Pridie Nonas Iunij (mendosè quidam habent Idus) defuncta, & ibidem humata est. Inde per Aurelianos & Parisios Aquisgranum reuersus est. Tùm mense Augusto inchoante Generali Conuentu Moguntiaci habito iter in Italiam indixit, adiit Rauennam, Anconam, ac tandem Romam. Cui pridie quam illò veniret Leo Papa apud Nomentum duodecimo ab vrbe lapide occurrit, & cum magna veneratione ibidem susceptus est. Post cœnam, quâ simul refecti sunt, illo ibi manente, Pontifex ad vrbem processit, posteróque die, qui fuit 24. Nouembris in gradibus basilicæ Beati Petri Apo-*

ſtoli cum Epiſcopis & vniuerſo Clero conſiſtens, aduenientem Regem, equóque deſcendentem Deo laudes dicendo & gratias agendo ſuſcepit, & cunctis pſallentibus in Eccleſiam introduxit. Poſt ſeptem verò dies concione vocatâ, cur Romam veniſſet, omnibus patefecit, & Romanus Pontifex coram omni populo in eadem Beati Petri baſilica, ſancta quatuor Chriſti Euangelia amplectens, ambonem conſcendit, inuocatóque Trinitatis nomine de obiectis criminibus ſe iureiurando purgauit, his verbis: Quia de iſtis falſis criminibus, quæ ſuper me impoſuerunt Romani, qui iniquè me perſecuti ſunt, ſcientiam non habeo, nec talia egiſſe me cognoſco. Eadem die Zacharias Preſbyter, quem Rex Hieroſolymam miſerat, cum duobus Monachis, quos Patriarcha cum eo ad Regem miſit, Romam venit. Ij benedictionis gratiâ claues Sepulcri Domini ac loci Caluariæ cũ vexillo detulerunt: claues quoq; ciuitatis ipſius & montis Olineti.

Ipſe autem Rex cùm die ſacratiſſimâ Natalis Domini ad Miſſarum ſolemnia eandem Beati Petri Baſilicam fuiſſet ingreſſus, & coram altari, vbi ad orationem ſe inclinauerat, aſſiſteret, (aliàs, ante Confeſſionem Beati Petri Apoſtoli) Leo Papa, ob egregia illius in Eccleſiam Romanam Chriſtíque Vicarios merita, nihil tale ſuſpicantis capiti coronam impoſuit, populo Romano ter vnanimi voce acclamante, CAROLO PIISSIMO, AVGVSTO, A DEO CORONATO, MAGNO, PACIFICO, IMPERATORI ROMANORVM, VITA ET VICTORIA. *Ita ab omnibus conſtitutus Imperator, oleo ſancto à Pontifice illicò eſt inunctus, ab eóque more antiquorum Principum adoratus, & qui antea Rex Francorum ac Langobardorum & Patricius Romanorum vocabatur, exinde ablato Patricij nomine,* IMPERATOR & AVGVSTVS *eſt appellatus. Hanc inaugurationem plerique Annalium ſcriptores Chronologi, licet ad præſentem annum Iulianum pertineat, in proximè ſequentem annum differunt, quia Romæ olim Clerici plurimi, annum, non à Kalendis Ianuarij, ſed à præcedenti Chriſti Domini Natali, auſpicabantur. Adi Poëtam Saxonem ipſo libri quarti Annalium de Geſtis Caroli Magni initio.*

Feſta dies Cœlis, eadem celeberrima terris,
Virginei partus Chriſtíque refulſerat ortus,
Poſt octingentos ex quo proceſſerat annos
Tectus ſeruilis Dominus velamine formæ.
Et iam Natalis tanti cumulauerat omnem
Lætitiâ Romam Caroli præſentia Regis.
Hic cum Miſſarum ſacro ſolemnia ritu
Incipienda forent, &c.

Annales Plebeij, Fuldenſes, Eginardi, Metenſes, Bertiniani, &c. *Chronicon Moiſſiacenſe, vbi multa de imperio lectu non iniucunda, Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita Leonis III. Alcuinus Epiſtolis* 12. & 13. *Ado, Sigebertus, Hermannus, Regino,* &c. *Ademarus, ſeu quis alius Monachus Egoliſmenſis cap.* 14. & *Eginardus in Vitâ, vbi inter cætera:* Quo tempore & Imperatoris & Auguſti nomen accepit, quod primò in tantum auerſatus eſt, vt affirmaret ſe eo die, quamuis præcipua feſtiuitas eſſet, Eccleſiam non intraturum fuiſſe, ſi Pontificis conſilium præſcire potuiſſet: Conſtantinopolitanis tamen Imperatoribus ſuper hoc indignantibus magnâ tulit patientia, &c. *Conſtantinus Manaſſes in Chronicâ Synopſi Politicis verſibus Græcè ſcripta.*

Καικεφαλῆς μέχρι ποδῶν ἐλαίῳ τὸν χρίσ.

Theophanes quoque in Chronographiâ: Γενομένης δ Ῥώμης ἀπ' ἐκείνου χωρὶς τῆς ἐξουσίας τῶν Φράγκων ὁ δὲ τὸν Καρούλον ἀμειβόμενος, ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα τῶν Ρωμαίων ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Πέτρου χρίσας ἐλαίῳ ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν καὶ περιβαλὼν βασιλικὴν ἐσθῆτα καὶ στέφος μηνὶ Δεκεμβρίῳ κε'. Ινδ. θ. Εἰρήνης τὸ δεύτερον ἔτει δ'. *Auctor Miſcellæ iis verbis expreſſit: Carolo vicem recompenſans in Imperatorem coronauit eum in templo S. Petri Apoſtoli perungens oleo à capite vſque ad pedes & circundans Imperatoria veſte atque corona* 8. *Kal. Ianuarij Indictione nona.* Stauracius Patricius, vt iidem Scriptores docent, menſe Iunio huius anni, labente adhuc Indictione 8. defunctus eſt, cùm ſibi falsò ſemper ſuaderet, deluſus ab adulatoribus, quòd victurus eſſet ac regnaturus. Cæterum de Tranſlatione Imperij à Græcis ad Gallos & à Gallis ad Germanos plura aduerſus nouantes Hæreticos ſubminiſtrabunt Bellarminus, Baronius, Sigonius, ſimiléſque.

NONVM ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM, CAROLI MAGNI IMPERATORIS ET POSTERORVM.

Ab anno Domini IESV 801. *M.* 4854. *Romæ* 1554. *ad annum Christi* 900. *M.* 4953. *Romæ* 1653.

OCTINGENTESIMO PRIMO *Æræ Christianæ anno Caroli Magni Regis Francorum* 33. *Imperatoris Romanorum primo, paucis ab inauguratione diebus iubente Carolo, ij, qui Pontificem anno superiore deposuerant, in iudicium adducti, habitáque de iis quæstione, secundùm legem Romanorum, vt rei læsæ maiestatis, capite damnati sunt: sed ex clementiâ Papæ in exilium dumtaxat expulsi tam diræ factionis principes, Paschalis Nomenclator, Campulus Sacellarius, aliique Romanæ vrbis habitatores nobiles. Ordinatis deinde totius Italiæ, non tantùm publicis, sed etiam Ecclesiasticis, & priuatis rebus, missáque in Beneuentanos iterùm expeditione, cum Pippino filio suo post Paschа VII. Kalendas Maij Româ profectus, Spoletum venit. Vbi dum esset pridie Kalendas Maij, hora noctis secundâ, terræ motus maximus factus est, quo tota Italia grauiter concussa est. Nam & tectum Basilicæ Diui Pauli Apostoli magnâ ex parte cum suis trabibus decidit, & in quibusdam locis vrbes montésque ruerunt. Eodem anno loca quædam circa Rhenum, & in Gallia, & in Germaniâ tremuerunt. Imperator Spoleto Rauennam Papiámque perrexit, vbi nunciatum Legatos Aaron Regis Persarum portum Pisas intrasse. Tùm celebrato die Natalis sancti Ioannis apud Eporhediam Alpes transgressus in Galliam rediit. Ipsa æstate capta est Barcinona ciuitas in Hispaniâ iam biennio obsessa (tardiùs ista consignat Auctor Vitæ Ludouici Pij, neque in hisce omnibus cum Annalibus consentit) Zatus seu Zaddo Præfectus eius & alij complures Saraceni comprehensi: Et in Italiâ Reate (aliàs Theate) ciuitas similiter capta, & incensa est, eiúsque præfectus Roshelmus vnâ die cum Zato ad præsentiam Imperatoris deductus, & exilio damnatus est. Annales Eginarthi, Metenses, Fuldenses, &c. Langobardorum*

leges

leges recensitas idem Princeps Mutinæ promulgauit anno regni Francici 33. Italici 28. Consulatu primo, hoc est Imperij Romani anno primo. Sanctus Saluius Episcopus Egolismensis veniens ab Aquitaniâ ad fiscum Valentianas à Vvinigardo filio Genardi procuratoris ipsius fisci martyrizatur, & super eius corpore requirendo Carolus Magnus Imperator diuinitus tertiò admonitus, corpus quidem inuentum honorificè sepeliuit; interfectores autem eius graui pœnâ mulctauit. Hæc Sigebertus sub huius anni periochâ, & Bucherius noster in Chronico Leodiensium Præsulum. In erratis autem pro martyrio eleuationem substituit. Eginartus lib. 4. de Translatione SS. Martyrum Marcellini & Petri cap. 9. hæc habet: Georgius Presbyter & Rector monasterij S. Saluij Martyris, quod in pago Fanomartensi, in Vico Valentianas appellato, in ripâ Scaldis fluuij situm est. Aëtius Patricius liber à Stauracio factus imperium in fratrem transferre satagebat, quem & Monostrategum fecit in Thrace simul & Macedonia. Eam ob rem obstitit quominus Irene Caroli Magni nuptias per Apocrisarios ab ipso & Leone Papâ directos oblatas acceptaret. Ea verò mense Martio huius nonæ Indictionis Byzantinis ciuilia tributa donauit.

Anno Christi DCCCII. *Caroli Magni* 34. *Imperator æstatis tempore in Arduennâ venationi indulgens misso exercitu Transalbianos Saxones vastauit. Orthona ciuitas Italiæ in deditionem est accepta, quemadmodum & Nuceria (aliàs Luceria) in quâ Francorum præsidium positum est. XIII. Kal. Augusti venit Aquas grani Isaac (qui anno superiore portum Veneris intrarat & Vercellis hiemauerat) cum elephante, cui nomen Abulabaz, & ceteris muneribus, quæ à Rege Persarum missa fuerant. Cùm verò Constantinopoli morarentur Iesse Ambianensis Episcopus, Helingaudus Comes, aliique Legati Caroli Imperatoris ad Imperatricem Irenem missi pacis confirmandæ gratia inter Francos & Græcos, vel, vt alij, pro ineundo cum eâ coniugio, Nicephorus pridie Kal. Nouembris feriâ 2. imperium inuadit. Hæc & alia Annales Francici, &c. Addit quoque Moissiacense Chronicon Conuentum generalem hoc anno Aquisgrani celebratum, vbi causâ Clericorum & Monachorum plurima fuere decreta.* De Nicephoro Patricio & Logothetâ Generali ἀπὸ γενικῶν dicto, qui tyrannidem exaucoratâ Irene arripuit, consule Theoph. Anast. Miscel. Cedr. Zon. Glycam, ceterósque Byzantinæ Historiæ Scriptores; qui asserunt periurum illum perditúmque Imp. dominam suam thesauris omnibus spoliatam protinus exilio relegasse apud

Principem insulam in monasterium, quod ipsa ædificauerat, cùm adhuc essent in vrbe Legati Caroli, & quæ agebantur, aspicerent. Ea verò deducta est in insulam Lesbum tam cautè custodita, vt à nemine conspiceretur, vsque ad diem 9. Augusti an. sequentis, quo defuncta est, & translatum corpus eius in Principem illam insulam: De Altinensi in Italia Synodo consule Baronium, ex eóque Binium. Quòd verò adducit de Academiis Papiensi siue Ticinensi à Carolo Magno instituta, & Bononiensi renouata, hoc in antiquis Annalibus non reperi.

Anno Christi DCCCIII. *Caroli Magni* 35. *Legati Nicephori Græcorum Imperatoris ad Carolum veniunt in Germania super fluuium Salam in loco, qui dicitur Sels, & conditione faciendæ pacis in scripto susceptâ, cum epistolâ eiusdem Imperatoris Constantinopolim reuersi sunt. Carolus verò in Baioariam profectus dispositis Pannoniarum causis Decembri mense Aquisgranum reuersus Natalem Domini celebrauit. Annales Eginarti, Metenses, qui venationis bubalorum in saltu Hircano meminerunt, Bertiniani, aliique, Interim Ludouicus Aquitaniæ Rex, si qua fides Chronico Moissiacensi, collecto exercitu ex Aquitania, Vasconia, Burgundiâ, Prouincia, & Gothia, Barcinonem cepit, eiúsque Regem Saton seu Zaddonem compedibus vinctum ad patrem misit in Franciam. At Vita Ludouici captum quidem hoc anno tradit Zaddonem, sequenti verò videtur obsidionem deditionémque Barcinonis affigere.* Nicephorus die 4. Maij feria 5. (non verò ipsis Nonis Maij, vt habet Miscella) ad suburbana Chalcedonis conscenso equo mansuetissimo ab eo deiectus dextrum pedem contriuit. Die 19. Iulij feria 4. Bardanes Patricius & Prætor Orientalium, cognomine Turcus, ab exercitu appellatur Imperator: verùm is metu belli ciuilis sponte abdicauit, & tonsus, indutúsque stolâ monasticâ abiit in insulam Primam: vbi anno sequenti à quibusdam Lycaonensibus luminibus orbatus est. Nicephorus filium suum Stauracium mense Decembri iussit per Tarasium Patr. in ambone maioris Ecclesiæ coronari Imperatorem, aspectu, robore, ac sensu ad tantam dignitatem prorsus inutilem.

Anno Christi DCCCIV. *Caroli* 36. *Imperator æstate ducto in Saxoniam exercitu Conuentum Francorum habuit iuxta Lippiæ fontem, omnésque, qui trans Albim & in Vvigmoti habitabant, Saxones cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam, ad* 10. *millia fuis-*

ſe aiunt, & pagos Tranſalbianos Abotritis dedit. Godefridus Danorum Rex de perfugis reddendis cum Carolo paciſcitur, qui medio Septembri Coloniam, inde Aquiſgranum venit: Cúmque nunciatum ei eſſet Leonem Papam Natalem Domini ſecum celebrare velle, obuiam illi miſit Carolum filium ad ſanctum Mauritium; ipſe verò Remos profectus, Papam primò Cariſiacum villam, vbi Natalem Domini celebrauit, deinde Aquiſgranum perduxit, & donatum magnis muneribus per Baioariam Rauennam vſque deducendum curauit: Occaſionem profectionis fuiſſe docent rumorem ſparſum de ſanguine Chriſti Domini Mantuæ reperto, qui etiamnum ſeruari dicitur in Baſilica S. Andreæ, inſtituto in eius honorem Equeſtri Redemptoris ordine anno 1608. à Vincentio Duce Mantuano. Monachus Engoliſmenſis, Annales Eginarthi, Metenſes, Fuldenſes. Metrici vero nulla facta tranſmigrationis Saxonicæ mentione percuſſum fœdus Francos inter & Saxones anno ſuperiore celebrant, præſenti verò profectionem Romani Pontificis dumtaxat deſcribunt. De Oſnabrugenſis aliorúmque in Germania Epiſcopalium Sedium erectione dotatione ac priuilegiis conſule Crantzium, ſimiléſque. Obiit XIV. Kalendas Maij prouecta admodum ætate Alcuinus Albinus, cognomento Flaccus Philoſophus Abbas S. Martini Turonenſis, Chronica Hildensheimenſe, Floriacenſe, Senonenſe cum Odorano, aliiſque. Beda eius meminit iam ab an. 731. vt peritiſſimi. Hoc anno multi narrant non ſolùm Vverdæ ad Rhenum in diœceſi Colonienſi à Leone Papa in ſanctos relatum fuiſſe S. Suitbertum coram Gerbaldo Leodienſi, Folquino Morinenſi, & aliis Epiſcopis. Vide S. Ludgerum cap. 9. ſed etiam conſecratum fuiſſe præſentibus eodem Leone ſummo Pontifice, Carolo Imperatore, ac pluſquam trecentis Præſulibus, altare maius Cœnobij ſancti Saluatoris Anianæ in Galliâ Narbonenſi: Verùm fatetur Catellus ſubleſtæ fidei eſſe, valdéque ſuſpectum eiuſmodi inſtrumentum. Nicephorus Imp. menſe Auguſto Saracenis in Phrygia occurrit, & ab iis vincitur. Baronius partem Saxonum vult Caroli iuſſu fuiſſe Romam tranſlatam, iiſque datum vicum illum, vbi hodie viſitur Xenodochium S. Spiritus in Saxia vulgò dictum. *De Saxonibus ad Ligerim in Bituricenſi tractu collocatis ac de Saxiaco vico & Sancerra expectamus Diatribam V. C. Iacobi Choleti Bituricenſis in ſuprema Pariſiorum Curia Aduocati celeberrimi.*

Anno Chriſti DCCCV. *Caroli Magni* 37. *Imperator miſit exercitum ſuum cum filio ſuo* Carolo *in terram Sclauorum, qui Behemanni vocantur, qui omnem illorum patriam depopulatus, Ducem eo-*

rum nomine Lechonem occidit, & inde regressus in Vogesum siluam ad patrem venit. Is Iulio mense Aquisgrano profectus per Theodonis villam & Metis transiens Vogesum petiit, ibique venationi vacans post reuersionem exercitus, in Rumerici castello aliquantum temporis moratus, ad hyemandum in Theodonis villâ palatio suo consedit, & venientes filios suos Pippinum & Ludouicum excepit. Ibidem editum fuit Capitulare illud Dominicum, quod Sirmondus exhibet pag. 254. Tomi II. Annales Metenses, Einharti, Metrici, &c. Aaron Princeps Saracenorum abit in Persidem ad sedandos tumultus, quam nactus occasionem Nicephorus Imp. ædificauit Ancyram Galatiæ aliásque vrbes. De Ioanne eiusque filio Mauritio Venetorum Ducibus à Carolo Romanorum Imperatore ad partes Græcorum digressis & de eorum successore Obelerio sub Caroli auspiciis aduersus desertores & Græcos dimicante consule Sigonium, Blondum, Sabellicum, similésque Rerum Italicarum Scriptores: qui anno seq. testantur missum à Nicephoro C P. Imp. Nicetam quemdam ab amicitia Caroli Venetos abalienasse.

Anno Christi DCCCVI. *Caroli Magni* 38. *Conuentum habuit Imperator in Theodonis villâ cum Optimatibus Francorum de pace constituendâ inter filios suos, & diuisione Regni faciendâ in tres partes, vt sciret vnusquisque illorum, quam partem regere deberet, si patre mortuo superstitem esse contingeret. De hac partitione est testamentum factum VIII. Idus Februarij die Veneris (charta diuisionis illius extat pagina 88. Tomi II. Collectionis Duchesnianæ) & iureiurando ab optimatibus Francorum confirmatum, ac per Einhardum missum Leoni Papæ, vt ipse suâ manu subscriberet. Quibus peractis & dimissis Pippino & Ludouico in regna sibi deputata, de Villâ Theodonis per Mosellam & Rhenum secundâ aquâ Nouiomagum nauigauit, ibique quadragesimale ieiunium & Pascha celebrauit. Inde post non multos dies Aquisgranum veniens Carolum filium suum in terram Sclauorum, qui dicuntur Sorabi, cum exercitu misit. Eodem anno in Corsicam insulam contra Mauros, qui eam vastabant, classis de Italia à Pippino missa est, cuius aduentum Mauri non expectantes abscesserunt. In Hispaniâ Nauarri & Pampilonenses, qui superioribus annis ad Saracenos defecerant, in fidem recepti sunt. Eclipsis Lunæ quarto Nonas Septembris Sole stante in XIII. (aliàs XVI.) parte Virginis, Lunâ autem in XIII. parte Piscium. Monachus Engolismensis & Annales Einardi, Metenses, ac præsertim Metrici.* Obiit S. Tarasius Patr. C P. die 25. Februa-

rij, poſtquam annis 22. Eccleſiam rexiſſet, eiúſque corpus delatum fuit in monaſterium, quod exſtruxerat in faucibus Ponti, feria quarta primæ hebdomadis Ieiuniorum: & in eius locum ipſo ſacri Paſchatis die S. Nicephorus ex Laïco vir eloquens Imp. à Secretis ordinatus eſt, Platone & Theodoro Studitâ Abbatibus non conſentientibus. Aaron Saracenorum Amiras in Romanorum fines 300. hominum millia eduxit, multáſque munitiones captas diruit. Huic, cùm parem ſe non videret Nicephorus, obtulit per vnumquemque annum tricena numiſmatum millia & tria in capitis ſui totidémque in filij tributum.

Anno Chriſti DCCCVII. *Caroli Magni* 39. *pridie Kal. Februarias fuit Luna XVII. quando ſtella Iouis quaſi per eam tranſire viſa eſt, & III. Idus Februarij fuit Eclipſis Solis media die, ſtante vtroque ſidere in XXV. parte Aquarij. Iterum IV. Calendas Martias fuit Eclipſis Lunæ, & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis, & Sol ſtetit in XI. parte Piſcium, & Luna in XI. parte Virginis. Nam & Stella Mercurij XVI. Kalendas Apriles viſa eſt in Sole quaſi parua macula nigra paululùm ſuperiùs medio centro eiuſdem ſideris, quæ per octo dies conſpecta eſt. Iterum menſe Auguſto XI. Kal. Septembris eclipſis Lunæ facta eſt hora noctis tertia, Sole poſito in quinta parte Virginis, & Luna in quintâ parte Piſcium; ſícque ab anni ſuperioris Septembri vſque ad præſentis anni Septembrem ter Luna obſcurata eſt, & Sol ſemel. Legatus Regis Perſarum munera ad Imperatorem detulit plurima, in quibus eminebat Horologium ex aurichalcho, in quo duodecim horarum curſus ad clepſydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo ſubiectum ſibi cymbalum tinnire faciebant, additis in eodem eiuſdem numeri equitibus, qui per duodecim feneſtras completis horis exibant, & impulſu egreſſionis ſuæ totidem feneſtras, quæ priùs erant apertæ claudebant. Mauri à Sardis in Sardinia, & in Corſicâ à Burchardo Comite Stabuli cæſi ac fugati ſunt. Annales Fuldenſes, Bertiniani, Plebeij, Metenſes, Eginardi, Monachus Engoliſmenſis, Ado Viennenſis, Continuator Aimoini,* &c. *Carolus Imperator per manum Pauli Diaconi ſui decerpens optima quæque de ſcriptis Catholicorum Patrum lectiones vnicuique feſtiuitati conuenientes per circulum anni in Eccleſiâ legendas compilari fecit. Ita Sigebertus Gemblacenſis ſub huius anni periochâ. Hoc fermè tempore Carthagine delata ſunt oſſa Beati Cypriani cum reliquiis Scillitanorum martyrum, & poſita ſunt in Ec-*

cleſia Beati Ioannis Baptiſtæ in ciuitate Lugdunenſi. Ado in Chronico Ætate Mundi Sextâ. Nicephorus caſtra mouit contra Bulgaros: verùm de ſuis parum ſecurus Hadrianopoli C P. rediit, multóſque cædibus partim, partim proſcriptionibus vexauit. Aaron Saracenus menſe Septembri contra Rhodum claſſem direxit, duce Chunxeid, multúmque in eâ excidium fecit. In reditu cùm Myram Lyciæ veniſſet, & ſancti Miraculorum patratoris Nicolai arcam conterere tentaſſet, tempeſtati iactatus, quaſſatis nauibus, vix periculum euaſit. Quod eò libentiùs obſeruo, quia Caluiſius, Cluuerius, Boxhornius, ſimiléſque λοιμῶν ἑτερόδοξοι, hæc & alia huiuſmodi diuinæ in ſceleratos ἀνομήμους vindictæ exempla, aut omittere ſolent, aut etiam irridere. Nicephorus Theophaniam Athenienſem Irenes cognatam marito iam deſponſam abſtulit, filióque ſuo Stauracio copulauit.

Anno Chriſti DCCCVIII. *Caroli Magni* 40. *Quia nunciabatur Godefridum Regem Danorum in Abotritos cum exercitu traieciſſe, Imperator Carolum filium ſuum ad Albim, quem ponte iunxit, cum validâ Francorum & Saxonum manu miſit, iubens, vt veſano Regi reſiſterent, ſi Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Sed ille ſtatiuis per aliquot dies in littore habitis, expugnatis etiam & captis aliquot Sclauorum caſtellis, cum magno copiarum ſuarum detrimento reuerſus eſt. Ardulfus, aliis Edelredus, Rex Nordhumbrorum regno & patriâ pulſus ad Imperatorem venit, & patefacto aduentus ſui negotio Romam proficiſcitur, Romáque rediens per Legatos Pontificis & Imperatoris in Regnum ſuum reducitur. Ann. Fuld. aliique. Regino videndus de ædificatis Caroli iuſſu Dreſda ad Albim & Numburgo ad Salam. Vſuardum Martyrologum S. Germani à Pratis ad Lutetiam Pariſiorum Monachum hoc circiter volunt floruiſſe tempore.* Nicephorus Arſabirem Quæſtorem à quibuſdam Proceribus imperio deſtinatum, cæſum tonſúmque relegauit in Bithyniam; alios variis pœnis affecit.

Anno Chriſti DCCCIX. *Caroli Magni* 41. *Ludouicus Aquitaniæ Rex cum exercitu Hiſpaniam ingreſſus Dertuſam ſeu Tortoſam ciuitatem in ripa Iberi fluminis ſitam obſedit, non tamen expugnauit. Menſe Nouembri Imperator de Arduenna Aquiſgranum reuerſus Concilium habuit de proceſſione Spiritus ſancti, vtrum ſicut procedit à Patre ita procedat à Filio. Quam quæſtionem Ioannes quidam Monachus Hieroſolymis primò commouit: Cuius definiendæ causâ Bernarius*

Episcopus Varmatiensis, Iesse Episcopus Ambianensis, & Adalardus Abbas Monasterij Corbiæ Romam ad Leonem Papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem Concilio de statu Ecclesiarum & conuersatione eorum, qui in eis Deo seruiunt. Extat à Smaragdo Abbate descripta Collatio cum Papâ Romæ à Legatis habita, tum in Annalibus Ecclesiasticis Cæsaris Cardinalis Baronij, tum Tomo II. Conciliorum Galliæ. Ado, Rhegino, Eginardus, aliique in Annalibus, Monachus Engolismensis in Vitâ Caroli cap. 21. Chronicon breue post Bedam pag 129. Tomi III. Collectionis Duchesnianæ tradit eleuatum fuisse Sepulcrum sancti Amandi Episcopi XII. Kalendas Octobres & restitutum in locum suum X. Kalendas Nouembres. Hamburgensis vrbis ad Albim celeberrimæ fundamenta iacta dicuntur die 13. Martij. Aarone hoc vel sub finem superioris anni mortuo, cùm regnasset annis 23. bellum intestinum inter Saracenos exortum est, Habdalla aduersus Muhammat fratrem suum seditionem commouente. Eo tempore floruisse perhibentur insignes Medici Gabriel Surianus & Ioannes Mesue. Ianuario mense Indict. 2. Episcoporum & Hegumenorum siue Abbatum coacta est Synodus, per quam Theodorus Studij Abbas, Ioseph frater eius Arch. Thessalonicenus, Plato Inclusus, aliíque Monachi à Monasterio & vrbe deiecti, exilio sunt destinati. Paullo pòst cùm militibus roga hoc est stipendia distribuerentur ad ripam Strymonis, non in Macedonia, vt Caluisius habet, sed in Thraciâ irruentes Bulgari multis occisis ademerunt auri libras centum & mille: Tum Dux eorum Crunnus ante solennitatem Paschæ acie contra Sardicam directâ, eam dolo cepit, & sex millia militum Romanorum trucidauit. Plura Theophanes ac Miscellæ auctor, qui ingentia Nicephori scelera pluribus exaggerant.

Anno Christi DCCCX. *Caroli Magni* 42. *Mauri maximâ classe comparatâ primò Sardiniam, deinde Corsicam appulerunt, nullóque in eâ inuento præsidio totam penè subegerunt. Interea Pippinus Rex perfidiâ Ducum Venetorum incitatus Venetiam bello terrâ marique statuit appetere. Subactáque Venetiâ eandem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit. Rodtrudis filia Imperatoris, quæ natu maior erat, VIII. Idus Iunias diem obiit. Imperator pugnaturus aduersus Danos, dum statiua in confluentibus Alaræ ac Visiræ haberet, diuersarum rerum nuncios accepit: Nam & Godefridum Regem à quodam suo satellite interfectum, & classem Danorum, quæ Frisiam vastauerat, do-*

mum regressam, & Pippinum Regem Italiæ VIII. Idus Iulij de corpore migrasse, ætatis anno XXXIII. relicto filio Bernardo, & Legationes de Constantinopoli & Cordubâ pacis faciendæ causâ aduentare nunciatum est. Eo anno Sol & Luna bis defecerunt: Sol VIII. Idus Iulij & pridie Kalend. Decembres: Luna autem XI. Kalendas Iulij & XVIII. Kalendas Ianuarias. Corsica iterum à Mauris vastata. Hemmingus vero Godefridi ex fratre nepos Danorum Rex creatus pacem cum Imperatore fecit. Annales Eginardi, Fuldenses, Metenses, Bertiniani, &c. Chronicon Moissiacense, Rhegino, Ado, Monachus Engolismensis, Theganus, &c. Ebroinus Dauide defuncto Biturigum Archiepiscopus ordine XXXXIV. non per annos, triginta, vt Demochares & Belleforestus ex corruptis haud dubiè antiquis Ecclesiæ Metropolitanæ Catalogis scripserunt, sed tantum per dies triginta, vt post Anonymum Benedictinum in Historiâ MS. Chenutius, Robertusque annotarunt. Verùm in hoc omnes insigniter hallucinati sunt, ac præcipuè Galliæ Christianæ Scriptor, quòd anno 840. sedisse affirment post Stephanum, cùm indubitatum sit anno præsenti Bituricensis Ecclesiæ clauum tenuisse, vt liquidò constat ex Formatis, vt vocant, literis ad Magnonem Archiepiscopum Senonensem pro Dodoberto presbytero, vt in eius parochiâ apud Hercambaldum manere possit, quarum hæc est subscriptio: Actum in anno decimo Imperij Domini nostri Caroli & anno quadragesimo tertio regni eius in Dei nomine feliciter Amen. Quia verò meminit Indictionis quartæ manifestum est inchoato iani mense Septembri & ante finem Decembris consequentis numerandos esse sedis Ebroini triginta dies. Gozbertus quidam Bituricensis Archipræsul subscriptus reperitur in duabus Tabulis, quas ex sancti Dionysij Parisiensis Abbatiâ edidit Doubletus: Verùm quia multis indicijs constat insinceras esse ac suppositicias, nec illius Gozberti vlla in veteribus monumentis mentio, successorem Ebroino dabimus anno sequenti Aygulfum. M. Antonius Coccius Sabellicus similésque Veneti Scriptores tantò posteriores Eginartho, Adone, Reginone, similibúsque coæuis Historicis hoc anno à Venetis stetisse victoriam commenti sunt, & Francorum clade nobilem locum factum: cùm certo certius constet à Pippino tunc fuisse Venetiam subactam ac postea redditam. De eorum primaria vrbe Ducum domicilio ex insulis LX. Riuo alto proximis coalescente, consule Carolum Sigonium, aliósque.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCXI. *Caroli Magni* 43.

Hatto

Hatto seu Hetto Basilienſis Epiſcopus, Hugo Comes Turonicus, aliíque Legati Conſtantinopolim pacis confirmandæ cauſa miſſi ſunt. Imperator pace cum Hemmingo firmatâ & placito Generali Aquis habito in tres partes regni totidem exercitus miſit: Vnum trans Albim, alterum in Pannonias, tertium in Britones ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes rebus proſperè geſtis incolumes regreſſi ſunt. Ipſe autem propter claſſem, quam anno ſuperiore fieri imperauerat, videndam, ad Bononiam Gallicam ciuitatem maritimam, vbi eædem naues congregatæ erant, acceſſit, Farúmque ibi ad nauigantium curſus dirigendos antiquitus conſtitutam reſtaurauit, & in ſummitate eius nocturnum ignem accendit. Inde ad Scaldium fluuium veniens in loco, qui Ganda vocatur, naues ad eamdem claſſem ædificatas aſpexit, & circa medium Nouembrem Aquas venit. Carolus autem eius filius natu maior pridie nonas Decembres diem obiit, eodémque anno Pippinus monachus eiuſdem Imperatoris ex concubinâ filius, defunctus eſt Annales Eginardi, Plebeij, Metenſes, Bertiniani, &c. Ado, Regino, Sigebertus, Hermannus Contractus, qui celebrat Hodœporicon Hettonis, Chronicon Heldensheimenſe, Monachus Engoliſmenſis, &c. Breuiarium eodem anno Aquiſgrani confecit Carolus Imperator de Theſauris ſuis ac pecuniâ, quæ tunc in camerâ eius inuenta eſt, in vnam ac viginti Metropolitanas ciuitates eleemoſynæ nomine diſtribuendis. Totidem enim Imperio illius parebant: quarum hæc nomina: Roma, Rauenna, Mediolanum, Forum-Iulij, Gradus, Colonia, Maguntiacum, Iuuanum, quæ & Saltzburg, Treueris, Senones, Veſontium, Lugdunum, Rotomagus, Remis, Arelas, Vienna, Darantaſia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Extat in calce Vitæ Caroli per Eginardum ſcriptæ, pag. 105. Tomi II. Collectionis Ducheſnianæ, in Compilatione Marquardi Freheri, & apud Sirmondum Tomo II. Conciliorum Galliæ. Aygulfus Biturigum Patriarcha ordine XXXXV. per annos viginti quinque completos, & aliquot fortaſſe menſes, vt ex Catalogis MMSS. rectè Democharis & Belleforeſtius ſæculo præcedente ſcripſerunt, quamquam ordo ſeriéſque Archiepiſcoporum vacillet in iis aliíſque hactenus omnibus Hiſtoriæ Bituricenſis ſcriptoribus. Præ cæteris errarunt Monachus Benedictinus in Hiſtoria MS. Ioannes Chenutius eius breuiator in ſerie Archiepiſcoporum, & Claudius Robertus in Galliâ Chriſtianâ, qui vno dumtaxat anno ſediſſe, Chriſti circiter 842. ſanctoque Rodulfo deceſſiſſe audacter pronuntiant, cùm in comperto ſit paulò pòſt annum Chriſti 817. ſcriptam fuiſſe ad eum Theodulfi Aurelianenſis Epiſcopi Elegiam, interfuiſſe Concilio Toloſano anno 829. & in Conuentu apud Theodonis villam anno 835. fuiſſe vnum ex Ebbonis Re-

menſis Archiepiſcopi Confeſſoribus, adeóque Stephanum Aigulfo, non Aigulfum Stephano, (Nam Ermenbertus & Ebroinus ſede ſuâ moti in anteriora tempora retroceſſerunt, vt vidimus) in Bituricenſi Cathedrâ ſucceſſiſſe. Menſe Februario Ind. 4. primo ſabbato Ieiuniorum Saraceni talenta ſedecim & libras mille trecentas abſtulerunt, quæ in rogam ſeu ſtipendia militum deferebantur. Nicephorus egreſſus CP. Iulio menſe cum Stauracio filio in Bulgariam venit, ſuſceptóque temerè prælio aduerſus Crumnum occiſus fuit die 26. Iulij ſabbato, cùm imperaſſet an. 8. menſ. 8. & diebus 27. Stauracius filius eius in eadem pugnâ vulneratus Hadrianopolim venit & paullo pòſt Monachicum ſuſcepit habitum. Succeſſit Michaël Rangabe dictus ſiue Curopalates Nicephori gener die 2. Octobris feria 5. & hora 4. coronatus fuit à Nicephoro Patriarcha in ambone Magnæ Eccleſiæ. Die 12. Octobris Procopia vxor eius coronata eſt Auguſta & filius eorum Theophylactus corona imperiali cinctus die Natali Domini feria 5. Indict. 5. Vide Theoph. Miſc. *&c.*

Anno Chriſti DCCCXII. *Caroli Magni* 44. *Nicephorus Græcorum Imperator poſt multas & inſignes victorias, in Mœſia prouinciâ commiſſo cum Bulgaris prælio anno ſuperiore deceſſerat, & Michaël gener eius Imperator factus Legatos Caroli ad Nicephorum miſſos ſuſcipiens, ſuos cum iis hoc anno direxit, qui Aquiſgrani ſcriptum pacti in epiſtola ab Imperatore ſuſcipientes Græcâ linguâ laudes ei dixerunt, Imperatorem & Βασιλέα eum appellantes. Iis dimiſſis celebrato ibidem generali Conuentu Bernardum filium Pippini nepotem ſuum in Italiam miſit propter famam claſſis, quæ de Africâ & Hiſpaniâ ad vaſtandam Italiam venit. Hemmingo Danorum Rege mortuo, Sigifrido quoque & Amilone, qui poſt eius mortem de principatu acie decertarant, è medio ſublatis, Heriholtus & Reginfridus fratres Amilonis Danorum regnum adepti miſsâ ad Imperatorem Legatione pacem petierunt. Idibus ſeu potius pridie Idus Maij poſt meridiem Solis Eclipſis fuit. Annales Eginardi, aliique paſſim à nobis ſupra laudati. Aimoini continuator Anonymus nouam Ludouici Aquitanorum Regis narrat expeditionem in Mauros Hiſpaniæ, quáque ratione atque induſtria à Vaſconum inſidiis in reditu ſe defenderit. Cæterùm Roderici & Alfonſi Carthagenæ ſimiliúmque Hiſt. nugas ad hunc annum ex Mariana egregiè refellit Card. Bar.* Michaël Imp. die 7. Iunij contra Bulgaros egreſſus cum Procopia vxore, verùm propter crebras ſeditiones militum hoſtibus Thraciam Macedoniámque vaſtantibus & domi ci-

uibus tumultuantibus re infecta C P. redire compulsus est & Constantini filios oculis orbatos in exilium eiecit. Mense Augusto duo millia Saracenorum cæsa sunt à Leone Michaelis Duce. Crumnus cum suis Bulgaris Mesembriam obsidet per mensem, capitque. Michaël Kal. Nouembris cogit Episcoporum Abbatúmque Concilium in vrbe Regia. Cometes deinde apparuit, & multi Christiani ex Palæstina ac Syria venerunt in Cyprum fugientes immensam Arabum infectationem, in quâ multi pro Christo martyrium passi: loca sacra Hierosolymis profanata, multæque lauræ atque ecclesiæ desertæ. Cantiorum in Anglia regnum defecit, cùm stetisset annis 363. & Westsaxonum regno fuit adiunctum cui præerat Rex Egbert.

Anno Christi DCCCXIII. *Caroli Magni* 45. *Verno tempore Imperator Amalarium Treuirensem Archiepiscopum & Petrum Abbatem Monasterij Nonantulæ propter pacem cum Michaële Imperatore confirmandam Constantinopolim misit. Pons apud Mogontiacum quinquentorum passuum longitudinis Rheno impositus mense Maio incendio conflagrauit. Post quod Imperator, cùm in Arduenna venaretur, pedum dolore decubuit, & conualescens Aquisgranum reuersus est, vbi in generali Conuentu euocatum ad se filium suum Ludouicum Aquitaniæ Regem excipiens die dominico coronam illi imposuit, & Imperialis nominis sibi consortem fecit, populo acclamante, & dicente:* VIVAT IMPERATOR LVDOVICVS. *Bernardúmque nepotem suum ex Pippino filio Italiæ præfecit, & Regem appellari iussit. Concilia quoque iussu eius super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt: quorum vnum Moguntiaci mense Iunio, alterum Remis mense Maio, tertium Turonis, quartum Cabilloni, quintum Arelati mense Maio æra 851. congregatum est. Constitutionum autem, quæ in singulis factæ sunt, collatio coram Imperatore in eo Conuentu mense Septembri Aquisgrani habita ac sancita capitula numero XLVI. de causis, quæ necessariæ erant Ecclesiæ Dei, & Christiano populo. Mauris de Corsicâ Hispaniam cum multa prædâ redeuntibus Irmingarius Comes Emporianus in Maiorica insidias posuit, & octo naues eorum cepit, in quibus quingentos & eò amplius captiuos inuenit. Hoc Mauri vindicare volentes, Centumcellas Tusciæ ciuitatem & Niceam prouinciæ Narbonensis vastauerunt. Michaël Imperator Bulgaros bello appetens haud prosperis successibus vtitur, ac proinde domum reuersus depositio diademate Monachus efficitur. In cuius locum Leo Papdæ Patricij filius Imperator constituitur. Annales Eginardi, Metrici, Fuldenses,*

Plebeij, Metenſes, Bertiniani, Monachus Engoliſmenſis, Chronicon Moiſſiacenſe, Ado, Rhegino, Sigebertus, Hermannus, &, vt alios prætream, Theganus in opere de Geſtis Ludouici Pij capite VI. capite vero ſequenti ſubdit: Poſtquam diniſi fuerant, dominus Imperator nihil aliud cœpit agere, niſi orationibus & eleemoſynis vacare, & libros corrigere; nam quatuor Euangelia Chriſti in vltimo ante obitus ſui diem cum Græcis & Syris optimè correxerat. De quinque Conciliis vide Sirmondum & quæ ſtrictim attigimus in Synopſi Hiſtorica & in Chronico Technico. De Michaële in ordinem redacto poſt vnum imperij annum & menſes nouem, & Leonis Armeni die 11. Iulij feria 2. facta acclamatione, ac poſtera die per Nicephorum Patriarcham coronatione in ambone Maioris Eccleſiæ, de excurſione Crumni Bulgarorum Ducis vſque ad muros Regiæ vrbis, & Hadrianopoleos expugnatione, conſule Theophanem, Anaſtaſium, & Miſcellam, qui hîc deſinunt. In conſequentibus duces ſequemur Ioannem Scylitzam, Cedrenum, Zonaram, Glycam, Conſtantinum Manaſſem, ſimiléſque Byzantinæ Hiſtoriæ ſcriptores, ex quibus pauca pro more libabimus. Hoc anno Hegiræ 198. Iſnin Saracenorum Princeps dicitur à fratre occiſus, cui ſucceſſit in Babylone Maimon annos 28. natus. Hunc ferunt ſcientiarum hominúmque eruditorum ſtudioſiſſimum fuiſſe, atque è Græca lingua in Arabicam plurimos libros transferri curauiſſe.

Anno Chriſti DCCCXIV. *Carolus Imperator, dum Aquiſgrani hyemaret, anno ætatis LXXII. Regni autem XLVII. ſubactæque Italiæ XLIII. Ex quo verò Imperator & Auguſtus appellatus eſt XIV. quinto Kalendas Februarias ſacra communione perceptâ rebus humanis exceſſit die ſabbati, hora diei tertiâ, ſeptimo poſtquam decubuit die, & ſepultus ibidem eſt in baſilicâ ſanctæ Dei Genitricis quam ipſe miro opere conſtruxerat atque ornarat. Cuius rei nuncium, quùm Ludouicus filius eius in Aquitaniâ apud Theodadum villam, vbi quodam quaſi præſagio Concilium generale in Purificatione B. Mariæ celebrauerat, Rampone plurimíſque aliis deferentibus, accepiſſet, triceſimo, poſtquam id acciderat die, Aquiſgranum venit, ſummóque omnium Francorum conſenſu ac fauore patri ſucceſſit: & paullò pòſt Legatos ſuos Nordbertum Rhegienſem Epiſcopum & Richuuinum Pictauienſem Comitem ad Leonem Imperatorem ob renouandam amicitiam fœdúſque confirmandum miſit. Habitóque Aquiſgrani generali populi Conuentu ad iuſtitias faciendas & oppreſſiones popularium releuandas Legatos in*

omnes Regni ſui fines deſtinauit; Bernardum Regem Italiæ nepotem ſuum ad ſe euocatum muneribus donauit, & in regnum remiſit. Cum Grimoaldo Beneuentanorum Duce pactum firmauit eo modo, quo & Pater, ſcilicet vt Beneuentani tributum annis ſingulis ſeptem millia ſolidorum darent. Tunc duos ex filiis ſuis Lotharium in Baioariam, Pippinum in Aquitaniam miſit. Herioltus & Reginfridus Reges Danorum, qui anno ſuperiori à filiis Godefridi victi & regno pulſi fuerant, reparatis viribus iterum eis bellum intulerunt: in quo conflictu & Reginfridus, & vnus de filiis Godefridi, qui maior natu erat, interfectus eſt. Hæc & alia Annales Eginardi, aliique ſuperius à me identidem citati, in quibus Metrici, mutato carminis genere, longam toto libro 5. texunt Elegiam de Vitâ & morte Imperatoris.

Pangite iam laceræ carmen lugubre Camœnæ:
Dignus enim multis annus hic eſt lacrymis.
Hic veri plangunt Elegi, nil fingere mœſtum
Eſt opus, affectus res habet ipſa ſuos, &c.

Iis adde Theganum capite 7. Adonem, Hermannum, Reginonem, Sigebertum, Auctorem Vitæ Ludouici, quem Ademarum quidam indigetant, Chronicon Hildensheimenſe, Beſuenſe, Moiſſiacenſe, &c. *Eginardus in fine Vitæ, quam ipſe ſcripſit, Epitaphium eius refert:* Corpus more ſolenni lotum & curatum maximo totius populi luctu Eccleſiæ illatum atque humatum eſt. Dubitatum eſt primò vbi reponi deberet, eò quòd ipſe viuus de hoc nihil præcepiſſet. Tandem omnium animis ſedit, nuſquam eum honeſtiùs tumulari poſſe, quam in ea Baſilicâ, quam ipſe proprio ſumptu in eodem vico conſtruxit. In hac ſepultus eſt eadem, quâ defunctus, die, arcúſque ſuper tumulum deauratus cum imagine & titulo extructus, & titulus ille hoc modo deſcriptus eſt: SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS KAROLI, MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVII. FELICITER REXIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS ANNO AB INCARNATIONE DOMINI DCCCXIV. INDICTIONE VII. V. KALENDAS FEBRVARIAS.

Pericopem quoque ex Vitâ à Monacho Engoliſmenſi perſcriptâ decerptam non grauabor ſubiungere, quâ diſcant omnes Chriſtianam pietatem amico fœdere militari fortitudini copulatam in noſtro Principe ad extremum vſque ſpiritum perduraſſe. Veſtitum eſt corpus eius ve-

ſtimentis Imperialibus, & ſudario ſub diademate facies eius operta eſt. Cilicium ad carnem eius poſitum eſt, quod ſecretò ſemper induebatur, & ſuper veſtimentis Imperialibus pera peregrinalis aurea poſita eſt, quam Romam portare ſolitus erat. Sceptrum aureum & ſcutum aureum, quod Leo Papa conſecrauerat, ante eum poſita ſunt dependentia, & clauſum & ſigillatum eſt ſepulcrum eius. Oleo ſancto inunctus eſt ab Epiſcopis, & viatico ſumpto, & omnibus ſuis diſpoſitis, commendans Domino ſpiritum ſuum obiit in pace. Hæc ille. *De Nouiomenſi Synodo, in qua à Vulfario Remenſi Metropolitano cum Coëpiſcopis compoſita eſt controuerſia, quæ inter Epiſcopos Nouiomenſem & Sueſſionicum verſabatur de Parochiis quibuſdam, quas vterque ad ſuam diœceſim pertinere contendebat, vide Flodoardum lib. 2. Remenſis Hiſtoriæ cap. 18.* Leo Armenus Imp. Bulgaros vincit & pacem in triennium cum illis paciſcitur, dein à quodam Monacho perſuaſus de abolendis Imaginibus edictum proponit, & plurimos reluctantes in exilium eiicit.

Anno Chriſti DCCCXV. *Ludouici Pij* 2. *Allatum eſt Imperatori quoſdam de primoribus Romanorum ad interficiendum Leonem Papam in ipsâ vrbe Româ conſpiraſſe, ac deinde cùm huius cauſa indicium ad Pontificem eſſet delatum omnes illius factionis auctores ipſius iuſſu fuiſſe trucidatos. Quod quùm moleſtè ferret, Bernardum Regem Italiæ nepotem ſuum ad cognoſcendum, quod nunciabatur, Romam miſit. Is cùm eo veniſſet, ægritudine decubuit. Res tamen, quas compererat, per Geroldum Comitem Imperatori nunciauit. Quem Legati Pontificis ſubſequuti de iis, quæ domino ſuo obiiciebantur, per omnia Imperatori ſatisfecerunt. Nordbertus Epiſcopus & Richuuinus Comes de Conſtantinopoli regreſſi deſcriptionem pacti, quam Leo Imperator eis dederat, detulerunt. Santonis ciuitas Aquitaniæ menſe Septembri dicitur tremuiſſe. Rhenus fluuius Alpinis imbribus auctus vltra ſolitum exundauit. Cùm Romani Leonem Papam ægritudine decubuiſſe viderent, collectâ manu omnia prædia, quæ in ſingularum ciuitatum ditionibus nouiter extruxerat, (Auctor Vitæ Ludouici tradit domo-cultas ab illis appellari) primò diripiunt, deinde immiſſo igne cremant. Tùm Romam ire ſtatuunt, & quæ ſibi erepta querebantur, violenter auferre. Quo comperto Bernardus Rex miſsâ manu per Vuinigiſum Ducem Spoletanum ſeditionem illam ſedauit, & eos à cœpto deſiſtere fecit, quæque erant geſta per Legatos Imperatori nunciauit. Annales Eginardi ſiue Einhardi, qui hoc tempore Blandinienſe & Bauonicum cœnobia apud*

Gandam ad Scaldim sita Abbas regebat, vt patet ex diplomatis à Ludouico Imp. datis, Fuldenses, &c. Vita Ludouici, Theganus, alij. Cùm Leidradus Lugdunensis Episcopus initio Imperij Ludouici Pij monasterium Suessionense petiisset, Agobardus eiusdem Ecclesiæ Chorepiscopus consentiente Imperatore & vniuersâ Gallorum Episcoporum Synodo in eius locum Episcopus substitutus est. Quod quidam defendere volentes dixerunt, inquit Ado Viennensis in Chronico Ætate sextâ, eumdem venerabilem Agobardum à tribus Episcopis in sede Lugdunensi iubente Leidrado fuisse ordinatum. Sed Canonica auctoritas est in vnâ ciuitate duos Episcopos non esse, nec viuente Episcopo successorem sibi debere eligere. Hæc ille, qui rectè submonet, Ecclesiæ regulas in tanto ordine fixas temerè præteriri non debere. Electo in exilium S. Nicephoro Patriarcha C P. propter cultum SS. Imaginum ab Imp. Leone suffectus est in Paschate Theodotus ad annos 20. homo impurus, rudis, ac leuis, de quo ac similibus plura pro instituto Cardinalis Baronius curioso rerum Ecclesiasticarum Lectori subministrabit.

Annus Christi DCCCXVI. *Ludouici Pij* 3. *Vvascones qui trans Garomnam & circa Pyreneum habitant propter sublatum Ducem suum nomine Siguuinum, quem Imperator ob nimiam eius insolentiam ac morum prauitatem inde sustulerat, solitâ leuitate commoti coniuratione factâ omnimodâ defectione desciuerunt: sed duabus expeditionibus ita sunt edomiti, vt tarda eis deditio & pacis impetratio videretur. Interea Leo Papa anno Pontificatus sui XXI. die* 12. *Iunij à sæculo migrauit, Stephanusque Diaconus in locum eius electus X. Kal. Iulij eius nominis IV. vel V. atque ordinatus est ad menses sex & dies viginti quatuor. Nondúmque duobus post suam consecrationem exactis mensibus, quàm maximis potuit itineribus ad Imperatorem venire contendit, missis interim duobus Legatis, qui quasi pro suâ consecratione Imperatori suggererent. Quod vbi Imperator audiuit Remis ei occurrere statuit, missis obuiam iis, qui eum illò deducerent, & aduentum eius præueniens, magno eum honore suscepit. Qui statim Imperatori aduentus sui causam insinuans, celebratis Missarum solemniis die dominicâ eum vxorémque eius Hirmingardim diadematis impositione coronauit. Iis peractis Pontifex Romam, Imperator Compendium, mox Aquisgranum profectus est. Annales Eginardi, Bertiniani, Fuldenses, &c. Theganus capp.* 16. *&* 17. *Auctor Vitæ Ludouici asserit obuiam Pontifici missos Hildebaldum Archicapellanum sacri Palatij, Theodulfum Episcopum Aurelianensem, Ioannem Arelatensem, aliósque infulis indutos sa-*

cerdotalibus, ipſum verò Imperatorem miliario proceſſiſſe à Monaſterio ſancti Remigij, deſcendentem ex equo Pontificem excepiſſe, & Eccleſiam intrantem manu propria ſuſtentaſſe. Flodoardus libro ſecundo Rhemenſis Hiſtoriæ cap. XIX. Baldericus in Chr. Cameracenſi, vbi priuilegium immunitatis Hildoardo Ep. petente collatum ab Imp. recitat: Chronicon Hildensheimenſe refert anno tertio Ludouici factum eſſe Concilium magnum Aquiſgrani in menſe Auguſto, præceptúmque eſſe vt Monachi omnes curſum ſancti Benedicti cantarent ordine regulari: Duos quoque codices ſcriptos, vnum de Vitâ Clericorum, alterum de vitâ Nonnarum. Chronicon Moiſſiacenſe ſimiliter hîc aberrat, certiora quippe ſunt, quæ ex Tomo II. Conciliorum, & Vitâ Ludouici, hoc, & ſequenti anno repræſentabimus. Hoc anno Ludouici tertio à morte Patris ſcilicet, Stephani IV. Papæ primo, Indictione X. adeóque poſt initium menſis Septembris celebratum eſt Aquiſgranenſe Concilium, in quo duplex libellis duobus condita eſt regula, vna Canonicorum, altera ſanctimonialium, quâ in re præcipuam nauaſſe operam dicitur Amalarius Metenſis Eccleſiæ Diaconus is, cuius extant ad eundem Ludouicum libri de diuinis officiis. Vide Ademarum in Chronico Engoliſmenſi, & Sirmondum qui ex codice MS. Nic. Fabri primus edidit. De corpore S. Iacobi Compoſtellam in extremâ Gallecîâ ſitam delato, & hoc fermè tempore imo ante aliquot an. reperto, multíſque miraculis coruſcante, præter Hiſpanos ſcriptores conſule Cardin. Baronium. Idem quoque deſcribit perſecutionem à Leone Armeno excitatam aduerſus cultores ſacrarum Imaginum, eáque afflatos Theophanem, Stephanum, Coſmam Chalcedonis Ep. Moniales 30. & quoſdam alios.

Anno Chriſti D C C C X V I I. *Ludouici Pij* 4. *Luna nonis Februarij hora noctis ſecundâ defecit, Cometes in ſigno Sagittarij (aliàs Agitatoris mendosè pro Sagittatoris) apparuit, & Stephanus tertio poſtquam Romam venerat menſe, ſed nondum exacto, circiter VIII. Kalendas Februarias diem obiit. Theganus ait ſupra modum claruiſſe Dei manifeſtatione in nonnullis miraculis, quòd ipſe verus erat viuens Dei cultor. Huic poſt biduum ſucceſſit Paſchalis Papa I. ad annos ſeptem, menſes tres, & dies XVII. qui poſt completam ordinationem ſuam munera & excuſatoriam Imperatori miſit epiſtolam, in quâ ſibi non ſolùm nolenti, ſed etiam plurimùm renitenti Pontificatus honorem impoſitum aſſeuerat. Miſsâ tamen aliâ Legatione pactum, quod cum præceſſoribus ſuis factum erat, etiam ſecum fieri rogauit, & impetrauit. Extat Decretum illius confirmationis, quo Ludouicus Pius donationes Eccleſiæ*

cleſiæ Romanæ ab auo ſuo Pippino Rege, & à Patre Carolo Magno Imperatore factas Paſchali Papæ confirmauit canone; Ego Ludouicus Diſtinctione LXIII. apud Gratianum. Nec omiſit Sirmondus noſter Tomo II. Conciliorum Galliæ pag. 443. Feria quintâ, quâ Cœna Domini celebratur, cùm Imperator ab Eccleſia peracto ſacro officio remearet, lignea porticus, per quam incedebat, cùm fragili materiâ eſſet ædificata, & iam marcida & putrefacta, quæ contignationem & tabulatum ſuſtinebant, tranſtra pondus aliquod ferre non poſſent, incedentem deſuper Imperatorem ſubitâ ruinâ cum viginti & ampliùs hominibus, qui vnâ ibant ad terram vſque depreſſit. Quo caſu leuiter ſauciatus viceſimo, poſtquam id acciderat, die Nouiomagum profectus venatu ſe exercebat. Vnde reuerſus generalem Conuentum Aquiſgrani habuit, in quo filium ſuum primogenitum Lotharium coronauit, & nominis atque Imperij ſui ſocium ſibi conſtituit, populo acclamante: VIVAT IMPERATOR LOTHARIVS. *Ceteros Reges appellatos, vnum Aquitaniæ, alterum Baioariæ præfecit. Addit Auctor Vitæ Ludouici in eodem Conuentu compoſitum ordinatúmque librum Canonicæ vitæ normam geſtantem, in quo & totius illius ordinis perfectio continetur, & cibi potúſque atque omnium neceſſariorum ſumma inſerta eſt, vt omnes tam viri quàm ſanctimoniales ſub hoc ordine Chriſto ſeruientes nullis præpediti neceſſitatibus liberâ ſeruitute Domino omnium militare meminiſſent. Verùm de eo iam anno ſuperiori diximus. Quod autem ſubnectit eumdem Imperatorem conſtituiſſe Benedictum Anianæ Abbatem, & cum eo monachos ſtrenuæ vitæ, qui per omnia monaſteria Monachorum euntes redeuntéſque, vniformem traderent cunctis monaſteriis tam viris quàm ſanctimonialibus feminis viuendi ſecundùm Regulam ſancti Benedicti incommutabilem morem, ad hunc annum aptiùs referri poteſt. Habes quippe apud Sirmondum Tomo II. Conciliorum Galliæ ex additione primâ Capitularium anno Incarnationis Chriſti* DCCCXVII. *Imperij Ludouici quarto. VI. Idus Iulias in domo Aquiſgrani palatij, quæ Lateranis dicitur, Abbates complures vnà cum ſuis Monachis reſidentes octodecim capitula inuiolabiliter à regularibus ſeruanda decreuiſſe. Ad hunc ipſum præterea Conuentum putat idem vir eruditiſſimus mox laudatus pertinere Ludouici eiuſdem Conſtitutum de monaſteriis regni Francorum, quæ Regi militiam, dona, vel ſolas orationes debebant. Vide Notas Tomi II. Conciliorum Galliæ & pag. 323. Tomi II. Collectionis Ducheſnianæ. Interea eodem anno Imperatori dum venatione peractâ de Vogeſo Aquiſgranum reuerteretur nunciatum eſt Bernardum nepotem ſuum Italiæ Regem quorumdam prauorum hominum conſilio*

tyrannidem meditatum, iam omnes aditus, id est Cluſas, quibus in Italiam intratur, impoſitis firmaſſe præſidiis, atque omnes Italiæ ciuitates in illius verba iuraſſe. Ad quos motus comprimendos, cùm Imperator in Italiam congregato exercitu feſtinaſſet, Bernardus rebus ſuis diffidens, depoſitis armis apud Cabillonem ad Ararim Imperatori ſe tradidit. Huius coniurationis principes Eggideo, Reginardus, Reginarius, & ex Epiſcopis Anſelmus Mediolanenſis, Vvolfoldus Cremonenſis, & Theodulfus Aurelianenſis. Annales Eginardi, Bertiniani, Fuldenſes, &c. Theganus capp. 21. & 22. Vita Ludouici fusè, Chronicon Moiſſiacenſe & qui non? Extat diploma Solemniacenſe recognitum à Durando Diacono ad vicem Heliſachar datum 9. Kalend. Aug. anno 4. Imperij Ludouici Aug. Indictione 10. Aquiſgrani in palatio Regio, & alia infinita. Corpus ſancti Huberti ex Eccleſia ſancti Petri Leodicenſis ad Andainum ſeu Andagium in Arduennâ monaſterium tranſlatum nonageſimo à morte illius anno à Vvlcando Leodienſi Epiſcopo docet ex Anſelmo Ægidius Bucherius in Chronico Leodienſi, atque ex eo vt ſolet Miræus in Chron. Belgico. Sigebertus enim ad annum 824. alij biennio tardiùs ad annum 826. aut præcedentem differunt. Vide Libellum de Tranſlatione eiuſdem Sancti. Clericis hoc eodem tempore amotis ſubſtituti ſunt Monachi. Leo Imperator victoriâ de Saracenis reportatâ factus elatior non deſtitit ſæuire diriſſimè in Catholicos Imaginum ſacrarum cultores. De Canonibus Ego Ludouicus, & Quia ſancta, apud Gratianum relatis Diſtinctione 63. conſule Sigonium, Baronium, ſimiléſque.

Anno Chriſti DCCCXVIII. *Ludouici Pij* 5. *Patefacta coniuratione ac ſeditioſis omnibus in poteſtatem ſuam redactis Imperator Aquiſgranum reuertitur, tranſactóque Quadrageſimali ieiunio, paucis poſt Paſcha diebus coniurationis auctores & Bernardum Regem iudicio Francorum capitali ſententiâ condemnatos luminibus tantùm iuſſit orbari (Nithardus Angilberti filius libro primo Hiſtoriæ Bernardum ait à Bertmundo Lugdunenſis Prouinciæ Præfecto excæcatum tertio poſt die ex dolore obiiſſe) Epiſcopos Synodali decreto depoſitos monaſteriis mancipari, ceteros vel exilio proſcribi, vel detonderi: Fratres denique ſuos ex concubinis matribus Drogonem, Theudericum & Hugonem, quos & pater commendauerat, Clericos fieri, & ne quid ſiniſtri molirentur, per ſingula monaſteria ablegari. Iis ita diſpoſitis Imperator cum maximo exercitu Britanniam aggreſſus generalem Conuentum Vendis ſeu Venetiæ habuit, totámque prouinciam captis rebellium munitionibus breui in ſuam poteſtatem non magno labore redegit, Mormano ſeu Marcono,*

qui præter ſolitum Britonibus morem, regiam ſibi vendicauerat poteſtatem, ab exercitu interfecto. In reditu Irmingardis Regina coniux eius, quam proficiſcens Andegauis ægrotantem dimiſerat, duobus diebus poſtquam ipſe ad eam venit, morbo inualeſcente V. Nonas Octobris deceſſit. Eclipſis Solis contigit Nonis non VIII. Idus Iulij. Imperator per Rotomagum, Ambianos & Cameracum & Hariſtallium, Aquigranum ad hyemandum profectus eſt. Annales Eginardi, Fuldenſes, &c. Vita Ludouici, Theganus capp. 22. & 25. Chronica Hildenſheimenſe & Moiſſiacenſe quod hoc anno deſinit in victoriâ quam Ludouici exercitus de Vvaſconibus rebellibus reportauit. Hermannus, &c. S. Adelhardus Corbeienſis Abbas exulare iuſſus eſt in cœnobio non Gemeticenſi, vt perperam ſcripſit Aubertus Miræus in Chronico Belgico, ſed S. Philiberti in Aquitanicâ, vt docet Paſchaſius Ratbertus. Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus ex carcere Andegauenſi ad amicos varias elegias ſcripſit, nominatim ad Modoinum Auguſtodunenſem Epiſcopum, & ad Aigulfum Bituricenſem Patriarcham. Quando autem in libertatem aſſertus ſit, & quo anno die Palmarum ipſo Imperatore præſente verſus illos, qui nunc vſque per Galliam in proceſſione illius diei cantantur, de turri, qua cuſtodiebatur, cecinerit, ideóque priori gratiæ redonatus, dum ad ſua feſtinaret, defunctus ſit, diſputandum erit in altera Parte Bibliothecæ noſtræ, atque in Nomenclatore Chronologico Epiſcoporum Galliæ. Extant Elegiæ illæ in Lectionibus antiquis Henrici Caniſij in Bibliothecâ Sanctorum Patrum Coloniæ editâ & in editione Sirmondi. Ex eâ quam Aigulfo miſit tétraſtichon non pigebit audire.

Sunt exempla tibi Patrum ſectanda priorum
A te, vt, qui Caput es, per pia membra meent.
Es PATRIARCHALIS PRIMO prælatus honore
SEDIS, & alma Patrum eſt ſubdita turba tibi.
Quo magis es celſus, &c. *quæ pluribus exequitur.*

Romanus Pontifex Paſchalis Leonem Armenium cæteróſque Iconomachorum hæreſis participes anathemate percellit, & Romæ excipit extorres pro fide Catholicos. Leſlæus aliíque Scoticæ Scriptores Hiſtoriæ referunt Scotos aduerſus Northumbros inſignem reportaſſe victoriam, oſtenſa illis diuinitus Cruce Decuſſata, quæ à S. Andrea nomen vulgò ſortita eſt, atque ex eo tempore Crucem hanc Scotis pro inſigne habitam fuiſſe, eóſque in S. Andreæ Apoſtoli patrocinium tutelámque tranſiiſſe.

Anno Chriſti DCCCXIX. *Ludouici Pij 6. Conuentus Aquiſ-*

grani post Natalem Domini habitus est, in quo multa de statu Ecclesiarum & Monasteriorum ordinata legibúsque quædam, quæ deerant, capitula necessaria addita; quo peracto Imperator Vvelphij seu Vvelfonis Comitis filiam, nomine Iudith, duxit vxorem. Lupus Centulli Vvasco in rebellionem assurgens Vvarinum Aruernorum Comitem & Berengarium Tolosanum prælio lacessiuit, in quo cum aliis plurimis fratrem Garsandum singularis amentiæ hominem amisit, & tunc quidem fugæ subsidio euasit: Post autem Imperatori deductus, & causam dicere iussus, exilio est damnatus. Iterum Conuentus mense Iulio apud Ingelheim palatium habitus, & exercitus in Pannoniam missus contra Liudevviti. Vvascones quoque natiuâ seditionis peste discordantes à Pippino Aquitaniæ Rege ita sunt edomiti, vt nullus eorum amplius rebellare auderet. Annales Eginardi, Vita, Theganus, alij. Heistulfus Archiep. Moguntinus S. Bonifacij Archiepiscopi & Martyris Basilicam in cœnobio Fuldensi dedicat in honorem S. Saluatoris, eiusdémque martyris reliquias transfert Calendis Nouembribus, ex Annalibus Fuldensibus. Post Achaium regnasse in Scoticâ perhibetur Conuallus. De Slaomiro Abodritorum Rege rebelle ab eodem Imperatore Ludouico subacto plura alij.

Anno Christi D C C C X X. *Ludouici Pij 7. Mense Ianuario Conuentus Aquisgrani habitus est, in quo inter cætera Bero Comes Barcinonæ, qui iam diu fraudis & infidelitatis à vicinis suis insimulabatur, cum accusatore suo Sanilâ nomine, secundùm legem Gothorum equestri pugnâ confligere conatus, vincitur, atque vt reus maiestatis capitali sententiâ damnatus, Rotomagum exilio dumtaxat proscriptus est. Tres exercitus in Pannoniam missi aduersus Ludouitum Ducem rebellem totam penè regionem ferro & igne vastarunt. Vnus eò transiit per Alpes, alter per Drauum fluuium, tertius per Carinthiam. Tredecim naues Normannicæ primò Flandrensem oram, tùm circa Sequanæ ostium, denique Aquitaniam haud magno successu depopulatæ sunt. Luna defecit VIII. Kal. Decembris hora noctis secundâ. Annales Eginarti, Fuldenses, &c. Vita Ludouici, Aimoini continuator, &c. Vnde etiam discimus Fortunatum Patriarcham Gradensem Ludouitianæ rebellionis participem ab Imperatore euocatum, cùm sibi malè conscius esset, in Dalmatiam, ac deinde C P. fugisse.* De translato Alexandriâ Venetias per mercatores corpore S. Marci consule Baronium. Nam Sigebertus Miræi translationem illam ad annum 471. retulit, cùm vixdum vrbs illa potentissima è vadis Hadriatici maris emersisset. Iustiniano Venetiarum principatum obtinente

id factum volunt, extructúmque magnificum templum, in quo reliquiæ illæ sacræ corporis conditæ sint, sed ignotopositeris loco. Leo Armenus Imp. Orientis à coniuratis in ipsa nocte Natiuitatis Christi die 25. Decembris antequam illucesceret trucidatus est in templo, cùm imperasset annos 7. menses 5. & dies 14. Successit eodem illo die è carcere eductus & compedibus adhuc vinctus in Imperatoris throno collocatus atque à Patriarcha coronatus est Michaël, Balbus ab linguæ vitio dictus ὁ τραυλὸς, ex Amorio Phrygiæ oppido oriundus. Is Leonis filios exsecuit exilióque damnauit, coniugem cœnobio inclusit, & sacras imagines extra vrbem CP. erigere Catholicis permisit. Consulendi Io. Scylitza, Cedr. Zon. Man. Glycas, alij. De translatione regni Merciorum in Westsaxones consulendi Angli, apud quos de tempore non bene constat.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCXXI. *Ludouici Pij* 8. *Conuentum Aquisgrani habuit Imperator mense Februario, inde alium post Pascha mense Maio Nouiomagi, quo per Mosam descenderat: præsentibus Paschalis Papæ Legatis, vbi constitutam annis superioribus atque conscriptam inter filios suos regni partitionem, nonnihil obitu Bernardi nepotis Italiæ Regis immutatam recensuit, ac iuramentis optimatum, qui tunc aderant, confirmauit. Post paucos dies per Arduennam iter faciens Treueros ac Metas venit, indéque Rumerici castellum petens, reliquum æstiui caloris & autumni dimidium exercitatione venatoriâ in Vogesi saltu atque secretis exegit. Allatum tunc est de morte Leonis Constantinopolitani Imperatoris, quod conspiratione quorumdam optimatum suorum, & præcipuè Michaëlis Comitis Domesticorum insidiis, in ipso palatio sit interemptus: qui suffragio ciuium & Prætorianorum militum studio imperij infulas suscepisse dicebatur. Medio mense Octobri Conuentus generalis magna populi Francorum frequentiâ celebratur, in quo Lotharius primogenitus Imperatoris Ludouici Irmingardim Hugonis Comitis Alsatiæ filiam solenni more duxit vxorem. Eminuit in eo placito piissimi Imperatoris misericordia singularis, quam iis exhibuit, qui cum Bernardo nepote suo in Italiâ contra caput ac regnum suum coniurauerant: non solùm enim vitam & membra concessit, verùm etiam possessiones iudicio legis in fiscum redactas restituit. Adelhardum quoque de Aquitaniâ, vbi exulabat, in mon. S. Philiberti, euocatum, Corbeiam, vt priùs, regere permisit. Successit hyems asperrima & Rhe-*

nus, Danubius, Albis, Sequana, aliáque flumina adeò solidâ glacie constricta sunt, vt triginta vel eò amplius diebus plaustra huc atque illuc commeantia velut pontibus vincta sustinerent. Theganus cap. 28. Vita Ludouici, Annales Eginardi, &c. *Decretum aduersus percussores Clericorum à triginta duobus Episcopis in Concilio apud Theodonis villam statutum & ab Imperatore subditisque eius collaudatum atque subscriptum, quod referunt Burchardus Vormatiensis libro VI. cap. V. & Iuo Carnotensis Parte X. capite CXXXIV. coniicit huic anno congruere Sirmondus noster in notis Tomi II. Conciliorum Galliæ, qui etiam subdit sequenti anno apud Triburiam ab ipso Ludouico decretum Imperiale editum aduersus percussores Clericorum, eúmque Triburiense m conuentum incautè à nonnullis cum eo confundi, qui plurimis post annis habitus est sub Arnulfo. Tertio Idus Februarij in monasterio Inda prope Aquisgranum mortuus est sanctus Benedictus Anianæ, Gellonis, Masciaci,* &c. *Abbas septuagenarius. Vita eiusdem ab Ardone Smaragdo scripta.* Alhacan Mahometanorum in Hispaniâ Princeps, dum Barcinonem obsidere pararet, anno Hegiræ 206. periit, cùm regnasset annos fere 27. Successit Abderamen filius ad ann. 31. Thomas dictus Constantinus profugus instructus classe Saracenorum C P. per aliquot menses obsidione arctissimâ cinxit, donec Decembri mense ob hiemis asperrimæ sæuitiam absistere coactus fuit. De Alfonsi Casti morte non minima lis viget apud Hispanos: alij æra 859. siue hoc anno contigisse autumant, alij in annum 825. differunt, aliis anno 817. illigantibus ex quodam Paschalis Papæ diplomate. De eo eiúsque successore Ramiro Veremundi Regis filio, ac reportata ab illo insigni de Mauris victoria, quâ 60. hostium millia prostrata memorantur, Rodericus, Mariana, similésque. Corpus S. Cæciliæ à Paschali Papa inuentum ipsamet reuelante perhibetur, & in Ecclesiam ab eadem Virgine dictam translatum. Anastasium consule, atque ex eo, aliisque Baronium.

Anno Christi DCCCXXII. *Ludouici Pij 9. Imperator consilio cum Episcopis & optimatibus suis habito, fratribus suis, quos inuitos tonderi iussit, reconciliatus est, & tam de hoc facto, quàm de iis, quæ erga Bernardum filium fratris sui Pippini, necnon & iis, quæ circa Adelardum Abbatem, & fratrem eius Valachum gesta sunt, imitatus Theodosij Imperatoris exemplum, publicam confessionem fecit, & spontaneam pœnitentiam suscepit in publico conuentu, quem mense Augusto Attiniaci habuit in præsentiâ totius populi sui. In quo quidquid simi-*

lium rerum, vel à se, vel à Patre suo factum inuenire potuit summa deuotione emendare curauit, tum plurimarum eleemosynarum elargitione, tum seruorum Christi *orationum instantiâ, tum propriâ satisfactione, adeóque, vt pluribus narrat Auctor Vitæ ipsius, diuinitatem sibi placare satagebat, quasi hæc, quæ legaliter super vnumquemque decurrerant, suâ gesta fuerint crudelitate. Interea Comites Marcæ Hispanicæ trans Sicorim fluuium in Hispaniâ profecti vastatis agris, incensis compluribus villis, & capta non modica prædâ regressi sunt: Simili modo post æquinoctium autumnale à Comitibus Marcæ Britannicæ in possessionem rebellis Britonis, Vvihormachi nomine, expeditione factâ omnia ferro & igne vastata sunt. Ex Conuentu Attiniacensi Imperator venandi gratia Arduennam petens Lotharium filium in Italiam misit cum Vvalachô & Gerungo, quorum consilio vteretur, Pippinum autem in Aquitaniam ire præcepit, cum paulò ante filiam Theotberti Comitis Matricensis, Ingeltrudem nomine, ei matrimonio sociasset. Ipse verò peractâ venatione trans Rhenum hyematum ad Franconofurtum profectus est. Ludouicus è Pannonia fugatus à Francis ad Sorauos venit, ibique paullo post occisus est. Annales Eginarthi & Fuldenses, qui tradunt Rabanum hoc anno illius cœnobij factum Abbatem, Theganus paucis, Petrus Bibliothecarius in Chronico, Agobardus Episcopus Lugdunensis in libro de dispensatione rei Ecclesiasticæ, Hincmarus Remensis Episcopus in libro de diuortio Lotharij & Tetbergæ, Ansegisus Abbas priore parte libri secundi Capitularium in quam retulit 28. Capitula quæ continent admonitionem generalem ad vtriusque ordinis homines cum instructione Missorum Dominicorum, quos ex more illorum temporum Imperator in varias regni Prouincias destinarat. Qui verò fuerint illi docebit cap. 25.* Bulgarorum Rex Thomam iterum hac æstate C P. obsidentem vincit, fugátque. Imperator eundem Hadrianopoli inclusum obsidet, captúmque mense Octobri cum filio Anastasio lentis suppliciis enecat. Cantuariense regnum desiit Baldredo post 18. regni annos, victo ac fugato ab Egberto Westsaxonum Rege.

Anno Christi DCCCXXIII. *Ludouici Pij* 19. *Lotharius Ludouici Imperatoris filius, cùm secundùm Patris iussionem in Italiâ iustitias faceret, rogante Papa Romam venit, & honorificè ab illo susceptus in sancto Paschali die 5. Aprilis apud sanctum Petrum Regni coronam & Imperatoris atque Augusti nomen accepit. inde Papiam regressus mense Iunio ad patrem venit: qui Clodulpho seu Gundulfo mortuo, Drogonem fratrem suum sub canonica vita degentem Metensi Ecclesiæ, Clero*

ciusdem vrbis consentiente atque eligente rectorem constituit, eúmque ad Pontificatus gradum censuit promouendum. Humberto quoque Præcentori Palatij Episcopium Meldense traditum est. Missi Romam Adalungus Abbas S. Vedasti, & Hunfridus Comes Curiensis ad inuestigandam veritatem de nece Theodori Primicerij & Leonis Nomenclatoris. Mense Nouembri habitus Compendij generalis Conuentus, ex quo missi Theotharius & Rodtmundus Comites, qui statum regni Nordmannorum diligenter explorarent, & pacem Herioltum inter filiósque Godefridi componerent, cum quibus regressus est Ebbo Remorum Archiepiscopus, qui cum Halitgario Cameracensi consilio Imperatoris & Romani Pontificis auctoritate prædicandi gratiá ad terminos Danorum accesserat, & æstate præteritâ multos ex eis ad fidem venientes baptizauerat. Eiusdem anni die 13. mensis Iunij natus est Imperatori ex Iudith Reginá filius in Franconofurt palatio nouo, vt docet Hugo Flauiniacensis in Chronico Virdunensi, quem tempore baptismi Carolum vocitare placuit. In territorio Tullensi iuxta villam Commerciacum puellam quamdam annorum ferè duodecim sabbato sancto post acceptam communionem ieiunare cœpisse, ab omni cibo & potu abstituisse per tres annos, inter alia huius anni prodigia, quæ ingens secuta est pestilentia, perhibent. Annales Eginardi, & Fuldenses, Vita Ludouici, Theganus, Sigebertus, Hermannus, &c. ex recentioribus Bar. & Sigon. Noua Corbeia, siue Saxonica, vt passim dicitur, à Ludouico Imperatore fundatur ad Visurgim in diœcesi Paderbornensi, suadente S. Adalardo Abbate Antiquæ Corbeiæ siue Gallicæ. S. Vrsmari Ep. & Abbatis Laubiensis eleuatio celebratur, inquit in Chronico Sigebertus Gemblacensis. Saraceni ex Hispania profecti, vastatis anno sup. mediterranei maris insulis, Cretam occupant, & deuicto exercitu, quem aduersus eos Michaël Balbus miserat, Candem arcem muniunt, aliásque vrbes sibi subiiciunt. De Popielo cum vxore ac duobus filiis à muribus deuorato consule Polonicæ Historiæ scriptores. *In Chronico Montis S. Michaëlis in Periculo maris lego constructum fuisse in Britannia minore Monasterium Rothonense in fisco regio Commonoio primo Abbate.*

Anno Christi DCCCXXIV. *Ludouici Pij* 11. *Lunæ defectio contigit non tertio Nonas Martias sed XV. Kal. Aprilis hora noctis secundâ. Paschale Romano Pontifice mortuo III. Idus Maij in eius locum cùm duo per contentionem populi fuissent electi, Eugenius II. tum Archipresbyter titulo sanctæ Sabinæ vincente nobilium parte subrogatus atque ordinatus est ad annos quatuor menses sex & dies XXIV. Imperator*

perator post conuentum VIII. Kal. Iulias Compendij habitum, filium Lotharium Imperij socium Romam mittere decreuit, vt vice sua functus ea, quæ rerum necessitas flagitare videretur, cum nouo Pontifice & Romano populo statueret: ipse verò in expeditionem Britannicam animo intento autumni initio adunatis omnibus copiis Redonas ciuitatem terminis Britanniæ contiguam venit: Et inde diuiso in tres partes exercitu, duabúsque partibus filiis suis Pippino & Ludouico traditis, tertiáque secum retentâ, Britanniam ingressus, totam ferro & igne vastauit, consumptísque in hac expeditione quadraginta diebus Rotomagum ciuitatem, vbi coniugem se operiri iusserat, ad XV. Kal. Decembris reuersus est, vbi & Legatos Michaëlis Imperatoris sibi occurrere iussit, qui inter cætera quædam de Imaginum veneratione protulerunt, propter quæ se Romam ire atque Apostolicæ Sedis Præsulem consulere debere dixerunt. Quos cum legatione audita ac responso reddito absolueret, vt se velle dicebant, Romam ire iussit. Vbi Lotharius honorificè ab Eugenio Papâ susceptus, cùm de his, quæ acciderant, quereretur, quare scilicet hi, qui Francis fideles erant iniquâ nece perempti fuerint, & qui superuiuerent ludibrio reliquis forent, quare etiam tantæ querelæ aduersus Romanorum Pontifices Iudicésque sonarent, repertum est quorundam Pontificum ignorantiâ vel desidiâ, sed & Iudicum cœcâ & inexplebili cupiditate multorum prædia fuisse confiscata, ideóque redditis, quæ iniustè fuerant sublata, Lotharius magnam populo Romano creauit lætitiam. Statutum est etiam iuxta antiquum morem, vt ex latere Imperatoris mitterentur, qui iudiciariam exercentes potestatem iustitiam omni populo facerent, & tempore, quo visum foret Imperatori, æquâ lance penderent. Annales Eginardi, Fuldenses, Bertiniani, Metenses, &c. Vita Ludouici, Chronicon Hildensheimense, Hermannus qui addit Augiæ Vvetinum quemdam Monachum è corpore ductum & reductum post triduum obiisse, eiúsque visiones Heytonem Episcopum Basileensem, qui & eiusdem cœnobij fuerat Abbas, prosâ oratione, Vvalafridum verò Heroïco metro scripsisse. Apud Parisios in Palatio Kal. Nouembris Pontificis permissu conuenerunt Episcopi collecturi Sanctorum Patrum de Imaginibus sententias. Quam collectionem misit Imperator ad Eugenium cum Epistolâ per Hieremiam Senonensem & Ionam Aurelianensem Episcopos, quibus & Commonitorium dedit: Quæ duo dumtaxat edidit Tomo II. Conciliorum Galliæ Sirmondus noster, reliquis prætermissis, quæ à Bellarmino & Baronio maximis Cardinalibus sunt accuratè refutata, atque à Gallis postea ipsis damnata. Hinc verò docemur vel maximè Theodulfum Aurelianensem iam tum fuisse defunctum,

de quo hæc notatu digna occurrerunt in fragmento quodam Historiæ Francicæ pag. 336. Tomi III. Collect. Ducheſniana: Theodulphus, qui propter ſcientiæ prærogatiuam à Karolo Magno ab Italiâ in Gallias adductus, Floriacenſem Abbatiam & Aurelianenſem ſimul meruerat Epiſcopatum, ab Imperatore Ludouico inſimulatus coniurationis Andegauis eſt exiliatus, qui dum in cuſtodia teneretur, die Palmarum ipſo Imperatore præſente de Turri, quâ cuſtodiebatur, cecinit verſus, quorum hoc eſt exordium: Gloria, laus & honor, *&c.* Vnde priori gratiæ redonatus, dum ad ſua feſtinaret, defunctus eſt: cui ſucceſſit in Epiſcopatum Ionas vir venerabilis, qui contra Claudium Taurinenſem Epiſcopum librum de adorandâ Cruce edidit: *Quæ Sigebertus immani parachroniſmo retulit ſub periochâ an. 843. plurimóſque in fraudem induxit.* Refert Sandouallius cartam datam feria 5. die 13. Octobris, Era diſcurrente 862. regnante principe Adefonſo Rege, *&c.* vnde patet ſaltem vſque ad Autumnum vixiſſe Alfonſum Caſtum Legionis Regem, cui cùm an. 33. regnaſſet, ſucceſſiſſe perhibetur Ranimirus Veremundi filius ad an. 26. & menſes 9. de quibus ex aliorum potius quàm noſtra ſententia nonnulla ante quadriennium iam monuimus. Normannos ex Dania profectos Hiſpaniá vexaſſe memorant iidem qui antea laudati ſcriptores. Poſt Congallum in Scotia regnat Dongallus qui Pictis bellum indixit Alpini nomine regnum illud ſibi debitum aſſerentis. Craterus Michaëlis Balbi Dux iteratò vincitur in Creta inſula à Saracenis qui ex Hiſpania profecti inſulam illam occuparunt, ædificata vrbe Candia quæ toti poſtea inſulæ nomen fecit, vt narrant Cedr. Zon. *&c.*

Anno Chriſti DCCCXXV. *Ludouici* 12. *Menſe Maio in Conuentu Aquiſgranenſi cum Legatis Bulgarorum affuerunt pene omnes Britanniæ primores, inter quos & Vvihormachus, qui inſanâ temeritate ſua totam Britanniam conturbauerat, ad Imperatorem venit: à quo cum muneribus domum redire permiſſus promiſſam fidem gentilitiâ perfidiâ commutauit, vicinos ſuos incendiis & direptionibus infeſtare non ceſſans, donec ab hominibus Lantberti Comitis in domo propriâ circumuentus atque interfectus eſt.* Conſule Annales citari ſolitos à nobis, qui hæc aliáque ſuggerunt.

Anno Chriſti DCCCXXVI. *Ludouici* 13. *Pippinus Aquitaniæ Rex, vt iuſſus erat cum ſuis Optimatibus & Hiſpanici limitis cuſtodibus Kalendis Februarij Aquiſgranum venit: cui ab Imperatore cu-*

râ commendatâ, ſi quid ex partibus Hiſpaniæ noui oriretur, regreſſus eſt. Imperator verò menſe Maio Aquiſgrano egreſſus circa Calendas Iunias ad Ingelheim venit, habitóque conuentu non modico multas legationes tam à Sede Romana, quàm à monte Oliueti per Dominicum Abbatem allatas audiuit & abſoluit. Eodem tempore Herioltus cum vxore & magnâ Danorum multitudine veniens Moguntiaci apud ſanctum Albanum baptizatus eſt (Herioltum ſiue Harioldum Imperator leuauit de fonte baptiſmatis & vxorem eius Iudith Auguſta, vt habet Theganus capite 33.) multiſque muneribus donatus per Friſiam reuerſus eſt. Sigebertus anno ſup. aſſerit ab Imp. parte Friſiæ in beneficium datâ fuiſſe honoratum. Hilduinus Abbas ſancti Dionyſij martyris Romam mittens annuente Papâ oſſa ſancti martyris Sebaſtiani accepit, & ea Sueſſionis in baſilicâ ſancti Medardi collocauit: vbi dum iuxta tumulum ſancti Medardi in loculo, in quo allata fuerant, iacerent, tanta ſignorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere ſanitatum per diuinam gratiam emicuit, vt à nullo mortalium numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat enunciari. Annales Eginardi, & Fuldenſes, qui notant à Georgio quodam Preſbytero Veneto organum hydraulicum Aquiſgrani factum. Auctor Vitæ Ludouici, Chronicon Hildensheimenſe, Petrus Bibliothecarius, &c. Benedictus Leuita in Collectione libro VI. cap. XCVI. refert de iis qui rapinas faciunt edictum Ludouici Pij factum in Ingilenhein, quod huic anno Sirmondus iure aſſignat. De miraculis ope S. Sebaſtiani patratis altum ſilentium apud Caluiſium, ſimiléſque Hagiomachos; de Hilduino verò plura docet in diplomate anno ſeq. dato. Hludouicus Imper. Auguſtus, &c. Cum induſtriâ atque inſtantiâ viri venerabilis Hilduini Abbatis monaſterij S. Medardi, ſacríque palatij noſtri Archicapellani corpus beatiſſimi & pretioſiſſimi martyris Chriſti Sebaſtiani per auctoritatem & largitionem domni Eugenij Apoſtolici ſpiritalis patris noſtri, &c. Donamus eidem S. Sebaſtiano quoddam monaſterium noſtrum, cuius vocabulum eſt Cauſiacum, quod eſt conſtructum in honorem S. Stephani protomartyris, ſitum in pago Nouiomenſi ſuper fluuium Axonam, &c. manu propria ſubterfirmauimus, ac bullâ noſtrâ ſigillari iuſſimus, &c. Datum 2. Nonas Auguſt. Indictione 5. anno domni Ludouici Imper. 14. Actum in monaſterio ſancti Medardi & ſancti Sebaſtiani in Sueſſione I. D. N. F. A. Concilium Romanum ab Eugenio Papâ celebratum eſt die 15. Nouembris, de quo Baronius, Binius, Coriolanus, alij. Michaëlis Imperatoris Duces in Cretam miſſi cum Saracenis infeliciter pugnant. Theodorus Studita Ab-

bas per ea tempora clariſſimus, cuius epiſtolam ad Naucratium in ſua collectanea contulit Theodorus Balſamon, obiit die 11. Nouembris Dominica.

Anno Chriſti DCCCXXVII. *Ludouici Pij* 14. *Aizo Saracenorum fretus auxiliis Ceritaniam Vallensémque regionem, & Barcinonenſium ac Gerundenſium agros hoc anno vaſtauit, ad quos motus Hiſpanicæ Marcæ comprimendos miſſus Eliſachar Abbas cum duobus Comitibus multa prudenter adminiſtrauit, & Bernardus Barcinonæ Comes calliditati ac fraudulentis machinationibus eorum, qui ad Saracenos defecerant, pertinaciſſimè reſtitit. Spéſque magna erat hoſtium exercitum profligatum iri à Pippino, niſi Ducum deſidiâ tardiùs, quàm rerum neceſsitas poſtulabat, copiæ adfuiſſent. Interim Romæ Eugenius Papa diem vltimum clauſit III. Idus Auguſti. In cuius locum Valentinus Diaconus à Romanis electus atque ordinatus, vix menſem in Pontificatu (alij dies 40. aſsignant) expleuit. Quo defuncto, Gregorius Preſbyter ſancti Marci electus VIII. Kal. Octobris, ſed non priùs ordinatus eſt, quàm Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi examinaret. Hunc ſediſſe aiunt annos XVI. & conſecratum VII. Kal. Februarias anni proximè conſequentis. Ipſo anno Heinardus, ſeu Eginardus, virorum ſui temporis prudentiſsimus, ſanctæ deuotionis ardore incitatus, Romam miſit, & corpora Sanctorum Marcellini & Petri martyrum annuente Papâ in Franciam tranſvehi Octobri circiter menſe curauit, & valdè decenter in proprio territorio, propriiſque ſumptibus recondidit. Quorum meritis hactenus ibi multa virtutum miracula Dominus operatur. Annales Fuldenſes & Eginarti, qui quatuor libros de Tranſlatione illâ & miraculis SS. ſcripſit, extant apud Surium, & ex iis decerptum fragmentum pag. 651. Tomi II. Collect. Quercetanæ, Vita Ludouici, Chronica Hildensheimenſe & Laureshamenſe, vbi fundatio Seliginſtatenſis Cœnobij ab Einhardo eiuſque coniuge Imma repetenda dicitur ex citato de Tranſlatione opuſculo. Rabanus Abbas Fuldenſis tractatus in libros Sapientiæ & Eccleſiaſtici ad Otgarium Archiepiſcopum edit. Amalarius librum de Eccleſiaſticis officiis ad Imperatorem Ludouicum, & ad eundem Angelomus tractatus in Libros Regum. Scribit Anſegiſus quoque Abbas Laubienſis edicta Imperatoris Caroli & Ludouici filii eius ad Eccleſiaſticam legem pertinentia duobus libellis digeſsit, ſi credimus Sigeberto in Chronico & ipſemet in Præfatione ſuâ teſtatur.* De Almageſto Ptolemæi diximus in Chron. Technico. De Euphemio Præfecto Siciliæ ad Saracenos transfugâ vide Cedrenum, ſimiléſque. Egbrechtus Mo-

narchiam Anglorum hoc anno obtinuisse dicitur iunctis in vnum Westsaxonum, Cantuariorum, Northumbrorum & Merciorum regnis, vt docent Scriptores Anglici. Alij in sequentem annum differunt, quod mihi perinde est, cùm certum sit regna illa quatuor non anno eodem sed pluribus in vnum confluxisse.

Anno Christi DCCCXVIII. *Ludouici Pij* 15. *Mense Februario in Conuentu Aquisgranensi actum de iis, quæ in Marcâ Hispanicâ nuper damnosè ignominioséque peracta fuerant, & huius dedecoris auctores Legati seu Duces, qui exercitui præfuerant, inuenti Hugo, Matfridus, aliique honoribus ademptis iussi sunt culpam luere ignauiæ suæ. Halitgarius Cameracensis Episcopus, cuius extant libelli sex ad Ebbonem Remensem Archiepiscopum de remediis peccatorum & ordine pœnitentiæ, & Ansiridus Nonantulæ Abbas à transmarinis partibus redeuntes humanissimè se susceptos à Michaële Imperatore retulerunt. Lotharius cum magnis Francorum copiis ad Hispanicam Marcam à patre missus, & Lugduni cum fratre Pippino collocutus, cùm comperisset Saracenos ad Marcam venire nolle, redeunte in Aquitaniam fratre, ipse ad patrem Aquisgranum rediit. Bonifacius Comes, cui tutela Corsicæ Insulæ commissa erat, in Africam traiecit, & inter Vticam ac Carthaginem innumeram incolarum multitudinem sæpiùs profligauit. Luna Kal. Iunij primo diluculo in occasu suo defecit, similiter & VIII. Kal. Ianuarias id est in Natali Domini mediâ nocte obscurata est. Annales Eginardi & Fuldenses, Vita Ludouici, Baldricus lib.* 1. *Historiæ Cameracensis cap.* 40. &c. *Ad hunc annum Ludouici Imperatoris XV. Pippini filij eius Regis Aquitaniæ XIV. reuocatur fundatio Stradensis Cœnobij ad ripam fluminis Angeris in confinio Biturigum ac Turonum, quod modò à sancto Genulfo Cadurcensi Episcopo nomen habet, facta à Vvifredo Biturigum quondam Comite & regali prosapiâ oriundo, qui originem trahebat ex illâ nobilium Francorum Scarâ, quam Pippinus Caroli Magni pater in vrbe Bituricâ ad Guaiferij Ducis Aquitaniæ partes expugnandas reliquerat. Ex Odâ coniuge filiam susceperat Aganam nomine, quæ Roberto nupta fuit nobilissimo viro, cuius sororem, Pippinus Aquitaniæ Rex coniugio sibi coniunxit, & ex ea Pippinum Carolúmque filios totidémque filias procreauit, vt pluribus ista exequitur Auctor ille Anonymus vetustus & eruditus, qui de Vitâ, miraculis & monasterio sancti Genulfi duos libros edidit, quos Ioannes à Bosco primus è tenebris eruit parte secundâ Bibliothecæ Floriacensis. Sub finem huius anni priuato in placito Aquisgrani statutum est, vt æstate an-*

ni consequentis Conuentus Episcoporum fierent in quatuor locis Mogontiæ, Parisiis, Lugduni & Tolosæ, & Missi Dominici per vniuersum Regnum delegati, vt docet Capitulare tertium Ludouici Pij in editione Pithœana & Sirmondiana, & Epistola Generalis præfixa Concilio Parisiensi sexto. De persecutione à Mauris in Christianos per Hispaniam excitata, plurimorúmque martyriis, de morte Ramiri quam ærâ 866. consignat Rodericus, de Ordonij filij eius ac successoris rebus præclarè gestis consule Marianam. S. Nicephorus Patr. CP. anno exilij ac deiectionis suæ 14. obiit die 13. Maij. De eius scriptis præter ea quæ diximus in Protreptico, fusiùs differendum in alio opere.

Anno Christi DCCCXXIX. *Ludouici Pij 16. Paucis ante Paschales ferias diebus Aquisgrani terræ motus noctu factus, ventúsque tam vehemens coortus est, vt non solùm humiliores domus, verùm etiam ipsam sanctæ Dei Genitricis Basilicam, quam Capellam vocant, tegulis plumbeis tectam, ex parte non modicâ denudaret. Mense Augusto Vormatiam venit Imperator, ibíque habito Generali Conuentu, & oblata sibi annua dona suscepit, & Legationes plurimas audiuit, absoluitque. Lotharium quoque filium finito Conuentu in Italiam misit, ac Bernardum Comitem Barcinonæ, qui eatenus in Marcâ Hispaniæ præsidebat, Camerarium in Palatio suo constituit, quasi quoddam propugnaculum erecturus aduersus clandestinas circa se eorum, quos vitæ reseruauerat, machinationes, quas more cancri serpere, & multorum animos, quasi per quosdam cuniculos, sollicitare compererat. Verùm ea res non seminarium discordiæ extinxit, sed potiùs augmentum creauit, vt docebit sequentis anni periocha. Interim transmisso Rheno Francono-ford villam petiit Imperator, peractáque venatione circa Missam sancti Martini ad Aquisgranum se vertit, ibíque Natiuitatis Dominicæ festum diem celebriter peregit. Annales Eginardi, qui hoc anno desinunt, auctore, vt quidam suspicantur, ad magis seria Christianæ pietatis studia extincta iam coniuge suâ Immâ conuerso, Fuldenses, Bertiniani, Metenses, Vita Ludouici, Hincmarus libro de diuortio Lotharij & Tetbergæ, vt de cæteris taceam. Congregata sunt huius anni æstate ante Conuentum Vormatiensem quatuor Concilia: Moguntiacense à Metropolitanis Germaniæ primæ & secundæ, Belgicæ Primæ, & Maximæ Sequanorum Autgario, Hadabaldo, Hetti, Bernuino: Lugdunense à Metropolitanis Lugdunensis primæ, Viennensis, Alpium Maritimarum ac Graiarum, & Narbonensis secundæ, Agobardo, Bernardo, Andreâ, Benedicto & Agerico. Tolosanum à Metropolitanis Arelaten-*

sis, Narbonensis primæ, Aquitanicæ primæ & secundæ, Nothone, Bartolomæo, Adalelmo & Aiulfo: Parisiense denique VI. quod vnicum modo extat tum in Tomis Conciliorum apud Binium alioſque, tum in Conciliis Gallicanis Sirmondi, celebratum VIII. Idus Iunias à Metropolitanis quatuor Prouinciarum Remensis seu Belgicæ secundæ, Senoniæ, Turonicæ & Rotomagensis seu Lugdunensis Quartæ Tertiæ & Secundæ, Ebbone, Aldrico, qui Hieremiæ eodem anno suffectus est, Landrano & Ragnoardo, cum suffraganeis Episcopis. Adi Tomum II. Conciliorum Galliæ à pag. 475. Gregorius Papa Ostia Tiberina aduersus crebros Saracenorum incursus muniit, & Gregorianopolim, vt volunt, appellauit. Michaël Balbus Imp. viuendi finem fecit Kal. Octobris post annos 8. menses 9. & 7. dies. Succeſſit Theophilus eius filius, de quo Scylitza, aliíque Græci, Ced. Zonaras, Glycas, Manasses, &c. Videndum quoque fragmentum Anonymi à Martino Crusio editum.

Anno Christi DCCCXXX. *Ludouici Pij* 17. *Circa Quadragesimale tempus quùm Imperator iter in Britanniam moliretur, & iuxta mare monasterium S. Audomari, quod dicitur Sithiù, orationis causâ petiisset, factionis iniquæ Principes vulnus occultatum diu detegunt, ac multitudine assensúque plurimorum freti Imperatoris filium Pippinum adeunt, abiectionem sui, Bernardi insolentiam ingeminant, incestatorem paterni thori asseuerant, patrem verò quibusdam adeò præstigiis elusum, vt hæc non modò non vindicare, sed nec aduertere posset. Iis permotus iuuenis, cum iis, multísque suorum copiis per Aurelianensem vrbem sublato inde Odone, & restituto Matfrido, Verimbriam vsque venerunt. At verò Imperator conspiratione detectâ Bernardum quidem cubicularium suum fuga se committere, & Barcinonem petere permisit, vxorem autem Iuditham Lauduni esse, & in monasterio sanctæ Mariæ consistere voluit: ipse Compendium petiit. Porrò ij, qui Verimbriam cum Pippino venerant, misso Varino, Lantberto, aliísque, Reginam, ex ciuitate monasteriique basilicâ eductam ad se perduci fecerunt, eámque adeò intentatâ morte adegere, vt promitteret se, si sibi copia daretur cum Imperatore loquendi, persuasuram, quatenus Imperator abiectis armis comísque reciſis, monasterio sese conferret, se etiam imposito velo capiti itidem facturam. Quod quidem permissu mariti, vt mortem euadere posset, cùm ipsa paulò post præstitisset, exilio deportata Pictauos, & in monasterio sanctæ Radegundis retrusa est. Interim Lotharius circa mensem Maium ex Italiâ veniens Compendium, quæ gesta fuerant, probauit, atque Heribertum Bernardi fratrem luminum amissione, Odonem*

consobrinum eiusdem exilio mulctauit. Tandem inclinante æstate Neomagi conuentum indixit Imperator, iussitque, Comite Lamberto & Helisachar Abbate procul ablegatis, vt vnusquisque ad idem placitum veniens simplici commeatu vteretur. Accurrit Germania penè omnis periclitanti, cum Ludouico, quem filium eius æquiuocum appellant, Imperatori auxilium latura, qui reiectis ex palatio Abbatibus Hilduino Archicapellano & Vvalacho, Lotharium filium, necquicquam frendentibus facinorosis hominibus reconciliauit sibi modesta lenitate correctum. Posthæc impiæ coniurationis principes sub custodia priuata asseruatos, & communibus Francorum suffragiis tamquam reos maiestatis capitali sententia damnatos, leniori, quàm debuit, pietate, Laïcos quidem præcepit adtonderi, Clericos verò in monasteriis custodiri. Ibidem Iesse Ambianensis Episcopus iusto Episcoporum iudicio depositus est. Vita Ludouici, Theganus capp. 36. & 37. Annales Bertiniani, Metenses, & Fuldenses, Nithardus libro primo Historiæ suæ, & Trithemius qui Hirsangiensis cœnobij incunabula ad hunc an. refert. Theophilus Imp. cultores sacrarum imaginum variis modis barbarè exagitat, & Leonem Mathematicatum disciplinarum scientia excultissimum auctis stipendiis C P. coërcet, ne ad Maimonem Saracenorum Principem grandia pollicentem se conferat. Vide Cedrenum similésque Græcos.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCXXXI. *Ludouici* 18. *Hyemabat Aquisgrani Imperator cum Lothario filio, quùm iussu eius ex Aquitania Iudith reuocata est, fratréque illius Conradus & Rodulfus iamdudum attonsi. Nec tamen eam coniugis honore dignatus est, donec se legali præscripto modo ab obiectis purgaret. Quod postquam gestum est in Purificatione sanctæ Mariæ, cunctis diiudicatis ad mortem, vitam consueto benignitatis & clementiæ more concessit, missisque Lothario in Italiam, Pippino in Aquitaniam, Ludouico in Baioariam, ipse Quadragesimale tempus Paschæque solemnitatem in eodem loco celebrauit. Inde ad Ingelheim, & in partes Rumerici montis per Vosagum transiit, ibique piscationi & venationi indulsit. In Generali Conuentu ad Theodonis villam Autumni tempore celebrato adfuit Bernardus, qui in finibus Hispaniæ exulauerat; & more Francis solito, crimen obiicienti semet obiicere, armísque impacta diluere voluit: Sed quùm accusator, licet quæsitus, deesset, cessantibus armis purgatio facta est iuramentis. Præceperat porrò Imperator, vt huic placito filius eius Pippinus interesset, sed ille Conuentui semet subtraxit, post placitum verò adue-*

nit.

nit. Imperator volens hanc inobedientiam castigare, secum eum morari iussit, & vsque ad Natalem Domini Aquisgrani tenuit, ast ille fugam breui capessens, inscio patre in Aquitaniam concessit. Id factum in vigilia Innocentium docent Annales Bertiniani, qui deinceps nobis maximo erunt adiumento cum Vitâ Ludouici, Thegano, Nithardo, &c. De Alexio genero Theophili Imp. in Italiam missо consule Cedrenum, Scylitzam seu Ioannem Curopalatam, similésque. Alpinus Dungalli in Scotię regno successor Pictos debellat occiso eorum Rege, si quæ fides Boëthio, Lesłæo, Buchanano, *&c.*

Anno Christi DCCCXXXII. *Ludouici* 19. *Conuentum publicum Aurelianis fieri iusserat ineunte Maio Imperator, sed quum nunciatum esset quosdam motus à Ludouico filio impulsore Matfrido in Baioariâ excitatos, confestim omnes sibi Francos Moguntiæ obuiam venire XIV. Kal. Maij præcepit, quo die post Solis occasum Eclipsis Lunæ facta est. Ludouicus, qui è regione Vormatiæ constiterat, audito patris cum validis copiis aduentu in Baioariam eadem, quâ venerat, viâ festinanter reuersus est. Quò eum insecutus Imperator Triburim villam transito Rheno, tum Augustam Vindelicam seu Ausburgum vsque perrexit, filiumque suum solitâ pietate complexus, omnia, quæ cont. a se attentarat, illi benignus indulsit: Lotharius Moguntiæ patri occurrit, denuóque sancitum Kal. Septembribus placitum generale Aurelianis habendum, eóque vocandum Pippinum, qui licet inuitus adfuisse dicitur. Cæterùm Imperator, consideratis quorundam prauorum hominum consiliis filij animum, tam minis, quàm promissionibus ad deteriora peruertere festinantium, & Bernardum maximè veritus, cuius consilio Pippinus, qui in Aquitaniam reuersus fuerat, plurimùm vti dicebatur, Ligeri transmeato cum suo commeatu ad Iocondiacum Palatium venit in territorio Lemouicensi situm. Ibi ventilatâ vtriusque causâ, Bernardum quidem, quùm infidelitatis insimularetur, nec tamen vsque ad congressionem probator procedere vellet, honoribus priuauit: Pippinum verò ob prauorum morum corruptionem sub custodiâ priuatâ Treueros perduci iussit. Quò quùm duceretur, & indulgentiùs haberetur, à suis custodiæ noctu subducitur, & vsque ad Imperatoris ex Aquitania reditum, quaqua versum voluit, peruagatur. Imperator populum ad Missam S. Martini conuocat, fugientémque filium reuocare satagit; sed illo congressum patris declinante asperrima hyemis incubuit inclementia, quæ adeò noxia fuit, vt subtritis pedibus equinis rarus quisque foret, qui vectione equorum vteretur. Fracto ergo tantis laboribus exercitu, & Aquitanorum improuisos excursus subinde & molestè ferente, statuit Imperator ad villam, cuius vocabulum*

Restis est venire, ibique Ligeris amne superato in Franciam hiematum redire. Quod & fecit, Cenomanisque Natalem Domini celebrauit. Annales Bertiniani, Metenses, & Fuldenses, Vita Ludouici, Theganus, Hermannus, Nithardus qui nescio cuius Guntbaldi monachi ab aliis praetermissi mentionem facit, &c. Aldricus & Ebbo Metropolitæ Senonensis & Rhemensis cum suffraganeis suis collapsam in monasterio S. Dionysij religiosam disciplinam Hilduino Abbate restaurant. Extat Diploma Ludouici Imperatoris apud Doubletum & Tomo II. Conciliorum Galliæ datum VII. Kal. Septembris anno XIX. Imperij Ludouici Indict. X. Baronius in Annalibus Theophili in cultores Imaginum sæuissimam crudelitatem exponit.

Anno Christi DCCCXXXIII. *Ludouici Pij* 20. *Aquitania Pippino dempta Carolo Iudithæ filio datur, & in eius obsequium primatus populi, qui cum patre sentiebat, iurat, quod maioris discordiæ incitamentum fuit: Emissi enim custodiâ, qui in exilium retrusi fuerant, Vvalana, Elisachar, Matfridus, alique seditionis incentores Lotharium, vt rempublicam inuadat, compellunt. Quin & Gregorium Romanæ Sedis Pontificem, vt suâ auctoritate liberius, quod cupiebant, perficere possent, magnis precibus in supplementum suæ voluntatis assumunt. Imperator Festis Paschæ ac Pentecostes Vvormatiæ peractis conuocato exercitu in Elisatiam profectus circa solemnitatem S. Ioannis Baptistæ filiis occurrit inter Argentariam & Basileam iuxta montem Sigualdi, in loco qui dicitur Rotfeldt id est Rubeus campus prope Columb, qui deinceps locus ab eo quod ibi gestum est perpetuâ nominis ignominia notatus est, vt vocetur Campus-mentitus seu mendacij, quod ibi fidelitas plurimorum extincta sit. Eo quippe conuenerant Lotharius de Italiâ Gregorium Apostolicum secum adducens, Pippinus de Aquitania & Ludouicus de Baioaria cum plurima hominum multitudine. Quùm autem haud procul aciebus ordinatis consisterent, iam iámque ruendum in arma putaretur, nunciatum est Imperatori aduenire Papam Romanorum, qui ductus in habitationem Castrensem multis assertionibus perdocuit non se tantum iter ob aliud suscepisse, quàm vt pacem in vtramque partem sereret. Post aliquot dies remissus ab Imperatore ad filios, quùm penè omnis populus, partim donis abstractus, partim promissis illectus, partim minis territus, ad eos more torrentis defluueret, nequaquam redire permissus est. Tot ergo copiis inibi adductis & Imperatori subductis, adeò defectio in dies inualuit, vt in festiuitate sancti Pauli plebeij contra Imperatorem irruptionem facere minarentur. Quibus ipse viribus obniti cùm non valeret, castris relictis ad filios venire statuit, quos*

sibi occurrentes & equis desilientes admonuit, vt promissionis suæ memores, tam sibi, quàm filio & vxori illibata, quæ olim promiserant, conseruarent. Vix in eorum castra venerat, cùm vxor subducitur, & ad Ludouici tabernacula conuertitur. Ipsum verò Lotharius ad sua cum Carolo admodum puero deduxit, & in papilione ad hoc deputato consistere fecit. Post hæc populo iam iuramentis obstricto, imperium ternâ sectione partitur, receptámque à fratre Ludouico Iuditham nouercam in Italiæ ciuitatem Tortonam exilio amandat. Quæ quùm Gregorius Papa cerneret, cum maximo mœrore Romam reuersus est. Lotharius fratribus in Aquitaniam & Baioariam digressis assumpto patre, seorsimque cum deputatis equitante, Merlegium villam venit, ibíque Compendij indicto Conuentu Vosagum per Mauri-monasterium transiit, & Mediomatricum, quæ altero nomine Metis vocatur, peruenit. Quâ relictâ ciuitate Viridunum appulit, & Suessionum vrbem adiit, ibique in monasterio sancti Medardi patrem sub arcta custodia esse præcepit, & Carolo fratre Prumiæ commendato, nec tamen attonso, ipse venationi institit, donec autumni tempore, id est Kalendis Octobris, patrem secum ducens Compendium venit ad indictum Conuentum, vbi postquam annua dona & fidelitatis iuramentum exegisset, Legatos Constantinopolitani Imperatoris ad patrem missos absoluisset, aliáque omnia pro imperio administrasset, consilio Ebbonis Rhemorum Archiepiscopi, aliorúmque Episcoporum & nefariæ conspirationis principum, decretum est, vt Imperator renouata, de quibus iam pœnitudinem gesserat, publicâ pœnitentiâ, inauditus, neque confitens, neque conuictus, ante corpus sancti Medardi confessoris & sancti Sebastiani martyris arma deponere, & ante altare eiusdem Basilicæ ponere cogeretur, pulláque indutus veste ab Ecclesia eiiceretur, tum magna adhibita custodiâ sub vile tectum retruderetur. Quo perpetrato immani facinore (rectè enim in Sangallensi Chronico breuissimo hoc dumtaxat legitur, DCCCXXXIII. *Francorum dedecus) dimissóque in Missâ sancti Martini populo, Lotharius, qui patrem Compendium Suessionis euocarat, sub eadem custodia secum ducens, in peruigilio sancti Andreæ Aquisgranum peruenit, inde Moguntiæ cum fratre Ludouico colloquium init, & ad patrem reuertitur, pro quo liberando in Germania, Aquitania & Burgundiâ solliciti Franci penè omnes populum suasionibus accendebant, promissionibus alliciebant, iuramentis adstringebant, & in vnum velle fœderabant, vt pluribus ista prosequuntur Auctor Vitæ Ludouici, Theganus capp. 43. 44. vbi suis coloribus bellè depingitur, Ebbo, 45. & sequentibus, Nithardus libro primo Historiæ, Odorannus, Annales Bertiniani, Metenses, Ful-*

denſes, &c. *Hermannus, Regino, Sigebertus*, &c. *Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus (qui vnus ex Lothariana factionis Epiſcopis cum Bernardo Viennenſi, Bartolomæo Narbonenſi, Ieſſe Ambianenſi, Helia Tricaſſino, Hereboldo Antiſiodorenſi*, &c.) *in peculiari ea de re libello, & Acta nefariæ, ac ſæculis omnibus deteſtandæ, Exauctorationis à Pithœo primùm edita, quæ extant in Conciliis Galliæ, & pag. 351. Tomi II. Collectaneorum Hiſtoricorum Ducheſnij: vbi menſe Octobri Indictio XII. cum anno Incarnationis Chriſti 833. comparatur. Conqueſtio Ludouici Imperatoris de crudelitate & defectione ſuorum militum & horrendo ſcelere filiorum ſuorum in ſui detectione & depoſitione patrato, quam edidit idem pag. 336. Tomi II. ex Codice MS. Miraculorum ſancti Sebaſtiani*, &c. Theophilus Imperator acie vicit hoc anno Saracenos, plurimis in ſeruitutem redactis. Ipſe verò Maimon eorum in Babylonia Princeps obiit anno Hegiræ 218. poſt 20. imperij annos. Succeſſor eius Mutezam ſummus Medicorum amator fuiſſe dicitur.

Anno Chriſti DCCCXXXIV. *Ludouici* 21. *Lotharius patre aſſumpto ſub veris initium per pagum Haſbanienſem iter arripuit, & Pariſiorum vrbem petiit, vbi ſibi adeſſe fideles cunctos præceperat. Cui Eggebardus Comes & alij illius pagi Proceres cum magnâ coactâ manu obuiam pro liberatione Imperatoris pugnaturi proceſſerunt, peruenisſétque res ad effectum, niſi piiſſimus Imperator inhibuiſſet. Tandem ergo peruentum eſt ad Monaſterium ſancti Dionyſij. Pippinus verò à Ludouico fratre in auxilium patris euocatus ab Aquitania cum maximis copiis ad Sequanam vſque peruenerat. Vvarinus quoque & Bernardus Comites ex Burgundiâ partim intemperie aëris retardati, partim pro ſociis colligendis in villâ Bonogilo ad Matronam fluuium conſederant. Inſtabat tum ſanctæ Quadrageſimæ tempus. Cuius hebdomadâ prima miſſi ſunt ab illis Legati ad Lotharium poſtulantes vt eis abſolutus cuſtodiæ vinculis Imperator redderetur. Quibus ipſe reſpondit nullum plus ſe compati paternæ calamitati, vel congaudere proſperitati, nec debere ſibi imputari culpam Senioris ſibi oblati, quum ipſi cum deſtituiſſent ac prodidiſſent, neque carceralis cuſtodiæ næuum ſibi iure inuri, quùm conſtaret hoc actum iudicio Epiſcopali. Verùm cùm comperiſſet Ludouicum fratrem cum innumera populi multitudine ad eaſdem partes properare, inde perterritus, relicto patre in monaſterio ſancti Dionyſij Pridie Kalendas Martij in Burgundiam, cum iis, qui eius fauore ducebantur, aufugit, & Viennæ ſtatiua facere delegit. Poſt eius abſceſſum poſterâ die (quæ fuit ſecunda Quadrageſimæ illius Dominica & in Ka-*

lendas Martij illo anno incidit) Episcopi qui præsentes aderant in Ecclesia sancti Dionysij Imperatorem reconciliarunt, & Regalibus vestibus, armisque, quibus per summum nefas spoliatus fuerat, induerunt accinxerúntque, cunctis applaudentibus, & cœli facie in antiquam ac multo tempore inuisam serenitatem conuersâ. Inde Nantogilum, ac paulò pòst Carisiacum villam regiam cùm veniisset medio Quadrageſimæ tempore, arridente etiam lætitia ipsius diei & officij exhortante cantilena Ecclesiasticâ, ac dicente: Lætare Ierusalem & diem festum agite omnes, qui diligitis eam, maxima multitudo subditorum ibidem occurrit congratulans communi lætitiæ. Quos Imperator benignè suscipiens, & pro fidei integritate gratias agens Pippinum quidem filium in Aquitaniam dimisit, ceteros autem ad loca sibi congrua redire lætos permisit. Ipse autem Aquisgranum peruenit, ibíque Iudith Augustam ab Italiâ reducem, sed & Pippinum filium recepit, Carolum enim iamdudum secum habebat, ibidémque Paschæ solemnitatem cum solita deuotione peregit, & post Pentecostem in partes Romerici montis concessit, venationi atque piscationi daturus operam, Legatósque misit ad Lotharium, qui ei renuntiarent omnia se, quæ contra patrem egerat, concessisse, & ad reditum benignè inuitarent. Interim in Neustriæ partibus Lantbertus Comes, Matfridus, aliique, qui Lotharij partes sequebantur, Odonem Comitem Aurelianensem Matfrido subrogatum, Vvillelmum fratrem eius Comitem Blesensium, Guidonem Comitem Cenomanensium, Theotonem Abbatem monasterij sancti Martini, Fulbertum, alióque Imperatori adhærentes commisso prælio interfecerunt; Quo audito Lotharius suis suppetias laturus Viennâ Cabillonum venit, quæ ciuitas à Vvarino Comite vtcumque tumultuario opere munita vsraci incendio consumpta est, præter vnam sancti Georgij Basilicam, Comites tres capite plexi, & Gerberga sanctimonialis filia Vvillelmi Comitis ac soror Bernardi in vinario vase demersa in Ararim tamquam venefica. Qui nuncius ad Imperatorem perlatus est, cùm Lingonicam vsque vrbem cum Ludouico filio medio mense Augusto veniisset: Lotharius verò Augustoduno Aurelias, indéque in pagum Cenomannicum in villam, cuius vocabulum est Matualis, deuenit, insequente eum cum copiis suis Imperatore per Tricassium, Carnutum & Dunensium agrōs vsque ad Blesense castellum, quo fluuius Ciza Ligeri confluit, vbi Pippinum filium cum exercitu auxilio venientem excepit. Tandem infractus viribus Lotharius, rebúsque diffidens suis, supplex ad patrem venit, quem ille coërcitum verbis & obligatum, quibus voluit, sacramentis in Italiam ire iussit, oppilatis angustiis itinerum, quæ in Italiam transmittunt, ne quis transire

posset nisi licentiâ custodientium. Quibus peractis Aurelianum Imperator venit, dimissisque in sua regna Pippino ac Ludouico, Parisios ipse profectus circa Missam sancti Martini Conuentum Generalem habuit in Attiniaco palatio, negotiisque regni dispositis, Natalem Domini cum Drogone Metensi Episcopo fratre suo Metis celebrauit, & ad suum palatium Theodonis villam accessit. Vita Ludouici, Theganus capp. 47. 48. & sequentibus ferè ad finem vsque, Annales Bertiniani, Metenses, & Fuldenses, Nithardus libro I. Historiæ suæ. Hermannus, Sigebertus, & Regino in Chronicis, Adrevaldus libro primo miraculorum sancti Benedicti cap. 20. vbi mentio Ionæ Aurelianensis Episcopi, & Bosonis Abbatis sancti Benedicti Floriacensis. Ludouicus ipse Imperator in Epistola, quam de conscribendâ vitâ sancti Dionysij ad Hilduinum Abbatem scripsit, quæ Hilduini Areopagiticis prafigi solet, extátque Tomo II. Conciliorum Sirmondi pag. 629. Herio insula ob crebros Normannorum incursus à generali Monachorum habitatione destituitur mense Iunio, inquit Auctor Chronici Aquitanici quod ab aliis dicitur, Fragmentum Chronici Lemouicensis. In Græcia Theophilus Imp. Theophanem ac Theodorum sanctissimos viros notis in fronte ferro candenti inustis compungi iubet, & exilio S. Methodium in insulam relegat. Cedrenus, aliíque Græci.

Anno Christi DCCCXXXV. *Ludouicus regni 22. in Theodonis villâ circa Purificatæ Virginis solenne festum Conuentum Generalem habuit omnium penè totius Imperij sui Episcoporum & Abbatum tam Canonicorum quàm Regularium. Tum Metis in basilicâ Beati Stephani Protomartyris Missarum celebratione peractâ, Dominicâ, quæ sacræ Quadragesimæ initium præcedebat, septem reconciliationis Ecclesiasticæ orationibus super Imperatorem à septem Archiepiscopis recitatis, coronam insigne Imperij ab altari sublevatam sacri illi Antistites capiti eius cum maximo omnium gaudio propriis manibus restituerunt. Sed & Ebbo Rhemensis Archiepiscopus, qui nefariæ exauctorationis incentor & veluti signifer extiterat, à fugâ, quam meditatus fuerat, retractus, & ad Imperatorem adductus, conscenso eminentiori loco in eadem Ecclesiâ libera voce coram omnibus professus est eundem Augustum iniustè depositum. Quibus solemniter ea die peractis, ad Theodonis palatium regressi sunt omnes, ibique Ebbo (turpissimum Rusticum appellat Theganus ex originalium seruorum stirpe) Rhemensis in plenaria Synodo capitale crimen confessus more tunc vsitato per confessores à se electos Ainulfum Bituricensem Archiepiscopum, Modoinum Augustodunensem, & Badaradum Paderbornensis ciuitatis in Saxonia Episcopos,*

séque Episcopali ministerio indignum proclamans, omnium iudicio & consensu depositus est. Idem Theganus qui hoc anno ista scribebat, docet: alios Episcopos Ebonem firmiter amouere non ausos, ne eorum proditor existeret, suasisse ei, vt sibi ostenderet ministerium Sacerdotale minimè posse habere. Quod ita fecit, & ideò sic planè dimissus est. Quod adhuc omninò emendare opus est, quia melius est, inquit, iudicium Sanctorum Patrum exercere in eo, quàm falsam pietatem sub obtentu Religionis demonstrare. Quo facto, addit Auctor Vitæ Ludouici, Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, qui euocatus ad satisfactionem venire distulit, quùm ter esset euocatus ab Ecclesiæ Præsulatu semotus est, ceteris eiusdem culpæ conscijs in Italiam fugientibus. Post solemnitatem Paschalem, quam Metis apud Drogonem celebrauit, & venerabilem Pentecostes diem idem pientissimus Imperator ciuitatem Vangionum, quæ nunc Vvormacia dicitur, secundùm quod anno præcedenti condixerat, ad celebrandum Conuentum Generalem abiit, vbi ei etiam filius Pippinus occurrit, nec Ludouicus alter eius filius defuit. More autem suo examinare studuit, quid quique Missorum in diuersas partes directi egissent, Comitum segnitiem, qui in exterminatione latronum segnes reperti sunt, condignâ inuectione castigauit, filióque & populum admonuit, vt æquitatem diligerent, raptoréque opprimerent, bonos quoque & eorum possessiones ab oppressione releuarent. Quúmque ab hoc placito populum demitteret, & sequens in Theodonis villâ post Pascha constituisset, Aquisgranum ad hyemandum se contulit, filióque suo Lothario mandauit, vt nobiles quosque suorum ad eumdem locum dirigeret, quatenus reconciliationis mutuæ inter se & illum ratio inuestigaretur. Missus est inter cæteros Vvala, qui cùm rediisset, mandatum Imperatoris ad effectum perducere non potuit, febre enim consumptus vitâ cessit, & Lotharius lectulo affixus diuturno tempore ex morbo decubuit. At Imperator naturâ clementissimus, vt filium aduersâ valetudine correptum audiuit, missis Hugone fratre suo & Adalgario Comite eum visitare studuit, imitatus Beatum Dauid, qui multis insectationibus lacessitus à filio, mortem tamen eius ægerrimè tulit. Verùm morbus Lotharij & mors Vvalæ aliorúmque rectius in annum consequentem differri posse videtur, quamquam paulò turbatiùs ista digesta sunt in Vita & Actibus Ludouici Imperatoris. Consule præter hanc de rebus hoc anno gestis Theganum, Nithardum, Annales Bertinianos, Metenses atque Fuldenses, Acta Synodorum Suessionensis apud sanctum Medardum & Tricassinæ prioris, Flodoardum libro II. Rhemensis Historiæ cap. 20. Hincmarum Archiepiscopum Ebbonis successorem in posteriori opere aduersus Gotheschalcum cap. XXXVI.

Narrationem Clericorum Remensium quæ extat pag.340.Tomi II.Collectionis Quercetanæ. Rainaldus Arbatilicensis Comes 13.Kalendas Septembres cum Normannis dimicauit in Herio insula ex Chr.Aquit. Ex Lemouicensi verò Miraculum fuit Beatissimi Martialis in Monte Gaudij. Die Maij 22. sabbato ante Triduanas Litanias abiit ad superos sanctus Aiulfus seu Aygulphus Biturigum Archiepiscopus, quem comminiscuntur nostrates Historici vix vno expleto sedu anno in desertam vnde euocatus fuerat solitudinem rediisse. Alij Martyrem indigetant: quæ in præsens omitto, vt moneam successorem habuisse paulo post Stephanum Archiepiscopum Biturigum Cuborum ordine XXXXVI. ad tres tantum quatuorve, vt similius verò videtur, annos. Hic interfuit Synodo Vvormatiæ æstiuo tempore celebratæ, vel, quod libentiùs amplector, Aquisgranensi Conuentui, in quo XVI. Kal. Decembris Indict. XIV. vel minus rectè XIII. subscriptiones appositæ sunt priuilegio concesso Abbatiæ sancti Remigij Senonens. de quo Iacobus Tauellus in Archiepiscopis Senonensibus, Claudius Robertus in Gallia Christianâ, & Petrus Rouerius noster in Illustrationibus Reomaensis sancti Ioannis Monasterij. Egberto primo Anglorum in Britannia Monarchæ post annos 36. & menses sex mortuo successisse dicitur Edeluulfus ad annos 22. Alij Egbertum hoc tempore volunt Danos repulisse, & Angliæ nomen prouinciis omnibus siue regnis quæ in vnum compegerat indidisse, tum anno demum 838. obiisse. Kennetus in regno Scotiæ successit Alpino patri à Pictis capto, & apud Deidonum interfecto. Theodoto Patr. CP. subrogatur Ioannes Theophili Imperatoris Pædagogus eiusdémque Iconomachorum hæreseos labe fœdatus.

Anno Christi DCCCXXXVI. *Ludouici* 23. *Aquisgrani in secretario basilicæ sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quod dicitur Lateranis, Indictione XIV. anno Ludouici XXIII. octauo Iduum mensis Februarij paulò post Purificationem Beatissimæ semper Virginis Synodali euocatione congregati Episcopi plurimi, quorum subscriptiones perierunt, de statu & necessitatibus Ecclesiæ ingentem eruditúmque tractatum ediderunt, atque inter cætera grauiter questi sunt de rebus, quas Pippinus & sui multis Ecclesiis abstulerant, vt docet Auctor Vitæ Ludouici, qui addit ob eam rem Imperialem auctoritatem & communis concilij commonitorium ordinatum fuisse, quibus commoneretur Pippinus & sui, cum quanto periculo res Ecclesiasticas peruaserint. Quæ res prosperum dicitur sortita exitum. Pippinus enim monita pij patris sanctorúmque virorum libenter suscipiens, obedienter paruit & omnia inuasa restitui*

etiam

etiam per anuli sui impressionem constituit. Libros tres ad Pippinum à Synodo scriptos habes pag. 596. Tomi II. Conciliorum Galliæ. Reliqua huius anni ex Annalibus Bertinianis, qui cum Vita & Actibus Ludouici conciliandi sunt, repetamus. Lotharius crebrâ Legatione ab Imperatore admonitus de submittendis Legatis, qui paternam erga illum voluntatem audire sibique fideliter nunciare valerent, amantissimi patris iussionibus non vsquequáque refragans, mense Maio ad Imperatoris præsentiam cum quibusdam aliis Vvalonem, seu Vvalam direxit, cum quo in Theodonis villâ de aduentu Lotharij sedulò tractatum est. Interea ad Rumerici montem profectus est Imperator venandi gratiâ, ac mense deinde Septembri ad indictum Placitum Vvormatiam venit, in quo cùm annua dona more solito reciperet, ac Lotharium operiretur, nunciatus est febri correptus nullatenus aduenire posse. Ad quem directis denuò Hugone Abbate fratre suo & Adalgario Comite de infirmitate ac recuperatione eius, & voluntate in posterum veniendi quæsitum est, necnon de restitutione rerum Ecclesiis Dei in Francia constitutis, quæ in Italiâ sitæ à Lotharianæ factionis hominibus pro libitu fuerant vsurpatæ: verùm, & de Episcopis atque Comitibus, qui dudum cum Augustâ fideli deuotione de Italiâ venerant, vt eis & sedes propriæ & Comitatus ac beneficia seu res propriæ redderentur. Ad quæ Lotharius per Missos suos, oppositis quibusdam conditionibus non in omnibus se assentiri posse mandauit. Adhæc verò spectant quæ narrantur in Vita de vexatione Ecclesiæ sancti Petri eiusque susceptâ per Legatos ab Imperatore piissimo aduersus filium defensione, quæ tu per otium, si vacat, ibidem leges: non omittam tamen exscribere, quæ subiiciuntur: Ea tempestate, inquit Anonymus ille Auctor, quanta lues mortalis populum qui Lotharium sequutus est inuaserit, miserabile est dictu. In breui enim, id est à Calendis Septembris vsque ad Missam sancti Martini hi primores eius vitâ excesserunt: Iesse olim Ambianensis Episcopus, Helias Tricassinæ vrbis Episcopus, Vvala Corbeiensis monasterij Abbas, Matfridus, Hugo, Lantbertus fautorum Lotharij maximus (eum tamen superfuisse, vsque ad Caroli Calui regnum multa testantur) Godofridus, itémque filius eius Godofridus, Albertus Comes Pertensis, Burgaretus quondam Præfectus venatoribus Regalibus, sed & Richardus vix euasit, paulo pòst enim mortuus est. Hi autem erant quorum discessu Francia dicebatur nobilitate orbata, fortitudine quasi neruis succisis euirata, prudentia his obeuntibus annullata, &c. Annales enim ad se nos reuocant: Eodem tempore Nordmanni Doreſtatum & Frisiam depopulati sunt, & Imperator soluto Vvormatiensi Conuentu peractáque au-

tumnali venatione in Franconofurdenſi palatio, Aquiſgranum reuerſus eſt. Azenarius citerioris Vaſconiæ Comes, qui ante aliquot annos à Pippino deſciuerat, horribili morte interiit, fratérque illius Sancio-Sanci eamdem regionem negante Pippino occupauit, Britonum quoque impetus & motus facilè conquieuit. De Stramiacenſi conuentu aſſentior potiùs Auctori Vitæ Ludouici, quod video placuiſſe etiam noſtro Sirmondo, quàm Annalibus Bertinianis, qui anno præcedenti aſſignant; ſic enim Anonymus ille: Proximum huic placito (Aquiſgranenſi, cuius anno tantùm ſequenti meminerunt Annales) Conuentum Imperator in pago Lugdunenſi habuit, tempore æſtiuo in loco qui vocatur Stramiacus cum Pippino & Ludouico filiis. Nam quod Lotharius non adfuit inualentia ægritudinis ſupradictæ obfuit. In quo cauſam Eccleſiarum Lugdunenſis atque Viennenſis vacantium ventilari fecit, eò quod Epiſcopi dudum illarum, Agobardus quidem iuſſus ad rationem non venerit reddendam, Bernardus autem Viennenſis affuerit quidem, ſed rurſus fugam inierit. Verùm imperfecta res remanſit propter abſentiam Epiſcoporum. Ventilata quoque ibidem eſt Gothorum cauſa, quorum alij partibus Bernardi faucbant, alij ducebantur fauore Berengarij Hunroci (aliis Turonici) quondam Comitis filij; Sed Berengario immaturâ morte prærepto, apud Bernardum poteſtas Septimaniæ quam maxima remanſit. Annales Bertiniani generale illud Placitum in Stremiaco prope Lugdunum ciuitatem habitum fuiſſe menſe Iunio tradunt, & inde Imperatorem donis annualibus receptis, diſpoſitis Markis Hiſpaniæ, Septimaniæ ſiue Prouinciæ, filiis dimiſſis, peractáque in Arduennæ ſaltibus autumnali venatione, ac munita aduerſus Nortmannorum incurſus orâ maritimâ ad Miſſam S. Martini Aquiſgranum rediiſſe, ibique Natalem Domini & proximum Paſcha exegiſſe. Vita Ludouici, Theganus qui hîc deſinit, in morte Berengarij quem Ducem fidelem ac ſapientem vocat, & annum hunc numerat Ludouici piiſſimi Imperatoris XXIII. Annales Bertiniani, & Fuldenſes, qui Anduerpam ciuitatem à Normannis incenſam & Vitlam emporium iuxta oſtium Moſæ fluminis direptum memorant. Ado in Chronico, vbi duos illos Archiepiſcopos, qui in Italiam fugerant, in gratiam poſtea rediiſſe, & Eccleſias ſuas recepiſſe affirmat, ipſúmque Agobardum poſt paucos annos apud Santones in expeditione regiâ defunctum eſſe. Corpus ſancti Philiberti ſeptimo Idus Iunij ex Herio inſula effoditur, & in Burgundiam perfertur, inquiunt Auctores Fragmenti Aquitanici & Chronici Engoliſmenſis ex codice Conciliorum Bibliothecæ Tilianæ à nobis vulgati Tomo I. Nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum pag. 323.

Plura Ioannes Bezuensis aliique. Corpus sancti Viti martyris è Gallia translatum est in monasterium Nouæ Corbeiæ in Saxoniâ an. XIV. ab eius primâ fundatione. Vide pag. 348. Tomi II. Collectionis Duchesnianæ. Sigebertus anno præcedenti consignat, vbi etiam testis est, monente Gregorio Papâ & omnibus Episcopus assentientibus, Ludouicum Imperatorem statuisse, vt in Gallia & Germaniâ festiuitas omnium Sanctorum Kalendis Nouembribus celebraretur. Qua de re consulendus quoque Vsuardus, aliique veteres Martyrologiorum scriptores. M. Ant. Coccius Sabellicus pulsum ex Italia Venetorum Ducem Ioannem narrat exulasse in Gallia, effossósque oculos Carosio qui Magistratum illum per vim arripuerat.

Anno Christi DCCCXXXVII. *Imperator an. regni* 24. *Aquisgrani celebratâ Paschali solemnitate, quâ mediante in signo Virginis Cometæ sidus apparuit (de quo plura Anonymus Auctor Vitæ Ludouici lectu dignissima) venatum in Arduennam perrexit: inde insistente Augustâ & Ministris Palatinis quamdam partem Imperij Imperator filio suo Carolo Aquisgrani tradidit annuente Ludouico & missis Pippini omnique populo qui præsens aderat, vt habent Annales Bertiniani, qui minutatim Comitatus ferè singulos recensent, non secus atque Nithardus sub finem libri primi. At in Vitâ legimus primò rem illam agrè tulisse fratres Caroli, initóque colloquio cum contraire non possent, cœptum dissimulantes, motus patris, qui ex hoc accidisse videbantur, facillimè composuisse. In his ergo tota æstate Imperator existens, indixit generalem Conuentum medio Septembri in Carisiaco. Cui Pippinus ex Aquitania ad patrem veniens interfuit, vbi dominus Imperator filium suum Carolum armis virilibus, id est ense cinxit, coronâ regali caput insigniuit, partémque Regni, quam homonymus eius Carolus habuit, id est Neustriam attribuit. Tunc quoque par est credere Episcopos, Abbates, Comites & Vassallos dominicos beneficia in memoratis locis habentes Carolo se commendasse, & fidelitatem sacramento firmasse, atque in his Hilduinum S. Dionysij Abbatem, Gerardum Comitem Parisiensem, aliósque. In eodem quoque Conuentu penè omnes Septimaniæ nobiles affuerunt, conquerentes aduersus Bernardum Ducem illarum partium, eo quòd illius satellites, tam rebus Ecclesiasticis, quàm priuatis, absque vllo respectu diuino humanóque pro libito abuterentur. In eam rem missi ab Imperatore Comites cum Adrebaldo Flauiniacensi Abbate, qui de ablatis æquo libramine penderent, & auitam eis legem conseruarent. Quibus ritè peractis, Imperator ab eo loco diuertens, venationi autumnali iuxta morem operam dedit, & ad tempora*

hiemalia exigenda Aquisgranum se collegit. Vita, Bertiniani Annales, Nithardus, aliique scriptores à nobis passim laudati. Testamentum Euerardi Comitis fundatoris Ecclesiæ Cisonensis in diœcesi Tornacensi à Miræo in Codice piarum Donationum cap. 21. & in Notitia Ecclesiarum Belgij cap. 29. aliisque Belgicis scriptoribus memoratur, licet non æque eruditis omnibus probetur. Ordonio Legionensi Regi æra 875. defuncto succedit filius Alfonsus cognomine Magnus, de quo Hispani multa quæ diligentiori indigent examine.

Anno Christi DCCCXXXVIII. *Ludouici 25. Kalendis Ianuarij sæuus Cometæ ignis in signo Scorpionis apparuit paulò pòst Solis occubitum, cuius minacem vultum non multò pòst excessus Pippini Aquitaniæ Regis subsequutus est, inquit Auctor Vitæ Ludouici. Anonymus autem ille qui Vitam sancti Genulfi scripsit, extátque parte secunda Bibliothecæ Floriacensis cap. 10. libri posterioris, affirmat Pictauis apud sanctam Radegundem sepultum biennio ante patris mortem, relictis duobus filiis Pippino & Carolo, de quibus plura narranda erunt sequentibus deinceps annis. Inde verò corrigendos arbitror Annales Fuldenses, Bertinianos, ceterósque qui Pippinum tradunt obiisse huius anni Nouembri mense vel Idibus Decembris; substituendum enim videtur Ianuarij potius aut Februarij, vt satis aperte insinuant memorati priùs scriptores. Interea Iudith Augusta ad Lotharium mittit, qui eum ad patrem inuitarent eâ conditione, vt si fratris sui Caroli dilector & adiutor tutórque & protector esse vellet, sciret se à patre omnium perperam gestorum indulgentiam adepturum, simul & medietatem Imperij, exceptâ Baioariâ, vtpote, quam Ludouicus iam pridem sibi à patre commissam regebat, consecuturum. (vnde etiam liquidò constare potest iamtum obiisse Pippinum) Quæ res tam Lothario quàm suis per omnia visa est vtilis. Venit ergo iuxta conductum Vvormatiam post Paschæ solemnitatem, imò & post Kalendas Iunij, & à patre magnâ cum alacritate susceptus est, diuisóque ab Imperatore duas in partes Imperio, Lotharius data sibi optione à fluuio Mosâ Australem sibi partem tenendam delegit, occiduam verò Carolo fratri habendam reliquit; quibus peractis in Italiam lætus abiit paternis muneribus & benedictione ditatus. Atque hinc dictos postea Lotharenses, & Carlenses, quidam non improbabiliter autumant. Præter citatos in contextu Scriptores videsis Nithardum extremo libro primo copiosiùs ista edisserentem. S. Frederici Vltraiectini Ep. martyrium in hunc annum confertur: licet de causa necis non benè conueniat inter auctores. Hirsaugiensis cœnobij ab Otgaro Moguntino Anti-*

ſtite hoc anno dedicati primus fuit Abbas Erlafridus teſte Trithemio. Theophilus Imperator Orientis miſſo Manuele Duce fortiſſimo Saracenos vincit inſigni victoria in quâ præter cæſorum numerum recenſentur 25. captiuorum millia. Etheluolfus Angliæ Rex Danos ſæpius viciſſe perhibetur. Petrus Tradonius Venetorum Dux hoc tempore memoratur Ioanni exuli mortuo ſuccenturiatus.

Anno Chriſti DCCCXXXIX. *Ludouici Pij Imp. 26. Ludouicum Baioariæ Regem vehementer pupugerat facta anno præcedenti inter fratres ſuos à patre Imperij diuiſio, ideóque quidquid Regni trans Rhenum ſternebatur, totum id ſibi armis adſcribendum putauerat. Quo comperto Imperator, peractâ feſtiuitate Paſchali Rhenum apud Mogontiacum tranſiit, & Tiburas venit, coactóque exercitu Hodomiam vſque filium inſecutus eſt, qui cùm tandem licet inuitus ad genua patris ſupplex accidiſſet, ab eo verbis paulò durioribus dumtaxat increpitus, regnum ſuum adminiſtrare permiſſus eſt. Imperator verò Rhenum in loco qui Confluens dicitur, tranſmeauit ſolitam in Arduennâ ſiluâ venationem peracturus: in quâ cum exerceretur, Ebroinus Pictauenſis Epiſcopus Flateram aduenit, nuncians tam ſe, quàm reliquos Aquitanici Regni primores, in quibus eminebant Reginardus Comes, Gerardus, & Ratharius ſimiliter Comites & generi quondam Pippini Regis, expectare Imperatoris voluntatem, ciúſque velle in omnibus exequi iuſſionem. Emenus enim quidam, aliíque profligati homines, aſſumpto ſecum Pippino defuncti Pippini maiore natu filio, crebris per Aquitaniam depræda tionibus, & tyrannidi operam dabant. Precabatur ergo præfatus Antiſtes Imperatorem, ne in longum differret hunc morbum ſerpere, ſed maturè ſuo ipſe aduentu mederetur tali incommodo, antequam tanta lues plurimos inficere poſſet. Quamobrem Imperator autumnali tempore Cabillonum petiit, diſpoſitíſque in illo generali Conuentu, tam Eccleſiaſticis, quàm publicis negotiis, cum Iudith Reginâ, Carolo filio, & validâ militum manu Ligeris amne tranſmiſſo, Aruernorum vrbem petiit, ibíque fideles ſuos ſibi occurrentes benignè iuxta morem ſolitum ſuſcepit, & filio Carolo cum ſolitis ſacramentis commendari fecit. Hæc potiſſimum ex Auctore Vitæ Ludouici mutuati ſumus, paululum enim ab hac narratione diſcedunt Annales Bertiniani, atque Fuldenſes, qui nonnulla ſuggerent priuatâ per ocium diſquiſitione haud indigna, præſertim de Drogone Archicapellano, & Adalberto miſſis ad littus Orientale Rheni tuendum aduerſus Ludouici conatus. Stephanus Biturigum Archiepiſcopus obiiſſe dicitur Idibus Ianuarij, vt quidem mea fert opinio præ-*

senti hoc anno, cui subrogatus est eodem, vel proximè sequenti anno non Ebroinus, vel Aygulfus, vt nostri omnes Historici ex Catalogis MMSS. Calamæus, Robertus, Chenutius, Demochares, Bellesorestius, cum Anonymo Benedictino nondum edito mendosè docuerunt hactenus, sed sanctus Radulfus, seu Rodolfus ordine XXXXVII. ad annos non tantum 25. sed minimùm 28. aut 29. Primordia enim illius collocanda sunt ante mortem Ludouici Imperatoris, vt non dubiæ fidei documentis planum fieri potest. Hîc enim summa dumtaxat capita delibo, vt nemo impostorum Roberto aut Chenutio nimiùm credulus circumuentum se in tenenda Præsulum nostrorum serie Chronologicâ conqueratur: Neque enim nescius sum eruditissimis viris fraudi fuisse nostrates illos Chronographos. De translatione reliquiarum S. Bartholomæi Apostoli ex Liparâ insulâ Beneuentum facta, vide Leonem Ostiensem, Sigebertum, Baronium, *&c.* Theophilus in Syria Saracenos vexat, Regiámque Principis eorumdem vrbem Sosopetram inuadit. Kennethus Pictos ad Steraglinum superat, captísque eorum oppidis milites præsidiarios imponit.

Anno Christi DCCCXL. *Ludouici Pij* 27. *Cùm Pictauis Imperator Natalem Domini & Purificatæ Virginis festum celebrasset, instante iam Quadragesimâ accipit Ludouicum filium suum assumptis quibusdam Saxonibus & Thoringis Alemaniam inuasisse, & consueta iamdudum insolentiâ vsque ad Rhenum regni gubernaculum vsurpare. Quo nuncio grauiter perculsus, relictis in memorata vrbe Iudith Augustâ & filio Carolo, postquam iam cùm illis sanctum Quadragesimale ieiuniuminchoasset, licet senili ætate morbísque prægrauatus, Aquisgranum quantâ potuit festinatione contendit, ibíque celebrata sacratissimâ Paschali solemnitate, quàm malè Hermannus Contractus in Chronico docet contigisse VII. Idus Maij, cœptum accelerans explere negotium, Rheno transmeato, Toringiam continuato itinere penetrauit, vbi Ludouicum morari per id tempus didicerat: qui rebus suis diffidens appropinquante iam patre fugam iniit, redemptóque itinere per Sclauorum terram in propria rediit. Imperator spe frustratus suâ ad Lotharium in Italiam mittit, iubens, vt generali Placito, quod Vormatiæ indixerat, cum suis interesset. Quo in tempore deliquium Solis contigit tertia die Litaniæ Maioris, seu in peruigilio Ascensionis, III. Nonas Maij, ante nonam diei horam, quod horribili & insolito prorsus modo describitur pluribus verbis in Vitâ Ludouici Imperatoris: Qui à persequendo filio reuertens, nauseanti ad cibum potúmque stomacho crebris suspiriis*

vrgeri, ſingultibus quati, ac virtute deſtitui cœpit, ac paulò pòſt in Inſulâ quadam Rheni infra Mogontiam ad proſpectum Ingulenheimenſis Palatij ſitâ, in qua ſibi habitacula æſtiua atque expeditionalia parari iuſſerat, piè ac Chriſtianè, præſentibus Hetti Treuirorum, Otgario Mogontiæ & Drogone Metenſi Antiſtitibus, ſpiritum Deo reddidit 20. Iunij, ſeu XII. Kalendas Iulij die Dominico anno ætatis LXIV. regni Aquitanici XXXVII. Imperij XXVIII. & Metis in baſilicâ S. Arnulphi à Drogone fratre, Epiſcopis, Abbatibus, & Comitibus, congruo honore ſepulturæ traditus. Hæc & alia plura Auctor Anonymus Vitæ & Actuum Ludouici, qui minutatim ſingula dicta factáque morientis perſequitur, Nithardus in calce libri primi Hiſtoriæ ſuæ, Ado, Hermannus, Regino, Sigebertus, Annales Bertiniani, Metenſes, Fuldenſes, aliíque paſſim Gallicæ Hiſtoriæ ſcriptores antiqui rècentioréſque, quorum aliqui mortem Imperatoris, vel in annum præcedentem, vel in 838. coniiciunt, manifeſtiſſimo errore. Auditâ Pij Imperatoris morte Ebo Rhemenſis Archiepiſcopus, qui in monaſterio Floriacenſi ſancti Benedicti cuſtodiæ mancipatus ab aliquot annis delituerat, ad Lotharium Vormatiam venit, qui priſtinam illi mox ſedem edicto reſtituit, cui ſubſcripſerunt Epiſcopi numero XX. vt docet illius exemplar, quod extat apud Flodoardum libro II. cap. XX. Rhemenſis Hiſtoriæ, Actum in Engilenheim palatio publico in menſe Iunio VIII. Calendas Iulij, regnante & imperante domno Lothario Cæſare anno reuerſionis eius primo, ſucceſſor factus patris in Franciâ, Indictione tertiâ. Quo edicto, vt cum Sirmondo noſtro loquar extremo Tomo II. Conciliorum Galliæ, armatus Ebo Remos rediit, ſedémque recepit, quo tempore Carolus à Lothario pulſus vltra Sequanam profugerat, & clericos ibi aliquot (atque in iis Vvulfadum S. Radulphi in Patriarchali Biturigum ſede futurum ſucceſſorem) de quibus magna poſtea fuit controuerſia, ordinauit, ſicque anno ferè integro Epiſcopatum tenuit. Deinde Carolum audiens reſumptis viribus in Belgicam aduentare, relictâ iterum ſede Remenſi ad Lotharium profectus eſt. Plura qui cupit, legat Narrationem Clericorum Remenſium pag. 342. Tomi II. Collectionis Ducheſnianæ, vbi diſertim VIII. Idus Decembris ad ſuam rediiſſe Eccleſiam, & à ſuffraganeis Epiſcopis receptum fuiſſe perhibent, tum Romam miſſum à Lothario ad limina Apoſtolorum, benigniſſimè receptum, & Apoſtolicâ auctoritate pleniſſimè reſtitutum à Gregorio Papâ. Lotharius comperto genitoris ſui Ludouici obitu ab Italiâ Gallias ingreſſus, Imperatorio elatus nomine, in vtrumque fratrem Ludouicum & Carolum (quem malè Craſſum cognominat Caluiſius) hoſtiliter armatur, &

nunc hunc, nunc illum, minus tamen prosperè, prælio impetit: Ludouicus enim conciliatis sibi Orientalibus Francis, Alamannis, Saxonibus, & Thuringiis, Moguntiam inter ac Francofurtum occurrit Lothario, qui cùm Ludouicum absque prælio sibi subigere diffideret, sperarétque Carolum faciliùs superari posse, eâ pactione prælium diremit, vt III. Idus Nouembris eodem loco rursus conueniant, & ni concordia interueniat, armis decernant. Per idem tempus Carolus Bituricas ad placitum, quo Pippinum sui iurauerant venturum, accesserat, indéque Nitardum & Adelgarium ad fratrem direxerat, deprecans, vt memor esset sacramentorum, quæ inter se iurauerant, seruarétque, quæ inter illos pater statuerat, insuper etiam fraternæ filiolíque conditionis meminisset. Quibus ille contemptis, ex Germaniâ in Gallias reuersus, Mosâ ac Sequanâ transmissis, dum Pippinum Carolus in fugam verteret, Hilduinum Abbatem S. Dionysij, Gerardum Comitem Parisinum, Pippinum filium Bernardi Langobardorum Regis, aliósque ad se, frustratâ, quam iuramento firmauerant, fide venientes excepit, & per Carantenam (fortè, vt suspicor, Carnotenam) ciuitatem lento itinere progressus Aurelias vsque venit, vbi cum Carolo sex tantum leucis cum suis militibus distante eâ pactione transegit, vt Carolo Aquitania, Septimania, Prouincia, & decem Comitatus inter Ligerim, & Sequanam relinquerentur. Hæc & longè plura Nithardus initio libri secundi. Hoc anno, inquit Chronicon breue S. Benigni Diuionensis ad Cyclos Paschales à nobis editum pag. 293. Nouæ Bibliothecæ MSS. Chronicorum, sanctæ memoriæ Agobardus Lugdunensis Ep. obiit 8. Idus Iunij, & memorabile atque insigne opus quod Forum Vetus vocabatur Lugduni corruit ipso die intrantis Autumni, quod steterat à tempore Traiani Imp. Amolo verò præfati Agobardi Diaconus ordinatus est Ep. Lugdunensis anno sequenti die 17. Kal. Februarias quæ fuit Dominica Lit. Dominicali B. De Sicardi Beneuentani Principis nece, eiusque filio Siconolfo, atque Aldegiso Principatus illius inuasore, consule Sigonium aliósque Italos. Kennethum verò memorant Lesłæus, Buchananus, Boëtius, Polydorus, &c. Pictis rebellibus subactis Camelodunum cepisse, ac Transforthanam regionem, citeriorésque omnes possedisse.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCXLI. *ineunte Carolus Aurelianensem vrbem veniens Theotbaldum & Vvarinum cum quibusdam è Burgundiâ ad se venientes gratanter ac benignè excepit. Hinc autem obuiam Bernardo Niuernensem vrbem primò tum Bituri-*

cas

cas (in qua vrbe pridie Idus Ianuarij Indictione quartâ anno primo regni sui Carolus confirmauit Priuilegia Ecclesiæ Niuernensis, vt docet Guido Coquillæus Romenæus paginâ 42. Niuernensis Historiæ) petiit. Quo cùm accessisset Bernardus, neque se Regi subdere vellet, ab eo tantum non comprehensus, fugâ vix saluus euasit, suis vel occisis, vel captis, direptáque supellectile. Eodem tamen paulo pòst in gratiam recepto, & ad Pippinum misso, Carolus Cenomanicam vrbem adiit, vbi Lantberto, Erico, aliísque perhumanè susceptis, ad Nomenoium Ducem Britannorum Legatos direxit, qui plurimorum consiliis acquiescens ad Carolum munera misit, ac sacramento fidem se illi deinceps seruaturum firmauit. His peractis, cùm Attiniacum, vbi condictum fuerat, anno superiore, contenderet Carolus, multíque, qui Lothario faciebant, Comites à Sequanæ transitu prohibere tentarent, Rotomagum venit, repertísque eo in loco nauibus vsus, suos transmisit, fugatísque obsistentibus sibi Lotharianis, ad sanctum Dionysium, sanctúmque Germanum orationis causâ venit: tum, vbi huua Sequanæ confluit, recepto Varino, Senonicam petiit vrbem, inde per Vttam iter faciens fugientes hostes insequitur, proximáque post Cœnam Domini die Tricassinorum ciuitatem ingreditur. Hæc vni Nithardo debemus, reliqua verò huius anni tum ex ipso, tum ex Annalibus Bertinianis, Metensibus, ac Fuldensibus repetemus. Cùm Ludouicus circa contigua Rheni loca suorum præsidia poneret, & littus Orientale contra Occidentalium irruptionem defendere pararet, Lotharius nuncij rumore permotus, omissâ Caroli insecutione reuersus inchoante mense Aprili iuxta Vvormatiam cum exercitu clam transiit Rhenum, & satagentibus Otgario Mogontiæ Archiepiscopo, Adalberto seu Alberto Metensium Comite, aliísque proditum à plerisque suorum, ac penè circumuentum in Baioariam redire coëgit. Positísque custodibus partium illarum, quos sibi fideles esse arbitratus est, denuò ad resistendum Carolo, qui iam tunc vltra Mosam castra ponere moliebatur, studia conuertit & vires. Dúmque hæc agerentur, Ludouico per nuncios Caroli ad auxilium vocato, & per Alamaniam iter facienti, Comites, quos Lotharius tutores partium suarum dimiserat in Rhenense (aliàs Rentiense, vel Recience) occurrunt cum exercitu, ortóque prælio Adalbertus Comes incentor discordiarum occiditur, & cum eo innumerabilis hominum multitudo prosternitur III. Idus Maij. Sícque Ludouicus hac congressione victor Rhenum transiens, Carolo fratri suo auxilium laturus in Gallias pergit. Interea Piratæ Danorum seu Nortmannorum ab Oceano Rotumam, id est Rotomagum, Euripo deuecti, ciuitatem illam XVII. Kal. Iunij Clericos, Monachos, reliquúmque vulgus cædibus ac

captiuitate pessundant, Gemetricum, & adsita Sequanæ fluuio monasteria euertunt, rapinis ferro ignique bacchantes. Carolus autem Catellaunicâ in vrbe matrem cum Aquitanis ad se venientem receperat, cùm repentè nunciatur Ludouicum superato Austrasiorum Duce Adelberto Rhenum transiisse, & copias coniungere velle. Quod tandem factum est in regione Autissiodorensi prope Fontanidum seu Fontanetum, Brittas & Tauriacum villas, vbi VII. Kal. Iulias de sabbati summo manè hora diei circiter secundâ Ludouicus & Carolus iunctis viribus Lotharium, qui Pippinum nepotem ex Aquitania cum suis venientem paulò antè exceperat, acie fusum profligatúmque vicerunt, quo in fatali prœlio vires Francorum penitus amissas meritò lugent queruntúrque nostrates Historici. Lotharius Aquisgranum inde fugit, Ludouicus verò Carolúsque castris potiti, reuocatis à palantium cæde atque insectatione militibus præcipiunt præsentibus Episcopis, vt posterâ die, quâ eiusdem rei gratia ibidem statiua habuerunt, mortuorum cadauera, prout opportunitas temporis sineret, sepulturæ mandarent, & triduanum ieiunium iniungerent. Quibus peractis rebus Ludouicus Rhenum petiit, Carolus autem recepto Vuillelmo Bernardi Septimaniæ Ducis filio, dispositisque, quantum ferebant ea tempora, Aquitanicis partibus ad Sequanam vsque venit; eóque transmisso, Suessionicam vrbem, vbi translationi reliquiarum cœnobij S. Medardi interfuit, tum Remensem petiit, & ad sanctum Quintinum, atque in partes Traiecti, seu Hasbaniensem pagum, iter arripuit, regressúsque Parisiacam vrbem restitit mense Septembri Lothario cum maximis Saxonum Austrasiorúmque & Alamannorum copiis irruenti, qui nequicquam tentato Sequanæ transitu Senones per Hauripensem pagum penetrat, vnde recepto Pippino Cenomannos venit, cuncta rapinis, incendiis, stupris, sacrilegiis deuastans, vt nec ab ipsis templorum adytis rebúsque Ecclesiasticis temperaret: Neque tamen Caroli exercitum in saltu, qui Pertica vulgò dicitur, latentem, neque Nomenoium Britannorum Ducem suo subdere dominatui potuit. Nithardus libro Tertio, Annales Bertiniani, Fuldenses, Metenses, Chronicon breue incerti auctoris pag. 349. Tomi III. Collectionis Duchesnianæ, quod asseuerat anno vertente in die Ascensionis Domini (falsum istud est) factum fuisse Bellum Fontanetum in Burgundiâ, vbi multus effusus est sanguis humanus. Ado in Chronico, Anonymus in Vitâ S. Genulphi libro II. cap. 11. Hincmarus in Epistolâ ad Ludouicum Balbum cap. 4. Chronica Fontanellense, Normannicum, &c. Rothomagense à nobis editum pag. 365. Nouæ Bibl. collocat anno seq. Translationem sancti Audoëni, quando Normanni vastauerunt Rotomagum & succenderunt monasterium eius Idibus Maij.

Sigebertus in annum sequentem prælium Fontaneticum mendosè distulit. De Vvarino, aliàs Comite Aruernorum, deinde Duce Prouinciæ Chronicon incerti vide. Mutezam Saracenorum Babylone Princeps anno Hegiræ 226. obiit, succedente filio Aarone annis 5. Saraceni victis Romanis Amorium capiunt diruúntque. Theophilus Legatum mittit in Gallias ad implorandas auxiliares copias. Beneuentani diuisi inter se studiis flagrantes eò insaniæ deuenerunt, vt Saracenos alij ex Africa, alij ex Hispania accerserent. Hi Barium, inuadunt possidéntque annis 30. maximo Calabriæ, Apuliæ, Campaniæ, vicinarúmque prouinciarum detrimento, qua de re plura Anastasius Bibliothecarius, Auctor Cassinensis Chronici, *&c.*

Anno Christi DCCCXLII. *Regni sui* 2. *Carolus celebrato Catalauni Dominico Natali Trecas adiens, per Alsensem pagum & Tullum ciuitatem, Vogesi saltu transmisso, Elizatiam ad Zabarnam introiit, fugatóque Otgario Moguntino Præsule, qui Ludouicum transitu Rheni prohibebat XVI. Kalendas Martij in ciuitate, quæ olim Argentaria (seu potius Argentoratum) vocabatur, nunc autem Stratzburgum dicitur, cum fratre congressus est, tum inito fœdere sacramenta diuersis linguis palam emiserunt, Ludouicus quidem Romanâ, Carolus verò Teudiscâ (extant apud Nithardum extremo libro tertio, explicantúrque eruditè à Marquardo Frehero in opusculo ad Iacobum Bongarsium) atque hic per Vvizzumburgum iuxta Vvasagium, ille autem Rheno tenus per Spiram Vvarmatiam perrexerunt, vnde missis ad Lotharium eiúsque filium Carlomannum legatis ad Confluentes, fugatísque Lotharianæ factionis asseclis, ac transmisso Mosellâ Aquisgranum, quod tunc sedes prima Francia erat, venerunt de populo ac regno à Lothario, vt mox dicimus, relicto consilio deliberaturi. Lotharius quippe, qui transito prope Lutetiam Sequanâ, Aquisgranum redierat, audito fratrum aduentu, direptísque tam sanctæ Mariæ, quàm regalibus thesauris, quùm à suis præterea turmatim desereretur, Catalauno fugiens apud Trecas peractâ solemnitate Paschali Lugdunum petiit. Eamdem porrò festiuitatem Ludouicus penes Coloniam Agrippinam, Carolus in Heristallio palatio celebrant, tum lentis itineribus fugientem Lotharium insequuntur. Tandem missis à Lothario ad fratres super pacis fœdere legatis, electóque ad hoc negotium Matisconis vrbis vicinio, illuc vtrimque coïtur, & vtriúsque partis castra Arare fluuio dirimente in quamdam eiusdem fluminis insulam ad commune colloquium aspectúmque conueniunt: vbi veniâ de præteritis perperam gestis postulatâ atque*

acceptâ, alter alteri ſacramentum veræ pacis fraternitatíſque iurarunt, & de regni totius æquis portionibus diligentiùs faciendis Kalendis Octobribus in vrbe Mediomatricorum decreuerunt. Ea tempeſtate Normannorum claſſis in emporio, quod Quentouicus dicitur, deprædationibus, & nece ſexus vtriuſque hominum adeò debacchati ſunt, vt nihil in eo præter ædificia precio redempta relinquerent. Maurorum etiam piratæ per Rhodanum prope Arelatum delati cuncta paſſim deprædati impunè oneratis nauibus regreſſi ſunt. Carolus autem Matiſconenſi ciuitate relictâ Aquitaniam peruagatus ad memoratum placiti locum, & tempus venire non diſtulit. Lotharius apud Auguſtam Treuerorum Legatos Græcorum ſuſcepit, éiſque abſolutis eiuſdem placiti tempore Theodonis villam ſe contulit. At cum Ludouicus in Saxoniâ diutiùs moraretur, Carolus menſe Octobri ab vrbe Mediomatricorum Varmatiam Vangionum vrbem profectus eſt obuiam reuertenti Ludouico, quorum Miſſi cum Lotharianis in Confluente caſtello conuenientes de partitione regni concordare nullatenus potuerunt; ideóque re infectâ, & dilato in aliud tempus placito ſinguli ad ſua reuerſi ſunt. Carolus verò paulò pòſt in Cariſiacenſi palatio Ermentrudem filiam Odonis & Ingeltrudis, & neptem Adalardi Comitis duxit vxorem XIX. Kalendas Ianuarij atque Auguſtam Veromandorum ad memoriam Beati Quintini Martyris Natiuitatis Domini, & Apparitionis feſtum celebraturus acceſſit. Eodem anno Eclipſis Lunæ facta eſt tertio Kal. Aprilis quinta feriâ ante Paſcha decimâ horâ noctis. Nithardus libro tertio & quarto, vbi mediante Iunio feriâ quintâ propter ciuitatem Matiſconis in inſulâ quæ Anſula dicitur cum æquo numero fratres conueniſſe dicuntur, multáque alia ſigillatim enarrantur; ac nominatim tranſlatio Angilberti Centulenſis Abbatis, qui ex Bertha filia Caroli Regis Harnidum Nithardúmque genuerat, facta Nonis Nouembris huius anni XXVIII. poſt eius diſceſſum. Annales Bertiniani, Fuldenſes, Metenſes, aliíque. Hermannus aſſerit Augiæ Abbatem duodecimum Vvalachfridum Strabonem virum doctum præfuiſſe annis ſeptem, qui multa ingenij ſui monumenta proſâ, & metro reliquit: Grimaldum verò Archicapellanum Ludouici Regis cœnobium ſancti Galli beneficij loco ab eo acceptum tenuiſſe annis 31. Theophilus Orientis Imperator obiit exeunte huius anni menſe Ianuario poſt annos ab interitu patris 12. & menſes propemodum 4. Succeſſit ſub tutelâ Theodoræ matris Michaël Porphyrogenitus, qui poſtea dictus eſt Potor, ὁ Μεθυσθής. Methodius in locum Ioannis creatus Patr. C P. conuocato Concilio Epiſcoporum cultum ſacrarum Imaginum fir-

mat, sícque controuersia quæ 120. annis Orientem exercuerat, tandem pulsis sacrilegis optato fine quieuit. De Piasto electo à Polonis Principe plura dabunt Poloni scriptores.

Anno Christi DCCCXLIII. *Caroli Calui* 3. *Lothario & Ludouico intra fines Regnorum suorum pacificè degentibus Carolus Aquitaniam peruagatur. Quo illic constituto Rainaldus eximius eius Dux, genere Aquitanus, Namnetis vrbis Comes, siue vt aliis dicitur Arbatilicensis, contra Britones, multa amicorum & propinquorum manu collectâ, super fluuium Vicenoniam in loco, qui dicitur Meciacus, infeliciter pugnat, & cum plurimis suorum occiditur* 9. *Kal. Iulij. Præerat Britannorum bello Herispogius, patre Nomenogio graui languore detento, habens secum Lantbertum perfugam, qui in Namneticæ vrbis Comitatum inhians, stragis huius ductor & incentor extitit. Neque tamen diu optatis frui licitum, nam paulò pòst exactis vtrimque simultatibus idem mox vrbe ac regione pellitur. Triginta tribus post hæc elapsis diebus mense Iunio, Normanni numerosâ classe aduecti Ligerim fluuium ingrediuntur, ad vrbem Namneticam velis remisque contendunt, & sine morâ nullo propugnatore capiunt, vastant, diripiunt. Ciuitatis Episcopum vocabulo Guihardum, virum innocentem, omníque pietate repletum, Clerum omnem cum Monachis, qui ex vicino Cœnobio, cuius vocabulum est Antrum, in insulâ eiusdem fluminis posito, in vrbem confugerant, populíque ingentem multitudinem, quos vel metus hostis incluserat, vel Præcursoris Natiuitas attraxerat, in Templo Apostolorum Petri & Pauli trucidant, erasisque opibus omnibus cum gregibus captiuorum vtriusque ordinis, & ætatis ad naues remeant, inferioris Aquitaniæ partes depopulati aggrediuntur, atque Insulam quandam ingressi conuectis à continenti domibus hiemare velut perpetuis sedibus statuerunt. Interim descripto Regno à Primoribus, & in tres partes diuiso apud Virdunum Galliæ ciuitatem tres Reges mense Augusto conuenientes Regnum inter se dispertiunt, & distributis portionibus Ludouicus vltra Rhenum omnia, citra Rhenum verò Nemetum, Vangium (id est Spiram & Vormatiam) & Moguntiam ciuitates pagósque sortitus est. Lotharius inter Rhenum & Scaldem in mare decurrentem, & rursus per Cameracensem, Hainnaum, & eos Comitatus, qui Mosæ citra contigui habentur vsque ad Ararim Rhodano influentem, & per deflexum Rhodani in mare cum Comitatibus similiter sibi vtrimque adhærentibus. Cætera vsque ad Hispaniam Carolo cesserunt. Factáque inter se pace & iuramento confirmata singuli ad disponendas tuendásque Regni sui partes reuertuntur. Carolus Aquitaniam, quasi ad partem*

Regni sui iure pertinentem affectans, Pippino nepoti suo molestus efficicitur, eúmque crebris incursionibus infestans grande detrimentum proprij nonnumquam pertulit exercitus. Fragmentum ex veteri Registro monasterij sancti Sergij Andegauensis, quod extat pag. 386. Tomi II. Collectionis Ducheſnianæ, & apud Bertrandum Argentræum libro III. Historiæ Britannicæ, cum pluribus aliis quæ vulgauimus Tomo I. Nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum à pag. 275. ad 291. Annales Bertiniani, Fuldenses, Metenses, Gesta Normannorum seu Chronicon Normannicum, cum Fontanellensi, Malleacensi, quod rectiùs vocare possis Maxentianum, vt aliàs docui, & Turonensi quodam, quod desumptum esse dicitur ex Tractatu sancti Odonis Abbatis Cluniacensis de Reuersione sancti Martini Turonensis à Burgundiâ. Regino malè eam irruptionem Normannorum differt in annum 853. Ademarus Chabanensis, Hermannus, Chronicon San-Gallense, alíque referunt hoc anno die 19. Aprilis defunctam fuisse Iudith Imperatricem Turonis, & apud S. Martinum sepultam. Hac Indictione Capitula quædam acta sunt tum apud Tolosam rogatu Presbyterorum Gothiæ, tum in Villa Colonia prope Vindinum Cenomannorum vrbem, tum apud Lauriacum in pago Andegauensi. Ea habes apud Sirmondum initio Tomi III. Conciliorum Galliæ. Nostrates porrò Historici hinc numerare incipiunt annos Radulphi Bituricensis Archiepiscopi, quos altiùs fuisse arcessendos supra docuimus. Errauit quoque Sigebertus, qui hoc anno mentionem facit Theodulphi Aurelianensis Episcopi. Saraceni multas Italiæ prouincias populantur, & Cassinense monasterium spoliant, vt pluribus narrat Leo Ostiensis. De calumnia Methodio sanctissimo Patriarchæ C P. instigatione Iconoclastarum à procaci muliere impactâ detectáque, consule Baronium ex Græcis ista fusiùs explicantem.

Anno Christi DCCCXLIV. *Caroli Calui* 4. *Gregorio Papa VIII. Kal. Februarij defuncto, Sergius II. in eius locum suffectus est IV. Idus Februarij ad annos tres, menses duos, dies tres. Ad eum Lotharius filium suum Ludouicum Romam cum Drogone Metensi Episcopo dirigit acturos, ne deinceps decedente Apostolico quisquam illic, præter sui iussionem, Missorúmque suorum præsentiam, ordinaretur Antistes. Qui Romam venientes honorificè suscepti sunt, peractóque negotio Ludouicum vnctione consecratum in Regem Romanus Pontifex cingulo decorauit: Drogonem verò Episcopum sui Vicarium Galliarum Germaniarúmque partibus designauit. quamquam non consentientibus, quorum intererat, prolationem illam obtinere non potuit. Epistolam ad*

Transalpinos Episcopos à Papâ scriptam eruit noster Sirmondus ex Codice Metensi sancti Arnulfi, vulgauitque initio Tomi III. Conciliorum Galliæ. Recentiores Paulum Æmilium, Carolum Sigonium, Cæsarem Baronium, præter Veteres Annalium Scriptores, quos hîc sequimur ac penè semper exscribimus, tibi Lector consulendos moneo. Neque enim congerere in Chronicum istud nostrum omnia fas est. Interim in Aquitaniâ Bernardus Marchæ Hispanicæ Comes, seu, vt alij appellant, Dux Barcinonensis, Francorum iudicio Maiestatis reus iussu Caroli capitalem sententiam subiit. Lantbertus cum Britonibus Nomenoio parentibus quosdam Caroli Marchionum in Meduanæ ponte interceptos perimit, quò referas licet verba Chronici Malleacensis: Bernardus Comes Pictauinus, & Arueus filius Rainaldi congressi cum Lantberto Comite occisi sunt. Pippinus quoque in pago Ecolesino exercitui Francorum ad Carolum Tolosam obsidione vallantem properanti occurrens, VII. Idus Iunij primoribus interfectis, ceteros aut cepit, aut spoliatos sacramentóque adstrictos ad propria redire permisit. Eâ congressione inopinatâ occisi sunt Hugo presbyter & Abbas Caroli Magni filius, Richboto Abbas eiusdem Caroli ex filia nepos, Rauanus Comes signifer, aliíque capti, Ebroinus Pictauorum Episcopus, Ragenarius Ambianensis Episcopus, Lupus Abbas Ferrariensis, aliíque ex nobilibus non pauci. Nomenogius ipse sub finem anni Cenomanos vsque cuncta longè latéque populando ignibus etiam plurima cremando peruenit, sed auditâ Normannorum in fines suos irruptione redire compulsus est. At verò Lotharius, Ludouicus ac Carolus fratres Octobri mense in Theodonis villâ conueniunt, habitóque diebus aliquot inter se colloquio, fraternæ caritatis iura in posterum non violanda confirmant, quin etiam pacis gratiâ Missos pariter ad Pippinum, Landbertum, atque Nomenogium Carolo rebelles destinant. Extant Tomo III. Conciliorum Galliæ Capitula sex edita in Synodo secus Theodonis villam in loco, qui dicitur Iudicium, præsidente ex consensu Regum Drogone Metensi Episcopo. Sequuntur ibidem canones duodecim in Verno palatio habiti mense Decembrio, vbi præsedit Ebroinus Pictauorum Episcopus sacri Palatij Archicapellanus cum Vvenilone Senonum Archiepiscopo, &c. in eáque Synodo canone XI. actum de Drogonis prælatione, necnon in sexta Hincmari epistolâ quam vide. Rabanus Fuldensis monachus librum de laude Crucis Christi figurarum varietate distinctum Sergio Papæ offerendum sancto Petro transmisit. Annales Bertiniani, quibus primas deinceps partes in Historia Caroli Calui cum eruditis quibusque assignabimus vsque ad annum 882. quum hi pleráque cæteris indicta, & inex-

plicata scriptoribus posteritatis memoriæ commendarint. Regino enim, Hermannus, ac Metenses sancti Arnulfi Annales, similésque scriptores, quidquid fermè habent descripserunt ex Annalibus Fuldensibus seu Moguntinis, quos V. C L. Petrus Pithœus primùm in lucem edidit, quorum Auctor Anonymus Carolo Caluo Francorum Regi ad calumniam vsque iniquus extitit, vt pote qui eos Fuldæ, seu vt alij volunt, Moguntiæ sub ditione Ludouici Regis Germaniæ scripsisse videatur. Ranimirus seu Ramires Legionis in Hispania Rex Normannorum, qui ad Galleciam appulerant, 70. naues cepisse atque incendisse dicitur. Alij Normannos in Saracenos commutant, & 70. naues in 70. militum millia interfecta.

Anno Christi DCCCXLV. *Caroli Calui* 5. *Transacta hieme, quæ asperrima extitit, Normannorum naues centum viginti mense Martio per Sequanam vsque Parisios venerunt, cunctisque hinc & inde vastatis, Lutetiam nullo penitus obsistente in vigilia sancti Paschæ (quam malè quidam comparant cum XV. Kalendas Aprilis, est enim ex eo numero denarius expungendus) peruadunt. Quos cum Carolus vi & armis repellere non posset, quibusdam pactionibus & munere septem millium librarum exhibito eos, ne vlterius pergerent, prohibuit, ac redire persuasit. Idem Rex prope Monasterium sancti Benedicti Floriacense dictum duodecim ab Aurelianorum vrbe leugis Pippinum nepotem suum ad se venientem suscipit, & sacramento fidelitatis sibi obstringit, permisso ei totius Aquitaniæ dominatu, præter Pictauos, Santones & Ecolismenses. Nordmanni alueo Sequanæ remenso maria repetunt, & cuncta mari finitima loca diripiunt, vastant, concremant. Alij quoque ex eorum numero qui anno præterito Aquitaniam populati fuerant reuersi Santonas inuadunt, confligentes superant, quietisque sedibus immorantur. Chronica Malleacense, Aquitanicum & Engolismense à nobis edita paginis 291. & 324. asserunt Sigoinum Comitem à Barbaris illis captum, & occisum, & Santonas ciuitatem concrematam, exportatis optimis eius thesauris. Lotharius Folcradum Ducem Arelatensium reliquosque illarum partium Comites rebellare molientes in deditionem accipit, & prout voluit, Prouinciam ordinauit. Carolus autem Britanniam Galliæ cum paucis minus cautè aggressus Cenomannos festinatò reuertitur, reparatóque exercitu eamdem parat impetere. Annales Bertiniani, qui de diuina in Normannos, qui monasterium Sithiuense incenderant, vltione nonnihil interserunt, Metenses, Fuldenses, Chronica Fontanellense & Normannicum, Aimoinus libro primo Miraculorum sancti Germani Pratensis. Iidem in Frisiâ ter conflixerunt, multis cæsis & castellum*

caſtellum Hammaburg in Saxonia depopulati ſunt. Hoc anno Indictione 8. feria V. Hebdomadæ IV. in Quadrageſimâ IV. Idus Martij tranſlatæ ſunt reliquiæ ſancti Mauri Abbatis, qui tempore Theodeberti Regis in Galliam venerat, eiuſdémque Glannofolienſis monaſterij Abbas Gauzlinus ab Vrſmaro Turonenſi Archiepiſcopo ordinatus eſt pridie Pentecoſtes III. Kalend. Iunij (imò potiùs XVII. Calendas Iunij) Vide Librum Miraculorum ſancti Mauri capite ſexto. Concilium Beluacenſe Aprilio menſe celebratum, in quo inter cætera ordinatus eſt ab Epiſcopis Rhemenſis Prouinciæ Hincmarus ſancti Dionyſij monachus in Epiſcopum Rhemenſem, accedente conſenſu Venilonis Archiepiſcopi Senonenſis Eccleſiæ, Ercanradi Pariſiorum Epiſcopi, Abbatis fratrúmque ſancti Dionyſij, fauente Carolo Rege, vt pluribus Flodoardus *Libro III. Rhemenſis Hiſtoriæ capite V. & ipſemet Hincmarus ep. 19. quæ extat pag. 272. Tomi II. operum eius à Sirmondo editorum. In Meldenſi quoque Eccleſiâ celebratum eſt die XV. Kalendas Iulias Caroli Calui Regis anno VI. ſuccreſcente Indict. VIII. (malè in præcedenti Concilio Indictio VII. comparatur cum anno Caroli VI.) Concilium eruditiſſimum, in quo præſidentibus Metropolitanis Venilone Senonenſi, Hincmaro Rhemenſi, & Rodulpho Bituricenſi, præfixis recentium aliquot Synodorum decretis, alia ſimul ad redintegrandum Eccleſiæ ſtatum, & ad Principis ac reipublicæ ſalutem prolata ſunt capitula numero octoginta, Tomo III. Conciliorum Galliæ.* De Bogori Bulgarorum Rege ad Chriſti fidem opera Theodoræ Auguſtæ conuerſo, CP. baptizato & à ſuis deinde pulſo, conſule ſis Ioannem Scylitzam, alióſque Græcos ſcriptores eo poſteriores, Cedr. Zonaram, *&c.*

Anno Chriſti DCCCXLVI. *Caroli Calui 6. Giſlebertus, ſeu Giſalbertus Caroli Regis Vaſſallus filiam Lotharij Imperatoris rapuit, & in Aquitaniam profectus in vxorem accipit, Ludouico, & Carolo fratribus audax illud factum minimè probantibus. Carolus apud villam S. Remigij Sparnacum contra morem Conuentum populi ſui generalem habuit menſe Iunio, in quo Epiſcoporum Regni ſui perneceſſaria admonitio de cauſis Eccleſiaſticis ita flocci penſa eſt, vt vix vmquam reuerentia Pontificalis Chriſtianorum dumtaxat temporibus ſic poſthabita legatur. In Capitularibus editionis Pithœanæ, & Sirmondianæ habetur factione quorumdam motum eſſe animum ipſius Regis contra Epiſcopos, iiſque ab eodem Concilio remotis primores regni ex omnibus præcedentium Synodorum capitulis quædam tantùm obſeruanda collegiſſe, & Epiſcopis ſcripta tradidiſſe, dicentes non ampliùs de eorum Capitulis,*

quàm ista & ista velle cum Principe obseruare. Inde partes Britanniæ Carolus cum exercitu petens pacem cum Nomenogio Duce Brittonum interuenientibus hinc & inde sacramentis pacisscitur. Herus insula mense Iulio à Normannis succenditur, ex Chronicis Aquitaniæ & Ingolismensi. Chronicon Fontanellense testatur Francos Britanniam ingressos propter difficultatem locorum & paludes X. Kal. Decembris commisso cum Britonibus prælio inferiores fuisse. Præcedenti verò Augusto Saraceni Romam per Tiberim deuecti Basilicam Beati Petri Apostolorum Principis deuastarunt, ablatisque cum ipso altari quod tumbæ eius superpositum fuerat, omnibus ornamentis atque thesauris, quemdam montem centum ab Vrbe millibus munitissimum occupant. At pars ea hostium, quæ Ecclesiam Beati Pauli Apostoli adierat, à Campanienſibus oppressa prorsus interfecta est. Plures ingentibus ditati opibus ex Italia reuersi sunt in Africam. *Annales Bertiniani, Fuldenses, Metenses, cum Anastasio Bibliothecario, Leone Ostiensi, &c. Chronicum de Gestis Normannorum docet hoc anno multorum Sanctorum corpora ad Fanum S. Audomari muro valido, & turribus benè munitum ex variis locis metu Normannorum fuisse deportata.* Post Aaronem Saracenos Babylone regere cœpit Metuchal eius frater ad annos 16. Obiit die 3. Nouembris in Oriente sanctus Ioannicius Anachoreta annum agens ætatis 115. vt eius Acta edocent.

Anno Christi DCCCXLVII. *Caroli Calui 7. Dani seu Normanni ter prælio Britones superant, Nomenogium fugant, Aquitaniam maritimam impetunt & prædantur, Deas Monasterium 4. Kal. Aprilis incendunt, vrbem Burdegalam diu oppugnant, Doreſtadum & Insulam Batauam occupant, obtinéntque. Sergius Papa obiit pridie Idus Apriles (Annales Bertiniani habent VI. Kalendas Februarij) Huic eadem die suffectus est Leo IV. ad annos 8. menses 3. dies 6. atque expectato Imperatoris consensu mense demùm Iunio consecratur. Lotharius, Ludouicus, & Carolus Legatos ad Oricum seu Roricum Danorum Regem destinant, vt suos ille Christianorum infestationibus cohiberet, sin alias, bello se appetendum nullatenus dubitaret. Otgario Mogontiacensi Præsule mortuo XI. Kalendas Maij in eius locum subrogatus est Rabanus V. Kalendis Iulij, qui in eodem anno iubente Ludouico Rege apud Mogontiacum Synodum habuit circa Cal. Octobres, in quâ damnata videtur Thiota quædam mulier pseudo-prophetissa. Concilium Parisiense hoc quoque anno celebratum est in quo Ebboni,*

cùm de eius depositione Sergij Papæ iussu instaurari iudicium cœpisset, Remensis diœcesis, donec iudicio se sisteret, est interdicta. Flodoardus libro III. Remensis Historiæ cap. II. Chronica Aquitanicum & Engolismense, Annales Bertiniani, Fuldenses, Metenses, Hermannus qui certiora quàm alij de Thiota refert, Sigebertus moras trahit, vt assolet. Anastasius quoque consulendus, qui de Templis Apostolorum instauratis à Leone Papa, & de basilisco ad ædem sanctæ Luciæ in cauerna plures occidente, atque indicta cum litaniis processione ac precibus interfecto, multa subministrabit. Methodio Patriarchæ CP. die 14. Iunij defuncto substitutus est S. Ignatius Michaële Imp. ex Nicephori Logothetæ filia genitus, ad annos 11. cum dimidio. Theodora Augusta Manichæos in Oriente exagitat. De Etheluolfo Anglorum Rege Romam profecto à sacra subdiaconatus lege, vt vxorem ducere posset, soluto, ibidémque Anglorum scholam instaurante, consule Polydorum Virgilium.

Anno Christi DCCCXLVIII. *regni sui* 8. *Carolus Normannorum Burdegalam oppugnantium partem aggressus viriliter superat tempore Quadragesimæ, eorúmque nouem naues in Dordoniâ fluuio intercipit, sed eo recedente Iudæis prodentibus eadem ciuitas cum Duce eius Vuillelmo noctu capta est, & incensa ab iisdem Normannis, qui inde Metulum vicum depopulati sunt. Aquitani desidiâ Pippini coacti Carolum petunt, atque in vrbe Aurelianorum penè omnes nobiliores cum Episcopis & Abbatibus in Regem eligunt, sacróque chrismate delibutum benedictione Episcopali solenniter consecrant. Rex Scotorum propulsis ex suo regno Normannis ad Carolum amicitiæ gratiâ Legatos cum muneribus mittit, qui viam sibi petendi Romam concedi deposcerent. Guillelmus Bernardi Ducis seu Marchionis Septimaniæ filius Impurias, & Barcinonem dolo magis, quàm vi capit. Gotheschalcus quidam monasterij Orbacensis parœciæ Suessionicæ Monachus & Presbyter scientiâ tumidus, quùm de Prædestinatione Dei prauè sentiret, & tam bonos ad vitam quàm malos ad mortem perpetuam ineuitabiliter à Deo prædestinatos esse pestiferis dictis, & scriptis astrueret, in præsentia Ludouici Germanorum Regis Episcopali Concilio, cui Rabanus præfuit, Moguntiæ detectus atque conuictus, circa Calendas Octobres tandem Remos ad Hincmarum proprium eius Archiepiscopum transmissus est, exhibito priùs sacramento, ne in regnum Ludouici rediret. Annales Fuldenses, Metenses, Bertiniani, Hincmarus capite secundo posterioris operis aduersus Gotheschalcum & Prædestinatianos scripti, vt docet Sirmon-*

dus Tomo III. Conciliorum Galliæ, vbi edita etiam est Rabani epistola Synodalis ad eumdem Hincmarum, Chronicon Fontanellense, & de Gestis Normannorum. Venetorum classe à Saracenis penitus contritâ, Leo Romæ metuens nouam vrbem ædificare cœpit magno studio magnísque impensis. Ad hunc vsque annum superstes extitit Eginardus Annalium & Vitæ Caroli Magni scriptor tunc Abbas Selingenstadiensis seu Mulenheimensis. Idem monita Gabrielis Archangeli duodecim Capitulis comprehensa, non Imperatori Lothario, vt viro docto aliud agenti excidit, sed Ludouico eius patri obtulit, vt disertim habetur in Annalibus Fuldensibus anno 874.

Anno Christi DCCCXLIX. *Caroli Calui 9. Gotheschalcus Monachus sententia Synodi apud Carisiacum iussu Caroli Regis à plurimis Episcopis celebratæ damnatus, publicè flagellatus, libros assertionum suarum igni cremare compulsus est. Edita leges apud Sirmondum quatuor Capitula, & in Notis habetur lectu digna sententia à duodecim Episcopis Ecclesiastico vigore prolata. Plura de tota hac controuersia suggeret Historia Gotheschalci hæretici aduersus Gilbertum Mauguinum amplissimum Præsidem Monetalem, & Iacobum Vsserium Armacanum Caluinistam à R. P. Ludouico Cellotio eximiâ eruditione atque elegantiâ conscripta. Lotharius, Ludouicus, & Carolus fratres maxima dant inter se mutuæ beneuolentiæ signa. Nomenoius Brito solita perfidiâ Andegauos, & vicina eis loca inuadit. Normanni verò Petrocorium Aquitaniæ vrbem populantes incendunt, & impunè ad naues remeant. Carolus Pippini filius relicto patruo Lothario cùm ad fratrem Pippinum in Aquitaniâ vagantem pergeret, comprehensus à Viuiano Comite, & fidelibus Caroli Regis mense Iunio coram eodem Rege Carnoti Conuentum habente post Missarum solemnia ambonem Ecclesiæ conscendens, omnibus propriâ voce significauit, se ob diuinæ seruitutis amorem Clericum nullo cogente velle fieri, ibique ab Episcopis, qui præsentes aderant, benedictus & in Clericum tonsus est. Tum Corbeiam missus. His peractis Carolus transmissóque Ligeris aluco ad Lemouicam vrbem accedit, occurrentibus obuiam Aquitanorum Principibus, eúmque summo fauore suscipientibus. Inde Tolosam vrbem rebellem recto itinere aggreditur, obsessámque capit deditione Fridolonis, quem datis sacramentis eidem vrbi custodem reliquit: tum dispositâ pro libitu Marcâ Hispanicâ ad ciuitatem Bituricas mense Decembri venit. Annales Bertiniani, & Chronicon Fontanellense. Hermannus verò, Chronicon breue S. Galli, & Annales Hepidanni, eodem anno mortuum Vvalafredum Strabonem Augiæ Abbatem memorant. Concilium Tu-*

ronenſe, cuius extat Synodica ad Nomenoium Britonum Ducem, quâ illum Epiſcopi quatuor Prouinciarum de multis exceſſibus, & de reiectis Papæ literis arguunt, monéntque, vt reſipiſcat, inter Epiſtolas Lupi Abbatis Ferrarienſis à Papyrio Maſſono primùm editas ordine 84. Sirmondus noſter Tomo III. coniicit in hunc annum, ex veteribus ſchedis apud Baronium. Notanda præ cæteris hæc Synodicæ verba: Epiſcopi legitimi ſedibus propriis expulſi, & vt mitiùs loquamur, quia dicere nolumus, fures & latrones, mercenarij introducti. Patroni noſtri Beati Martini quondam diœceſis, ex quâ vos eſſe negare non poteſtis, violata, *&c. Idem quoque innuebant Leonis Papæ ad eumdem literæ, quarum fragmentum habetur apud Gratianum in ſeptimâ, quæſtione primâ: Vnde obſcurum eſſe nequit, non hoc dumtaxat anno attentatum audax illud facinus ab eodem Tyranno, quod narratur ab Anonymo ſcriptore, cuius* ἀνέκδοτον *edidit in fine Capitularium Caroli Calui Sirmondus, & ex eo Ducheſnius pag. 407. Tomi II. Compilationis Hiſtoricorum Franciæ. Poſtrema ſunt hæc verba.* Cogitans Epiſcopos, quos elegerat (expulſis per ſummum nefas Subſanno Venetenſi, Salacone Aletenſi, Felice Coriſopitenſi & Liberale Oximenſi) à Metropolitano Turonenſi benedictionem minimè conſequi poſſe, nec acceſſum ad eum metu Regis habere, ex quatuor Epiſcopatibus ſeptem compoſuit, quorum apud Dolum monaſterium vnum conſtituit, quem Archiepiſcopum fieri decreuit. Monaſterium verò ſancti Brioci ſedem conſtituit Epiſcopalem. Similiter etiam ſancti Rabutuali. Hos tres vſurpatitios Epiſcopos inſtituit, ceteris quatuor in antiquis vrbibus derelictis. Prouinciâ itaque Turonicâ ita recisâ Nomenoius Dolo monaſterio Epiſcopos ſuos congregans ſe in Regem vngere fecit. *Redonicam Namnetiamque vrbes, vt cernis, tamquam ſitas extra fines veteris Britanniæ omittit hic auctor, earum tamen Epiſcopos in exilium eiecit, ſubrogatis in eorum locum nefandis inſeſſoribus, qualis ille Giſlardus, cuius mentio in Epiſtolâ Leonis Papæ,* qui hoc anno ædificatam aduerſus Saracenos claſſem miſit, eóſque auxilio Neapolitanorum, Caietanorum, aliorúmque ſuperauit, vt docet Anaſtaſius.

Anno Chriſti DCCCL. *Caroli Calui* 10. *Guillelmus Bernardi filius in Marcâ Hiſpanicâ Aledrannum, quem Barcinone expulerat, & Iſembardum Vvarini filium Comites per dolum fictæ pacis capit, ſed non multò poſt ipſe bellum contra noſtros inſtaurans, victus eſt, multis*

infidelibus amissis, fugáque arreptá apud Barcinonem factione quorumdam Gothorum capitalem subiit pœnam, quo tempore in Vvasconiâ Comes Sancius-Sancio rebellionem aduersus Carolum fouebat. Mauri Prouinciæ oras Arelatum vsque nullo obsistente deuastant, sed cùm redirent vento contrario reiecti, & interfecti sunt. Lotharius filium suum Ludouicum Romam mittit, qui à Leone Papâ honorificè susceptus, & in Imperatorem vnctus est. Carolus Rex tertia vice Britanniam magno cum exercitu perrexit, & Nomenoius Redonas, & Namnetas capiens partem murorum portásque earum destruxit. Roric Rex Normannorum impugnantibus sese duobus nepotibus suis bello impetitur. Quibus partitione regni pacatis Roric nepos Herioldi Fresiam & Batauam Insulam, aliáque vicina loca per Rhenum & Vahalem deuastat. Eum quùm Lotharius comprimere non posset, in fidem recepit, Dorestado aliísque Comitatibus ei permissis. Ast alia Normannorum pars Menapios, Taruisios, aliósque maritimos deprædata est, alia in Britanniâ insula ab Anglis auxilio Christi superata est. Quidam ex iis Godefrido Duce per Sequanam ascendentes regnum Caroli vastant, quibus dicitur ad inhabitandum regiones aliquas concessisse Carolus, ad biennium alij fortè melius differunt. Fame ingenti per Germaniam grassante Rabanus Archiepiscopus pauperes multos aluit. Annales Bertiniani, Metenses, Fuldenses, Chronica Fontanellense, Malleacense, Engolismense, Hermanni & Normannicum, Epistola Eulogij Cordubensis ad Vuiliesindum Pampilonensis sedis Episcopum scripta XVII. Kalendas Decembris Æra DCCCLXXXIX. *vel fortè meliùs* DCCCLXXXIIIX. *cuius fragmentum edidit Ducheſnius. Tomo II. pag. 399.* Ranimirus Legionis Rex obiit Kal. Februarij post 26. regni annos, succedente Ordonio filio annis 12. Cordubæ plurimi pro Christo passi die 18. Aprilis feria 6. anno Abderameni Mahumetanorum Principis 29. aliíque plures etiam seq. anno, de quibus consulendus Eulogius Cordubensis, & Hispani Historici cum Baronio.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCLI. *Caroli Calui* 11. *Nomenoius ob infinita propemodum horrendáque facinora à Præsulibus Galliæ diris deuotus, tandem hoc anno iubente Deo ab Angelo percussus, vt quidam aiunt, morte defungitur, eiúsque filius Respogius ad Carolum veniens in vrbe Andegauorum datis manibus suscipitur, & tam Regalibus indumentis, quàm paternæ potestatis ditione donatur, additis insuper ei Redonibus, Namnetis, & Ratense. Eodem anno, inquit*

Auctor Chronici Aquitanici Lemouicenſis, quod conſentit in pleriſque cum Engoliſmenſi, menſe Septembri Karolum quarta vice Britanniasrepetentem cum Eriſpoio filio Nomenoij certamen iniiſſe 11. *Kal. Sept. partémque exercitus cum Viuiano Duce amiſiſſe. Lotharius, Ludouicus & Carolus Reges apud Marſnam ſiue Marſanam palatium haud procul Traiecto iuxta fluuium Moſam iam ſecundò conueniunt, quædam capitula communi Procerum ſuorum conſilio atque conſenſu decernunt, propriorúmque nominum monogrammatibus confirmant. Poſt hæc piratæ Danorum Friſiam Batauóſque populati Gandam per Scaldim petunt, & monaſterium ſancti Bauonis incendunt. Alij per Sequanam deuecti circa Idus Octobris Duce Hoſeri, qui ante decem annos Rotomagum incendio cremarat, Gemeticum euertunt, Fontanellenſe cœnobium capiunt, & Bellouacum vſque pedeſtri itinere profecti eam cum Flauiacenſi monaſterio, Abbatia S. Quintini, Nouiomenſi vrbe, aliiſque vicinis locis diripiunt inuaduntque; ſed in reditu à Francis excepti in loco nuncupato Vvardera, plurimi interfecti ſunt; reliqui ſiluis ſe occuluerunt, ſuáſque ad naues noctu reuerſi ſunt. Leo Papa contra Saracenorum frequentes irruptiones Eccleſiam ſancti Petri hinc inde muro communiens, eundem murum vſque ad ciuitatis Romanæ pomœrium perduxit. Annales Bertiniani, Fuldenſes, Metenſes, licet horum auctor mortem Nomenoij, quem diuino nutu à S. Maurilio Andegauenſi Epiſcopo percuſſum aſſerit, referat in annum 862. decennio tardiùs quàm oportuerit, Capitularia Caroli Calui, Chronica Fontanellenſe, Malleacenſe, & alia plura Dudo ſancti Quintini Decanus lib. 1. de moribus, & Actis Normannorum, Vvillelmus Gemeticenſis Monachus capite 6. lib. 2. Hiſtoriæ Normannorum*, &c. Ludouicus Lotharij filius Langobardorum Rex plurimos è Saracenis Campaniam infeſtantibus capit occidítque veſpera Pentecoſtes die 9. Maij, vt tradit Leo Oſtienſis. Adi præterea Sigonium. Irmingarda Auguſta Ludouici mater obiit die 20. Martij Ind. 14. in die Paraſceues, vt ex Rhabano diximus in Chronico Technico, Nortmanni occupato Merciorum regno ab Edeluulfo funduntur, & ad naues quas fuiſſe aiunt 350. fugere compelluntur. *Paſchaſij Ratberti Corbeienſis Abbatis mors in diem Aprilis 26. à quibuſdam confertur. Ebbonem quoque ex Rhemenſi Archiepiſcopo Epiſcopatu Hildeſheimenſi in Saxonia donatum obiiſſe hoc anno perhibent.*

Anno Chriſti DCCCLII. *Caroli Calui* 12. *Mauri Barcinonem Iudæis prodentibus capiunt, interfectiſque pene omnibus Chriſtianis & vrbe vaſtatâ impunè redeunt. Carolus fratrem Lotharium ad ſui*

colloquium inuitans apud Auguſtam Veromanduorum, quæ B. Quintini martyris corpore inſignitur, fraternè ſuſcipit, & redeuntem benignè deducit: vnde ſuſpicor nondum vaſtatam à Normannis Veromandenſem prouinciam. Lantbertus & Guarnarius fratres perditiſſimi homines & maxima pars diſcordiarum, interficiuntur, ille inſidiis à Gauſberto iuuenculo Comite Cenomanenſi Kalendis Maij, hic iuſſu Regis capitali plexus ſententiâ. Salomon Brito Carolo fidelis effectus tertiâ Britanniæ parte donatur. Sancius Comes Vaſconiæ Pippinum Pippini filium menſe Septembri capit, & vſque ad præſentiam Caroli Regis ſeruat, quem ille in Franciam ductum, poſt initum cum Lothario colloquium, in Monaſterio ſancti Medardi apud Sueſſiones tonderi iubet. Ranulfus Comes Pictauenſis & Raino propinquus eius pridie Nonas Nouembris in Briliaco villa cum Normannis dimicant. Godefridus Herioldi Dani filius, qui quondam ſub Imperatore Ludouico Moguntiæ fuerat baptizatus, à Lothario deficiens ad ſuos ſe confert, vnde validâ manu corrogatâ, Friſiam aggreditur, tum vicina Scaldis flumina, quò occurrentibus Lothario & Carolo circa natiuitatis Dominicæ feſtiuitatem paulo pòſt re infectâ diſceſſum, tum à Carolo quibuſdam pactionibus conciliatus eſt Godefridus. Mogontiæ iuſſu Ludouici Regis coacta eſt Synodus, Rabano Præſide cum omnibus Epiſcopis atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Baioariæ & Saxoniæ. Annales Bertiniani, & Fuldenſes, qui de Ludouico Germanorum Rege multa congerunt, Hermannus, Regino, Chronicon Aquitanicum ſiue Engoliſmenſe, Fontanellenſe. Tranſlatio ſancti Remigij Remenſis Archiepiſcopi ab Hincmaro eiuſdem vrbis Præſule Calendis Octobribus facta eſt, vt inter cæteros docent Hermannus & Flodoardus. Baldricus quoque refert à Theoderico Cameracenſi Epiſcopo inuentum fuiſſe Atrebati corpus ſancti Vedaſti Ep. & ad facilem tranſlationem metu Normannorum in theca collocatum. Leo Romanus Pontifex extructam toto quadriennij ſpatio nouam vrbem Leoninam dedicauit die 27. Iunij, vt pluribus docebit te, ſi vacat, Anaſtaſius Bibliothecarius. Raptus eſt ſubita morte Rex Cordubenſis Abderamen anno regni 31. cùm priùs Chriſtianos quamplures variis ſuppliciis necaſſet. Succeſſit Muhamed filius annis 35. De Cordubenſi pſeudoſynodo habita in Hiſpania quæ à martyrij laurea conſequenda fideles auertebat, atque à Deo editis miraculis improbata, conſule Baronium.

Anno Chriſti DCCCLIII. *Regni ſui* 13. *Carolus menſe Aprili Synodum Epiſcoporum iuxta vrbem Sueſſionum in monaſterium ſancti Medardi*

Medardi aggregans duos presbyteros Monachos eiusdem monasterij ipse Synodo præsidens Episcopis iudicantibus degradari fecit, eò quòd Pippinum furari & cum eo in Aquitaniam fugere disposuissent. Hincmarus Remorum Archiepiscopus omnes Ecclesiæ suæ Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos quascumque Ebbo post depositionem suam ordinauerat Synodo iudicante deposuit VI. Kalendas Maij. Pippinus Carolo sacramentum fidelitatis iurat, insupérque Monachi habitum suscipit, & Regulæ obseruationem solito monachi more promittit. Conqueritur Sirmondus de iis qui hoc Concilium veluti reprobatum ac minus legitimum titulo suo infamant, nam si vnicum caput, quod ad Ebbonis Clericos pertinebat, retractari in aliâ Synodo iussit Nicolaus Papa, de cæteris tamen nulla extitit controuersia. Mense Martio occisum fuisse Gauzbertum Comitem testantur Chron. Aquitanicum, & Engolismense. Eodem anno VI. Calendas Septembris habita est Synodus apud Vermeriam palatium ad Isaram fluuium paullo infra Compendium: habetur pagina 93. Tomi III. Conciliorum Galliæ cum duabus Epistolis 98. & 99. inter Epistolas Lupi Abbatis Ferrariensis de electione, & ordinatione Æneæ Parisiensis Episcopi. Annales ex codice sancti Bertini descripti testantur Carolum è Sueßionensi Concilio profectum Carisiacum venisse, & cum quibusdam Episcopis & Abbatibus monasticis quatuor capitula aduersus doctrinam Gotheschalci edidisse, & propriâ subscriptione roborasse. Lucionum à Danis mense Maio exuritur. Aquitani pene omnes à Carolo recedunt, atque ad Ludouicum Regem Germaniæ Legatos suæ deditionis cum obsidibus mittunt. Interim Normanni relicto Sequana mense Iulio Ligerim adeunt, vastatáque iterum Nammeticâ vrbe Monasterium sancti Florentij prope Salmurum ac vicina loca populantur, tum VI. Idus Nouembris ad superiora deuecti vrbem Turonum impunè adeunt, atque incendunt, cum Ecclesia sancti Martini, & cæteris adiacentibus locis. Quod cùm præscitum fuisset, corpus Beati Martini ad Cormaricum monasterium, ac inde ad ciuitatem Aurelianorum transportatum est. Nouembri mense Lotharius Imp. eiúsque frater Carolus apud Valentinianas colloquium habuerunt, eodémque mense apud Siluacum palatium Regium pagi Laudunensis idem Rex capitula quædam edidit, quæ ex Capitularibus Sirmondi nostri transtulit in Tomum II. Ducheßnius cum 12. Missaticis Episcoporum & Comitum per varios pagos distributis, quæ non semel descripsit etiam Miræus. Ad hunc similiter annum pertinere videntur Reuelationes Audradi monachi, quæ extant pagina 390. Tomi II. Collectionis Ducheßnianæ. Annales Bertiniani, Fuldenses, Metenses,

Chronicon Normannicum, Regino, qui quibuſdam perſuaſit hoc primùm anno Ligerim ingreſſos fuiſſe Normannos, & Namnete captâ Guiardum Epiſcopum ipſo die Sabbati ſancti Paſchæ, cùm baptiſmum ex more celebraret, occidiſſe. Hermannus, aliíque. De Concilio Romano die 8. Decembris à 67. Epiſcopis coram ſummo Pontifice Leone IV. celebrato aduerſus Anaſtaſium quemdam Preſbyterum tituli ſancti Marcelli Cardinalem, quod diu à ſua Eccleſia abfuiſſet, conſule Baronium & Chronicum noſtrum Technicum.

Anno Chriſti DCCCLIV. *Caroli Calui* 14. *Ludouicus adoleſcens filius Ludouici Regis Germanorum ab Aquitanis expetitus, ad eos tranſito Ligere venit, ſed à paucis tantùm ſuſceptus ad ſuos redire compulſus eſt circa tempus Autumni. Dani in eodem Ligere conſiſtentes vſque ad Bliſum caſtrum veniunt, ipſumque incendunt, & ab Aurelianorum quam parabant obſidione ſtudio Agij Aurelianenſis & Burchardi Carnotenſis Epiſcoporum deterriti inferiora Ligeris repetunt, & ciuitatem Andegauorum iterum incendio concremant. Pippinus, qui in monaſterio ſancti Medardi tonſus habitum Monachi ſuſceperat, & iuramentum permanſionis fecerat, Aquitaniam ingreditur, párſque maxima populi ad eum conuolat. Carolus Pippini frater ab aliquot annis Diaconus ordinatus à Corbeienſi monaſterio recedit. Carlomannus verò Caroli Regis filius tonſura Eccleſiaſticâ dedicatur. Lotharius Imp. & Rex Carolus Iunio menſe colloquium habent in Attiniaco palatio ad Axonam, deinde apud Leodicum.* Normanni qui continuis viginti annis Regni Francorum fines cædibus, incendiis, & rapinis crudeliter vaſtabant, congregati de regionibus, per quas prædandi cupiditate diſperſi fuerant, in patriam ſuam reuerſi ſunt. Ibíque inter Roric Regem & Gudurmum filium fratris eius orta contentione, ita ſe mutuâ cæde mactauerunt, vt vulgus quidem promiſcuum innumerabile caderet, de ſtirpe verò regiâ niſi vnus puer Siuardus nomine, nullus remaneret, Domino Sanctorum ſuorum iniurias vlciſcente, & aduerſariis digna factis retribuente. *Annales Bertiniani, Fuldenſes, Metenſes, Regino, Hermannus, alij.* Centumcellas à Saracenis ante 46. euerſas in commodiore ac proximo loco Leo Pontifex condidit ac Leopolim appellari iuſſit. Græci deteſtandam Manichæorum hæreſim exſtirpare aggreſſi multos occiderunt, plures ad Saracenos confugere compulerunt. Gregorius Syracuſanus Epiſcopus à S. Ignatio P. C P. damnatus

occasionem magno schismati postea præbuit. Ordonius Asturum seu Legionis Rex à Toletanis ab obsequio Arabum deficientibus euocatus ingenti clade afficitur.

Anno Christi DCCCLV. *Caroli Calui* 15. *Normanni Burdegalam inuadunt & hac illácque pro libitu peruagantur, tum prope Pictauos ab Aquitanis funduntur. Die vero XV. Kalendas Augusti maxima Danorum classis fluuium Sequanæ occupat duce Sydroc, & vsque Pistis castrum, quod olim Petromantalum vocabatur, venire contendunt: inde iunctis cum Bernone Normanno viribus in Particum vsque saltum depopulationibus, & plurima strage grassati sunt, quo in loco Carolus Rex cum exercitu occurrens maximâ eos strage percussit. Berno fuga elapsus castrum in loco, qui Fossa Guiraldi dicitur, Sequanæ contiguum ædificat, vbi hyemem cum suis quietè transigit. Carolus Aquitanis petentibus Carolum filium suum Regem designatum attribuit, quem illi vrbem Lemouicum mediante Octobri conuenientes Regem generaliter constituunt, vnctóque per Pontificem coronam Regni imponunt, sceptrúmque attribuunt, ideóque corrigendus Auctor Chron. Malleacensis seu Maxentiani, qui ipsummet Carolum Caluum anno* 15. *post prælium Fontaneticum insinuat vnctum fuisse Lemouicæ in Regem in basilica S. Saluatoris. Certè hinc viri docti in errorem lapsi. Leo Papa XVI. Kalendas Augusti (Annales sancti Bertini habent mense Augusto) vitâ cessit, cui subrogatus est paullo pòst die* 19. *vel vt alij* 21. *Iulij, electo tandem Anastasio viro pessimo die* 29. *Septembris restitutus à Legatis Lotharij ac Ludouici Imperatorum, ac Calendis Octobris dumtaxat consecratus Benedictus III. ad annos duos menses sex & dies nouem rexit Ecclesiam. Lotharius Imperator morbo correptus vitámque desperans monasterium Prumiæ in Arduennâ constitutum adiit, sæculóque & regno penitus abrenuncians tonsus est, vitam habitúmque Monachi humiliter sumens, dispositóque inter filios regno, ita vt Ludouicus Italiam cum Imperio, Lotharius Regnum Lothariense Mosam inter ac Rhenum, Carolus verò Prouinciam, Ducatum Lugdunensem, obtineret intra sex dies IV. vel vt alij III. Calendas Octobres, hoc est nocte quæ inter* 28. *& 29. dies Septembris media intercessit, post Leonis IV. Papæ obitum diebus elapsis* 74. *mortalem hominem exuit, atque in eodem monasterio sepulturam, vt desiderauerat, consequutus est. Annales Bertiniani, Metenses, Fuldenses, Ado, Regino, Hermannus, Sigebertus, Chronica Fontanellense, Normannicum, Turonense, & Anastasius Bibliothecarius, quem cum aliis eiusdem æui scriptoribus si quis attentè euoluerit, ridiculam Ioannæ Papissæ fabulam*

exsuflabit illicò. Adde quæ in eam rem scripta sunt à Florimundo Ræmundo, Baronio, Miræo, Allatio, ipsóque hæreseos Caluinianæ Præcone Dauide Blondello nuper Amstelædami in Hollandia defuncto. Drogo Metensis Episcopus Caroli Magni filius obiit die 8. Nouembris. Nondum mortuis Leone Papâ & Lothario Imperatore VI. Idus Ianuarias celebratum est Concilium Valentinum III. ab Episcopis Prouinciarum Lugdunensis, Viennensis & Arelatensis numero XIV. In quo editi Canones viginti tres, collaborante Ebbone Gratianopolitano Episcopo Ebbonis Rhemensis nepote, & monacho olim sancti Remigij, quem sex primorum canonum auctorem habitum docet Hincmarus in priore epistolâ ad Carolum Caluum apud Flodoardum libro III. capite XV. Canone quarto exploduntur capitula quatuor Carisiaci ab Hincmaro aliisque probata, quæ contra decretum huiusce Synodi & librum auctoris incerti Lugdunensis Ecclesiæ nomine, cuius titulus de tenendâ scripturæ veritate, idem Hincmarus Scripturarum Patrumque testimoniis confirmare conatus est in posteriori opere aduersus Gotheschalcum. Suaue porrò est quod aiunt Caluisius & quidam alij Synodum illam celebratam fuisse à Carolo Caluo Franciæ Rege, & in eâ iterum damnatos fuisse Godeschalci Scoti de Prædestinatione errores. De Translatione reliquiarum S. Vincentij Martyris ex Hispaniis in Castrum cœnobium Ord. Benedictini in Prouincia Albigensi consule narrationem Aimoini Monachi Floriacensis editam à Iacobo Breullio Monacho. Hoc anno confirmata sunt Abbatiæ sancti Sulpitij Bituricensis priuilegia, tum à Pippino XXVI. Februarij Indictione 3. anno Caroli decimoquinto, tum ab ipso Carolo XXV. Septembris, satagentibus Radulpho Archiepiscopo, Gerardo Comite, & Ebrardo Abbate. Sclauorum regiones Ludouicus Germaniæ Rex vastat, & ab iis vicissim Germania vastatur. Edeluulfus Angliæ Rex Romam venit, filiúmque natu minorem Alberum Regem coronari curat. Kennethus Scotorum Rex laudatissimus obiit, cùm per annos 20. regnum illud optimis legibus imbuisset, & victis sæpe hostibus amplificasset. Michaël Imperator Orientis solus regnare incipit, attonsa & in monasterium relegatâ matre Theodorâ, cuius thesauros in scurras perditósque homines effudit, vsus auunculi sui Bardæ consilio in administratione reipublicæ, cùm ipse ludis potationibúsque se totum dedidisset, ex Scylitza, Cedreno, Zon. aliis. Hoc anno scribebat Chronicon Auctor quidam Anonymus quod editum est pag. 797. Tomi II. Ducheſnij, vbi in margine annus 851. mendosè pro

855. adscriptus est, & in Tomo I. Nouæ nostræ Bibliothecæ MSS. Historicorum pag. 350.

Anno Christi DCCCLVI. *Regni sui 16. Carolus Rex cum Respogio Britonum Duce paciscens filiam eius filio suo Ludouico despondet, dato illi Ducatu Cenomannico vsque ad viam quæ Lutetia Parisiorum Cæsarodunum Turonum ducit. Piratæ Danorum XIV. Kalendas Maij ciuitatem Aurelianorum adeunt, prædantur, & impunè reuertuntur. Alij quoque ex iis Lutetiam Parisiorum inuadunt V. Kalendas Ianuarij, & basilicam sanctorum Petri & Genouefæ, ceteraque omnes præter domum sancti Stephani, & Ecclesiam sancti Vincentij atque Germani, præterque Ecclesiam S. Dionysij incendio tradunt. Ludouicum Abbatem S. Dionysij cum fratre ipsius Gauzleno capiunt, multáque persolutâ solidorum summâ recedunt. Aquitani spreto Carolo Pippinum, mox eo reiecto eundem Carolum puerum recipiunt, & in Aquitaniam reducunt. In Bonoilo agri Parisiensis vico habetur Generale Placitum mense Augusto. Ediluulfus Rex Anglorum Occidentalium Româ rediens Iudith filiam Caroli Regis mense Iulio desponsatam Calendis Octobribus in Vermeria palatio in matrimonium accipit, & benedicente Hincmaro Remensi Archiepiscopo, imposito capiti eius diademate Reginæ nomine insignit, quod sibi suæque genti eatenus fuerat insuetum. Ludouicus Imperator & Lotharius frater eius cum Carolo puero germano suo apud Vrbam in Heluetiis conueniunt, & inuiti licet, Carolo, quod à paternâ dispositione acceperat, permittunt.* Decesserat quarto die Februarij Rabanus Mogontiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cui Carolus Pippini quondam Regis Aquitaniæ filius & alterius Pippini frater, successit magis ex voluntate Regis & Consiliariorum eius, quàm ex consensu & electione Cleri & populi. *Annales Bertiniani, & Fuldenses, Chronica Sangallense, & Normannicum, cum Hermanno, Reginone, Trithemio*, &c. De Tiberis inundatione die 6. Ianuarij elapsis ab electione Benedicti III. Papæ mensibus quinque ex Anastasio diximus nonnihil in Chronico Technico. Idem Benedictus litteras dedit ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum, & ad Hugbertum sancti Marcelli Cabillonensis Abbatem Theutbergæ Reginæ Lotharienſium fratrem. Ludouicus Germaniæ Rex Dalmatis acie superatis tributum imponit. Rex Lazorum, qui ad mare Caspium incolunt, Romam se confert ad limina Sanctorum Apostolorum, teste Anastasio Bibliothecario.

Anno Christi DCCCLVII. *Caroli Calui* 17. *Ludouicus Germaniæ Rex colloquium mense Februario habuit in Confluentibus cum Lothario Rege, & Vvormatiæ in Vangionibus placitum celebrauit ipso Quadragesimæ tempore. Pippinus Aquitanus exosus Danorum piratis sociatur, Pictauorum ciuitatem deuastat, & multa alia Aquitaniæ loca populatur. Lotharius concubinis abutens vxorem suam Teutbergam Reginam abiicit. Coloniæ & Treuiris horrenda fulmina. In Synodo Carisiacensi mense Februario habitâ constitutio edita est de coërcendis rapinis, & depopulationibus, quæ in regno grassabantur, ad Episcopos & Missos Dominicos. Synodus apud Mogonciacum circa Calendas Octobres acta est, præsidente Carolo Archiepiscopo. Respogius, corrige Erispoius, filius Nomenoij, Britonum Dux à Salomone & Almaro Britonibus diu contra se dissidentibus interimitur. Tempore huius Salomonis delatum fuisse corpus B. Matthæi Apostoli in minorem Britanniam docet Chronicum S. Michaëlis in Tumba editum pag. 349. Nouæ Bibliothecæ. Idem direxisse dicitur Romam Hadriano Papæ statuam auream cum multis donariis. Frotbaldus Carnutum Episcopus insistentibus sibi Danis in eadem ciuitate pedibus fugiens, fluuiumque Auduram natatu petens, aquis interceptis moritur. Annales Bertiniani, Fuldenses, Hermannus, Regino, Chronicon Normannicum*, &c. Ex quibus etiam constat Rorucum Danum, qui Lotharij Regis in Doreſtado Præfectus fuerat, classem duxisse in Daniam, & consensu Horici Regis partem regni, quæ est inter mare & Egidoram, cum sociis possedisse. Edeluulfo Angliæ Regi succedunt filij Edelwaldus in regno Westsaxonum annis 5. & Edelbertus in Cantio annis 10. Michaël Imp. ducto in Orientem exercitu, obsessisque ad Euphratem fluuium Samosatis, ab erumpentibus ex vrbe Saracenis ingenti clade affectus rediit CP. inglorius.

Anno Christi DCCCLVIII. *Caroli Calui* 18. *Benedicto Papa mortuo VI. Idus Aprilis (alij habent 16. Februarij) subrogatus est in eius locum præsentia magis ac fauore Ludouici Imperatoris & Procerum eius, (vt Synchronus auctor refert Annalium S. Bertini qui Nicolao videtur in plerisque parum æquus) quàm Cleri electione, Nicolaus I. ad annos IX. menses VI. dies XXI. Carolus Rex Danos in Insula Sequanæ Oscello commorantes obsidet mense Iulio, vbi Carolum filium ab Aquitaniâ venientem suscepit vnà cum Pippino iam Laico, cui Comitatus ac monasteria in Aquitania tribuit. Lotharius etiam Rex, postquàm cogentibus suis vxorem, quam abiecerat, recepisset,*

ad eamdem Insulam mense Augusto properat patruo auxilium collaturus, sed re infectâ IX. Calendas Octobris ad propria Reges remeant. Interim Comites quidam ex regno Caroli Regis Ludouicum Germanorum principem quem per quinque annos inuitauerant, tandem adducunt, qui mediante mense Augusto Vvangioni seu Vormatiæ collecto exercitu per Alisatiam profectus Calendis Septembribus Ponteonem seu Ponticonam regiam villam tum per Catalaunos, & Cupedenses Aiedincum seu Agendicum Senonum aduenit. Inde Aurelianensem pagum adiens, receptis ab Aquitaniâ Neustriâ atque Britonibus, qui ad eum se venturos spoponderant, eadem penè viâ vsque ad Cupedenses remeat. Quibus Carolus Rex compertis per Catalaunos vsque ad Breonam villam (aliàs Briacum) festinus graditur, vbi concurrentibus ad eum Burgundiæ primoribus Ludouicum insequentem præstolatur. Sed intercurrentibus nunciis, cùm nulla pacis compositio fieret, pridie Idus Nouembris præparatis hinc inde aciebus videns Carolus se à suis deseri recessit, & partes Burgundiæ petiit. Ludouicus verò receptis his, qui à Carolo defecerant, Augustam Tricorum adiit, ibique distribuens inuitatoribus suis Comitatus, Monasteria, villas regias, atque proprietates, ad Attiniacum palatium reuertitur. Quo Lotharius Rex ei occurrit, & confirmatis pactionibus ad sua repedat. Ludouicus per Durocortorum Remorum, & Lauduncnsem pagum ad Augustam Veromandorum in Cœnobio sancti Quintini martyris Dominicæ Natiuitatis festum celebraturus ingreditur. Relictam Edeluulfi Iudith reginam Adalboldus seu Edelvvaldus filius eius vxorem ducit. Comites Caroli Regis cum Britonibus iuncti Ludouicum eius filium, illiúsque sequaces à partibus Cenomannicis deterritum, Sequanam transire, atque ad patrem refugere compellunt. Annales Bertiniani & Fuldenses, quorum Auctor hîc ardentiùs solito effrænis calumniæ virus in Carolum euomit, Metenses enim hîc tacent, nec multa Sigebertus, Hermannus & Regino. Herardus Turonensium Archiepiscopus generali Synodo in Turonica ciuitate habita quædam necessaria sanctorum canonum capitula excerpsit, quæ firmius custodienda sanxit XVII. Kalendas Iunij Chronicon Andegauense dictum vulgò Vindocinense, atque ipsa Præfatio dictorum CXL. Capitulorum, quæ edidit Sirmondus noster Tomo III. Conciliorum Galliæ. Sequuntur capitula è Synodo apud Carisiacum missa extremo mense Nouembrio ad Ludouicum Germaniæ regem in Attiniaco palatio consistentem, cùm is ad occupandum Caroli fratris sui regnum seditiosorum impulsu venisset, quæ iam prodierant titulo XXIII. Capitularium Caroli Calui. Legenda quoque de iis Hincmari ad Carolum Regem Epistola apud Flo-

doardum libro III. Remensis Historiæ capite XVI. De Ignatij Patriarchæ CP. quòd Bardam Cæsarem ob sceleratam vitam fœdásque libidines in Epiphaniis ab Ecclesiæ aditu prohibuisset, depositione, & incarceratione, & in illius locum subrogato Photio & in Natalitiis Christi die 25. Decembris, ex Laïco contra canones eiusdem Bardæ Cæsaris factione consecrato, vide Nicetam in vitâ S. Ignatij à Radero nostro Græcè Latinéque excusâ, Scylitzam, Cedrenum, *&c.* atque ex recentioribus Baronium.

Anno Christi DCCCLIX. *Regni sui 19. Carolus Rex recuperatis viribus fratrem suum Ludouicum nec opinantem aggreditur, & de regni sui finibus pellit. Lotharius Rex ad Carolum patruum suum festinat, & die Dominico initij Quadragesimæ in Arcas palatio publicè sacramentis vicissim per seipsos datis sese iterum confirmant. Carolus quædam monasteria, quæ antea Clerici habere solebant, laicis distribuit, ac per diuersa loca Conuentus Episcoporum agit, sed quarto à Tullo Leucorum miliario in villâ Saponarias dicta cum Lothario & Carolo nepotibus suis Regibus Synodo Episcoporum assistens, libellum accusationis aduersus Guanilonem seu Vvenilonem Agedinci Senonum Metropolitanum Episcopum porrigit. Quæ tamen actio propter absentiam eiusdem Episcopi dilata est. Inde ad Colloquium fratris sui Ludouici Regis in Insulâ Rheni inter Antunnacum, & Confluentes properat. Cuius colloquij effectus differtur vsque ad VIII. Calendas Nouembris apud Basiliam ciuitatem (Fuldenses minus eruditè Anternacum & Basalam) quo cùm Ludouicus aduenisset, Carolus propter Lotharij absentiam ab incœpto itinere reuersus est. Aquitanis ad Carolum puerum se certatim conuertentibus Pippinus Rotberto Comiti, & Britonibus sociatur. Danorum Piratæ loca vltra Scaldem populati longo maris circuitu inter Hispanias, & Africam nauigantes Rhodanum ingrediuntur, vastatísque quibusdam monasteriis & ciuitatibus, in Insulam, quæ Camarias dicitur, prædas ex vicinis locis conuectant. Alij ex Daniâ recens deuecti monasterium sancti Valarici ad ostia Somonæ, & Samarobriuam Ambianorum ciuitatem, aliáque circumquáque loca, rapinis & incendiis vastant. Hi verò, qui in Sequanâ morabantur, Nouiomum ciuitatem noctu aggressi, exeunte Autumno vel sub initium hyemis Immonem Episcopum (quem tamen alij scriptores decessisse iam ante aliquot annos falsò tradiderunt) cum aliis nobilibus tam Clericis quàm Laicis capiunt, vastatáque ciuitate secum abducunt, atque in itinere interficiunt. Qui etiam ante duos menses Ermensridum Beluagorum Episco-*

pum

pum in quadam villâ interfecerant, & anno præterito Blatfridum Baiocaſſium Epiſcopum. Lotharius fratri ſuo Ludouico Italorum Regi, quamdam regni ſui portionem attribuit, Genuam, Lauſannam, Sedunúmque ciuitates, cum Epiſcopatibus, monaſteriis & comitatibus, præter Hoſpitale, quod eſt in monte Iouis, & Pipincenſem comitatum. Nicolaus Pontifex Romanus de gratiâ Dei, & libero Arbitrio, de veritate geminæ prædeſtinationis & Sanguine Chriſti, vt pro omnibus credentibus fuſus ſit, fideliter confirmat, & Catholicè decernit. Porrò Guanilo Senonenſis Archiepiſcopus ſub anni exitum abſque audientiâ Epiſcoporum Carolo Regi reconciliatus eſt. Annales Bertiniani, quos debemus diligentiæ eruditorum virorum Societatis noſtræ Heriberti Roſuueydi, & Ioannis Bolandi, hæc fermè omnia ſoli, niſi quòd inde ab Auctore Chronici Normannici de Danorum piratis iiſdem verbis decerptum eſt. Agilmarus Viennenſis Archiepiſcopus obiit die 6. Iulij, cui ſubrogatus eſt Ado, cuius extat Chronicon. Concilium Metenſe de indulgentia Ludouici Regis pro ſeditione, & exceſſibus in regno fratris ſui Caroli perpetratis celebratum V. Calendas Iunias, vnde miſſi cum Hincmaro Remenſi aliquot Præſules ad Ludouicum Vormatiæ tunc agentem cum Commonitorio, quod extat vulgatum à Sirmondo noſtro tum Titulo XXIV. Capitularium Caroli Calui, tum Tomo III. Conciliorum Galliæ. Eodem anno circa Calendas Iunias in Andemantunno Lingonum, ſeu, vt docet Flodoardus libri III. capite XVI. in ſuburbio Lingonicæ ciuitatis, habita eſt Synodus à Remigio Lugdunenſi, Agilmaro Viennenſi, aliíſque Epiſcopis regni Caroli minoris fratris Lotharij, in quâ propoſiti ſunt Canones numero XVI. qui poſt quindecim dies in Concilio Tullenſi apud Saponarias ab Epiſcopis duodecim Prouinciarum, adſidentibus Carolo Caluo eiúſque nepotibus relecti ſunt, vt videre eſt eodem Tomo III. Conciliorum Galliæ, & apud Cellotium in Hiſtoria Gotheſcalci Prædeſtinatiani Hær. Tandem poſtulauit humiliter generalis Synodus ſe ad terram vſque proſternens ante Carolum Regem, & Rodulfum Biturigum Archiepiſcopum obſecrans, & adiurans per Crucem & Chriſti Sanguinem, vt priuilegium monaſterij ſancti Benedicti, quod annuente præfato Rege firmauerant, quódque idem Rodulfus ſubſcripſerat, qui præfatam Abbatiam inregulariter retinebat, ratum, & inconnulſum ſeruare ſtuderent, &c. Canone XI. dicti Concilij apud Saponarias. Chenutius, Robertus, aliíque noſtrates Hiſtorici affirmant Abbatem Floriacenſem fuiſſe Rodulfum antequam Archiepiſcopus crearetur, ſed commentum hoc abundè refellunt Boſo in reſtitutione Ebbonis anno 840. & Bernardus anno 853. præſens Concilio

Sueſſionenſi, tum quæ ex Tullenſi huius anni Concilio delibauimus. De nece Ermenfridi Bellouacenſis, & Immonis Nouiomagenſis Epiſcoporum, in annum proximè conſequentem differenda vide Chronicon noſtrum Technicum, ex Dudone Decano, & Martyrologis noſtratibus. Tranſlatum eſt caput ſancti Richarij de capſa lignea in argenteam die 27. Octobris, vt docet qui tum viuebat Auctor Centulenſis Monachus libro 2. Miraculorum ſancti Richarij, qui etiam teſtatur veniſſe Danos indictione 8. iam inchoata, eorúmque metu fugiſſe Centulenſes Monachos in loca tutiora. Sanctus Eulogius martyrio vitam finit Cordubæ die vndecima feria ſeptima. Michael Orientis Imp. ab Amere Saracenorum Duce vincitur, ex Cedreno, aliíſque. Saraceni cum 60. nauibus Hiſpaniæ maritima populantur.

Anno Chriſti DCCCLX. *Caroli Calui* 20. *Hibernum tempus aſperum nimis ſolitóque prolixius fuit à menſe Nouembri vſque ad Aprilem, frugibúſque ob continuas niues & gelu, arborúmque prouentibus pernoxium. Nix quoque ſanguinolenta in pleríſque locis cecidiſſe reperta eſt, & mare Ionium glaciali rigore ita conſtrictum eſt, vt mercatores, qui numquam antea niſi vecti nauigio, tunc in equis quoque & carpentis mercimonia ferentes Venetiam frequentarent. Lotharius Teutbergam Reginam coniugem ſuam adegit, vt coram Epiſcopis falsò ſe crimine infamaret, vnde & pœnitentiæ continuò addicta eſt, atque in monaſterium truſa: Verùm hæc implacabile viri ſui odium verita atque inſidias, ad fratrem ſuum Hucbertum in regno Caroli conſiſtentem aufugit: Carolus Rex inani Danorum pollicitatione pellectus, exactionem de theſauris Eccleſiarum, & omnibus manſis ac negotiatoribus etiam paupertinis, ita vt domus eorum, & omnia vtenſilia adpreciarentur, & inde ſtatutus cenſus exigeretur, fieri iubet: promiſerant quippe vt ſi eis tria millia librarum argenti pondere examinato tribueret, ſe aduerſus eos Danos, qui in Sequanâ verſabantur ituros, eóſque inde aut expulſuros aut interfecturos. Hi verò Dani, qui in Rhodano morabantur, Valentiam vſque vaſtando perueniunt, tum ſuam in Inſulam reuerſi Italiam nauigiis petunt, & Piſas ciuitatem, aliáſque capiunt ac deprædantur. Ludouicus Rex Germaniæ, Carolus Rex Franciæ, nepóſque eorum Lotharius Kalendis Iunij cum Primatibus ſuis in monaſterio ſancti Caſtoris prope Confluentes caſtellum conuenientes pacem inter ſe & fidelitatem mutuam ſinguli iuramento firmarunt. Idem Carolus Rex monaſterium ſancti Martini filio ſuo Ludouico largitur, cúmque Lambertus, qui ducatum tenebat inter Ligerim & Sequanam, Viuianum potentem virum dolo interfeciſſet (ſi vera narrant Annales Meten-*

ſes, quæ ad anteriora tempora aptiùs reuocant cæteri) & ipſe à Gozberto Comite trucidatus fuiſſet, Gozbertum illum iuſſit decollari: Ad hæc infœliciter contra Britones præliatus eſt. Annales Bertiniani & Fuldenſes, Chronicon Normannicum, Hermannus, Regino, &c. Ex Chronico Engoliſ. conſtat obiiſſe Eliam Scotum Epiſcopum 10. Kal. Octobris qui S. Benigni martyris corpus tranſtulit Engoliſmam. Menſibus Ianuario atque Februario duplex Aquiſgrani habitus eſt Epiſcoporum Conuentus in cauſa Teutbergæ vxoris Lotharij Regis, vt docent Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus de Diuortio Lotharij, & Tetbergæ Reſponſione prima, & Epiſtola Epiſcoporum, qui interfuerunt, ad Nicolaum Papam. Conſultus à Gunthario idem Hincmarus de Ingeltrude Boſonis Comitis vxore quæ virum reliquerat reſpondet ep. 28. Ea extat pag. 669. Tomi II. Sub Autumnum eiuſdem anni die XI. Kalendas Nouembres celebratum eſt ab Epiſcopis quatuordecim Prouinciarum Concilium in Tullenſis territorij villâ Tuſiaco, quod ex Codice Eccleſiæ Laudunenſis primùm à Sirmondo editum habes Tomo III. Conciliorum Galliæ, cum eiuſdem Synodali Epiſtolâ ad rerum Eccleſiaſticarum peruaſores, & pauperum prædatores. Extat quoque prolixa Hincmari Remenſis Epiſtola Synodi eiuſdem iuſſu & auctoritate ſcripta ad Rodulfum Bituricenſem & Frotarium Burdegalenſem Metropolitanos Aquitaniæ de nuptiis Stephani & filiæ Regimundi Comitis. Terræ motu euertuntur muri C P. die 23. Maij in die feſto Aſcenſionis Chriſti, vt ex Scylitzâ, Cedreno, aliiſque diſcimus. Ruſſi è Scythia profecti claſſe C P. obſident irrito conatu. Ex captiuis poſtea religionem Chriſtianam edocti ſunt ac baptizati. Legati Papæ Nicolai C P. profecti à Photij fautoribus dirè vexati ſunt, & centum continuis diebus concluſi, ne cum Græcis loquerentur. Narrant Boëtus, Leſlæus, Gordonus, aliíque Pictos ope Anglorum reuerſos in patriam, vnde fuerant expulſi, primùm quidem à Scotis victos, ſed dum neglecta militari diſciplina Scoti vagarentur liberius, inſignem relatam à Pictis victoriam, Donaldum Regem captum, cui paullo poſt mortuo ſucceſſit Conſtantinus Kennethi filius, & pacem inter vtróſque ea lege compoſitam, vt regio à Cluda ad Fortheam, & Stiruelingum Pictis habitanda concederetur.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCLXI. *Caroli Calui 21. Dani menſe Ianuario Lutetiam Pariſiorum & Eccleſiam*

ſancti Germani incendio tradunt: alij quoque Danorum piratæ Taruanenſem pagum deuaſtant, & vt quidam volunt, monaſterium ſancti Bertini cremant. Carolus Rex filium ſuum Lotharium claudum in monaſterio ſancti Ioannis Clericum fieri iubet, tum Maidunum ſuper Ligerim veniens Rodbertum cum placitis honoribus recipit (Annales Metenſes habent Carolum placitum habuiſſe in Compendio, ibique cum optimatum conſilio Roberto Comiti Ducatum inter Ligerim, & Sequanam aduerſus Britones commendaſſe, quem cum ingenti induſtriâ per aliquod tempus rexerit.) Quâ occaſione Guntfridus & Gozfridus, quorum conſilio Carolus præfatum Rodbertum receperat, ad Salomonem Britonum Ducem defecerunt. Galindo, cognomento Prudentius, Tricaſſinæ ciuitatis Epiſcopus, hæreſis Gotheſcalci Trædeſtinatiani, quem olim cum aliis Epiſcopis damnarat, defenſor acerrimus, vt viuendi ita & ſcribendi finem fecit. Carolus Rex dimiſſo filio ſuo Ludouico ſub Adalardi Irmintrudis Reginæ auunculi baiulatione ad cuſtodiam regni contra Normannos, aduerſus Carolum nepotem ſuum, quaſi regnum Prouinciæ adepturus, vſque ad ciuitatem Matiſconenſem proficiſcitur, ſed rebus parum proſperè geſtis, Pontigonem palatium redit, ibique miſſaticum ex parte Ludouici fratris ſui, & Lotharij nepotis delatum audit, & diem Natiuitatis Dominicæ feſtiuè, vt moris eſt, celebrat. Annales Bertiniani hæc & alia pluribus. Addunt Hincmarum Durocortori Remorum Archiepiſcopum Synodo comprouinciali apud Martyrium Sanctorum Criſpini & Criſpiniani ſecus ciuitatem Sueſſionis Rothadum ipſius vrbis Epiſcopum Regulis eccleſiaſticis obedire nolentem Epiſcopali priuaſſe communione, ſecundùm decreta Canonum, donec obediret. Sirmondus tamen noſter Sueſſionicam iſtam Synodum, in quâ Hincmaro inſtigante coram Carolo Rege Rothadus damnatus, gradúque ſuo deiectus eſt, Siluanectenſi poſtponit, quàm in Conuicino villâ publicâ propter Siluanectum congregatam præſidente Hincmaro affigit anno 863. Neque quicquam opis ad eruendum temporis rationem, aut à libello Rothadi, aut ab Epiſtolis Nicolai Papæ, aut denique à Gratiano diſtinctione X. Meginradus ſeu Meinardus Augiæ monachus, & primus incola Eremi, quæ Turicino adiacet lacui, à quibuſdam latronibus inibi XII. Kalendas Februarij peremptus, poſt mortem virtutibus claruit, Augiæque ſepultus eſt, à quo vſque hodie eremus ipſa à ſanctis & religioſis culta viris in nobile, & famoſum iamdudum excreuit cœnobium. Hæc Hermannus Contractus in Chronico, cui conſentiunt Chronicon Sangallenſe, & Hepidanni Annales, neque enim audiendus Sigebertus, qui anno 856. mortem eius conſignat. Photius conuocata CP. Sy-

nodo 320. ferè Episcoporum damnari curat Ignatium Patriarcham, præsentibus Legatis Pontificis, qui anni seq. die 18. Martij omnia illa abrogauit, vide Nicetam vitæ Ignatij scriptorem, Baronium, Binium, &c. Petronas Dux Michaëlis Imp. Saracenos vincit, multis cum Duce Amere trucidatis. Bardas Cæsar suasu Photij, vt par est credere, Scholas C P. restituit, vt ex Cedreno disces. Ethelwaldo Anglorum Regi succedit frater Ethelbertus. Sunt qui Moscouitici regni initia in hunc circiter annum conferant. De Lateranensi Synodo in causa Ioannis Ep. Rauennatis consule Anastasium & Baronium.

Anno Christi DCCCLXII. *Regni sui* 22. *Carolus Remis Sueſſionas veniens non incerto nuncio comperit filiam Iudith relictam Edelboldi Regis Anglorum à Balduino Comite, Ferreo dicto, raptam ex ciuitate Siluanectensi, & mutato habitu in regnum Lotharij deductam, filium quoque Ludouicum à Guntfrido & Gozfrido sollicitatum relictis fidelibus patris cum paucis noctu aufugisse, & ad eos peruenisse. Balduinus ac Iudith excommunicationis sententia ab Episcopis percussi, ereptáque Ludouico Abbatia sancti Martini, Hucberto Clerico coniugato donata est. Idem Carolus Normannos, qui Duce Vvelando Fossatense cœnobium anno superiore inuaserant, & Meldensium ciuitatem nauigiis petierant ponte Matronæ impositio intercluſos datis obsidibus exactóque iureiurando permittit Gemmeticum redire, vbi refectis nauibus pelago tandem se committunt, ac maiori ex parte Britannos, qui Salomone Duce habitant in Neustriâ, petunt, quibus & illi iunguntur, qui in Hispaniâ fuerant. Eorum duodecim naues, quas Salomon locario iure conduxerat, Rotbertus in fluuio Ligeri capit, omnésque, qui in illis erant, interfecit, præter paucos, qui fugâ lapsi delituerunt. Ludouicus, cognomento Balbus, Caroli filius, à Salomone validam Britonum manum obtinet, cum eis Rotbertum impetit, Andegauum vicinósque pagos cæde, igni, deprædatione deuastat; at in reditu plusquam ducentis Britonum primoribus à Rotberto trucidatis præda ingens excussa est ex eorum manibus. Harduini filiam Ansgardim copulauerat sibi Ludouicus ille initio Quadragesimæ, eiúsque frater Carolus Rex Aquitanorum, necdum quindecim annos complens, persuasione Stephani relictam Humberti Comitis sine voluntate & conscientiâ patris in coniugem duxit. Carolus horum pater omnes Primores regni sui ad locum, qui Pistis dicitur, vbi ex vnâ parte Andella, & ex alterâ Audura Sequanam influunt, circa Iunij Calendas cum multis operariis & carris conuenire facit, & in Sequanâ munitiones construens ascendendi, vel descendendi nauibus*

propter Normannos aditum intercludit. Ipse cum vxore supra Ligerim in loco, qui Maidunus dicitur, cum Carolo filio loquitur, qui cum in Aquitaniam contumaci animo remeasset, ipse ad Pistas, quo Placitum simul & Synodum antè condixerat, redit. Vbi Rothadus Suessorum Episcopus in Synodo Prouinciali regulariter Episcoporum communione priuatus, cum sua se contumaciâ quatuor Prouinciarum concilio præsentauit, quem fraternus ille Conuentus ne penitus deponeretur sub appellatione Sedis Apostolicæ seruare disposuit. Ludouicus ad patrem reuersus, fore de cætero fidelem districtissimis sacramentis se obligat, & à Patre Comitatum Meldensem, & Abbatiam sancti Crispini dono accipit. Lotharius Rex Valdradam concubinam, maleficis, vt ferebatur, artibus dementatus, cæcóque eius amore pellectus, quibusdam regni sui consentientibus Episcopis coronat, & quasi in coniugem Reginámque sibi coniungit. Hincmarus Remorum Episcopus veniente Carolo Rege in eamdem ciuitatem accitis comprouincialibus suis Episcopis matrem Ecclesiam ipsius Prouinciæ in honore sanctæ Mariæ, sicut & antiqua fuerat sacrata, venerabiliter dedicat. Inde Carolus fratri Ludouico obuiam occurrit in Territorio Tullensi, causásque profert, cur Lothario communicare nollet, quia pro vxore contra Euangelicam & Apostolicam auctoritatem relictâ, altera ducta est, & quia vxori Bosonis Ingeltrudi, & Balduino, qui filiam eius furatus fuerat in vxorem, excommunicatis communicauerat. Sicque condicentes Placitum sui Conuentus in futuro mense Octobrio in confinio Mosomagensis, & Vonzensis Comitatus ab inuicem secessérunt, & Ludouicus quidem, vt resisteret filio suo Carlomanno, qui auxiliante Vvinidorum Rege contra patrem rebellauerat, Baioariam petiit: Carolus verò per Pontigonem secus littora Matronæ fluminis Carisiacum reuersus Natalis Dominici diem reuerentissimè celebrat. Annales Bertiniani optimâ fide conscripti. Hermannus verò & Annales Fuldenses, Carolomannum Reganesburgi fuisse patri reconciliatum memorant. Conradus Comes Vvelfi filius, & Iuditha Augustæ frater obiit die 16. Februarij, relictâ Adelaide Ludouici Imp. & Ermengardis filia Hugonis Abbatis per ea tempora celeberrimi & Conradi II. Comitis matre, quam eodem anno matrimonio sibi copulauit Robertus Dux, & ex ea Odonem & Robertum Hugonis Abbatis veterinos fratres sustulit, vt contra Chifletij nænias eruditissimi viri Bouchetius, Dominicyus, Tenneurius, Blondellus, alíque apertissimis rationibus demonstrarunt, nósque strictim attigimus in Tabulis Genealogicis Regiæ Francorum familiæ à pagina 118. editionis II. Tabula XII. Multas hoc & sequenti anno Epistolas scripsit Nicolaus Pontifex tum

in causâ Balduini Iudithæ raptoris, qui ad opem implorandam in vrbem venerat, tum in causâ Monachorum ſancti Karilephi aduerſus Cenomanenſem Epiſcopum, tum denique vel maximè propter diuortium Lotharij & Tetbergæ, quam ſubſtituta Vvaldrada eiecerat. Eas rectè digeſtas habes Tomo III. Conciliorum Galliæ poſt Concilium Aquiſgranenſe tertium Indictione X. die III. Calendarum Maiarum celebratum ab Archiepiſcopis Gunthario Agrippinenſi, & Teutgaudo Treuirenſi, eorúmque Coepiſcopis, in quo permiſſum eſt Lothario, vt aliud coniugium iniret. Hermannus hanc Synodum Mettis habitam à prædictis Metropolitanis inſinuare videtur, ſed certiora ſunt quæ ex Sirmondo protulimus. Ordonio Regi die 27. Maij mortuo anno regni 18. ſucceſſiſſe dicitur Alfonſus Magnus Legionis Rex annis 48. Multa ſunt tamen quæ ex Sampiro Aſturicenſi, & Sebaſtiano Salmanticenſi obiici poſſent, quæ prudens volénſque impræſentiâ omitto. De Synodo Romana aduerſus reuiuiſcentem iterum Theopaſchitarum hæreſim celebrata adi epiſtolam 7. Nicolai Papæ cum Baronio, Binio, aliíſque Conciliorum Collectoribus.

Anno Chriſti DCCCLXIII. *Caroli Calui* 23. *Dani menſe Ianuario per Rhenum Coloniam verſus nauigio aſcendunt, & vſque ad quamdam Inſulam ſecus caſtellum Noueſium perueniunt, ſed Lothario cum ſuis ac Saxonibus vtramque fluminis ripam prætexente, circa Calendas Aprilis redire compulſi ſunt. Carolus Rex Prouinciæ ac Burgundiæ moritur, eiúſque regni primores Ludouicus Imperator conciliare ſibi conatur, Lothario fratre vtriuſque partem illius non modicam ſibi vendicante. (Huius obitum Annales Metenſes anno 858. attribuunt) Carolus Franciæ Rex Cenomanos venit, indéque vſque ad monaſterium, quod Interamnis dicitur, procedit; vbi Salomon Dux Britonum cum primoribus ſuæ gentis illi obuiam venit, ſéque illi commendat, & cenſum illius terræ ſecundùm antiquam conſuetudinem exſoluit. Cui Carolus ob fidelitatis ſuæ meritum partem terræ, quæ Inter-duas-aquas dicitur, & Abbatiam ſancti Albini in beneficium donat, Gotzfridum, ceteróſque, qui ab eo defecerant, cum indulgentiâ honoribus donat, indéque reuerſus Paſcha Domini Cenomanis celebrat. Hunfridus Gothiæ Marchio factione Toloſanorum, qui Comitibus ſuis eamdem ciuitatem ſupplantare ſunt ſoliti, Toloſam Reimundo eripit, ſibíque vſurpat. Turpio Engoliſmenſium Comes nonis Octobris cum Normannis congreditur, & occidens eorum Regem nomine Maurum, ab eo ipſe confoditur, ex Chronicis Aquitanico pag. 292. Nouæ Bibliothecæ MSS.*

Librorum, & Engolismensi pag. 324. vbi vocatur miles fortissimus, defensor optimus, vir magnificus, amator Clericorum, Ecclesiarum ædificator, pauperúmque recreator. Carolus ex partibus Transsequanis regressus Missos Romani Pontificis Rodoaldum Portuensem Episcopum, & Ioannem Ficodensem Episcopum honorificè Suessionis in monasterio sancti Medardi recipit. Quos aliquamdiu secum retinuit, & concessâ Balduino, pro cuius obtentu venerant indulgentiâ, muneratos absoluit. Illi Metas adeunt Synodum habituri ex delegatione Apostolicâ circa medium mensem Iunium, pro diuortio, quod inter Lotharium & Theotbergam acciderat, & pro superinductione concubinæ Vualdradæ, quam contra leges Ecclesiasticas & mundanas in vxorem sibi asciuerat. In quâ Synodo præfati Missi corrupti muneribus Epistolas domni Apostolici occultantes nihil de iis, quæ sibi commendata fuerant, secundùm sacram auctoritatem egerunt; Vt autem aliquid egisse viderentur, Guntharium & Theutgaudum Archiepiscopos, cum veniis, quas in eadem Synodo subscripserunt Episcopi, Romam ire iusserunt, vt iudicio domni Apostolici ipsa causa definiretur. Nicolaus re cognitâ Synodum conuocauit, quod sentiens Rodoaldus noctu fugâ lapsus disparuit, Guntharius verò & Theutgaudus Romam peruenientes, primum in Synodo, & postea in Ecclesiâ sancti Petri ab Apostolico damnati sunt. Extat in Annalibus Bertinianis, & Fuldensibus Nicolai Epistola ad Episcopos variarum Prouinciarum, quibus iungenda est eiusdem Papæ ad Rodulfum Bituricensem eiúsque Coepiscopos epistola in Appendice ordine XIV. Carolus Rex VIII. Calendas Nouembris Synodum in Vermeriâ palatio habuit, ibíque Abbatiam sancti Carilephi super Rotbertum Cenomanicæ vrbis Episcopum, qui eam per Apostolicam commendationem iuri sui Episcopatus mancipatam tenere volebat, legaliter euindicauit, & Rothadum nuper depositum, sicut domnus Papa ei mandauerat, cum suis & Episcoporum literis atque Vicariis Romam misit. Idem paulo post cum validâ manu Aquitaniam cogitans Antisiodorum vsque venit, vbi filiam suam Iudith, sicut domnus Apostolicus eum rogauerat, Balduino, quem secuta fuerat, legaliter coniugio sociari permisit. (Addit Meierus subleste fidei auctor à socero datam Balduino omnem terram inter Scaldim, Somonam, & Oceanum iacentem, eúmque regni Comitem contra Danos creatum.) Inde Niuernum profectus filium suum Carolum ad se venientem recepit, eúmque, & omnes Primores Aquitaniæ iterum sibi iuramento obstringit, ibidémque Natale Domini celebrat. Annales Bertiniani, Fuldenses, Metenses, sed anno sequenti, Hermannus, Regino, Sigebertus, Ado: quorum aliqui Carolum Mogontiacensis

gontiacensis Ecclesiæ Episcopum pridie Nonas Iunij defunctum esse notant, & Luitbertum eiusdem sedis honore sublimatum pridie Kalendas Decembres. Rothadus Suessionensis Episcopus apud Siluanectum in Conuicino villa ob Presbyterum immeritò, vt ferebatur, depositum Hincmari factione damnatus, ac necquicquam Apostolicam sedem appellans gradu suo deiectus, & in Monasterium detrusus est. Eius autem Synodi acta quæ modò non extant, Odo Bellouacensis Romam detulit à Nicolao Papa postea rescissa. Theodericus Cameracensis, Ep. moritur die 5. Augusti, vt docet Baldricus lib. 1. Chronici cap. 47. De damnatione Photij in Synodo Romana eorúmque Legatorum, qui prævaricati turpiter fuerant, ac de Photio per summam impudentiam anathema in summum Pontificem retorquente, consule Anastasium S. R. E. Bibliothecarium in Præfatione VIII. Synodi, Baronium, & quæ dicentur anno seq.

Anno Christi DCCCLXIV. *Regni sui 24. Carolus Niuerni tristi nuncio comperit Normannos Pictauum venisse, & sub redemptione ciuitate seruatâ, Ecclesiam S. Hilarij incendisse: quapropter dispositio exercitu, Aquitanos hostiliter in eos ire præcipit; ipse verò filium suum Carolum secum ducens Compendium rediit, quibusdam ad recipiendas ciuitates & castella in Gothiam dimissis. Nortmanni Aruernum ciuitatem petunt, vbi cum paucis suorum interfecto Stephano Hugonis filio (eum esse puto qui in Epistolâ LXVI. Nicolai Papæ dicitur Aruernorum Comes, & insimulatur quòd Sigone Aruernensi Episcopo deiecto, in eius locum percussorem Adonem Clericum substituerit) impunè ad suas naues redeunt. Pippinus Pippini filius ex Monacho Laicus & Apostata factus se iis coniungit, ritúmque eorum seruat. Carolus Iuuenis Aquitaniæ Rex, quem pater receptum paulo antè Compendium secum duxerat, quum noctu de venatione rediret in Silua Cottia interiocandum à quodam iuuene Albuino Bosonis filio, & Hugberti ac Buuini Comitum fratre, in capite spathâ percutitur, penè vsque ad cerebrum. Ludouicus Imperator, instinctu Guntharij & Theotgaudi excommunicatorum à Romano Pontifice, Romam veniens, dira contra clerum populúmque Litanias ad Diui Petri celebrantem perpetrat, quæ pluribus exponuntur in Annalibus Bertinianis, cum Diabolicis septem Capitulis, quæ vna cum Præfatione Guntharius per Hilduinum fratrem suum Clericum (eum fortè qui Cameracensis Ecclesiæ sedem paulo antè inuaserat, vt docent multæ apud Sirmondum eâ de re Nicolai Epistolæ) domno Apostolico misit, dans illi in mandatis, vt si Apostolicus illa nollet recipere, super corpus B. Petri ea iactaret. Idem verò Guntharius in ipsa*

Cœnâ Domini Coloniam veniens Missas celebrare, & sacrum Chrisma conficere, vt homo sine Deo præsumpsit, Theutgaudo, sicut ei præceptum fuerat à ministerio reuerenter abstinente. Lotharius satagentibus sui regni Episcopis, electo è suâ sede infami Gunthario, per Gundulfi villam & Romerici montem obuiam fratri suo Ludouico ad locum qui Vrba dicitur vadit. Notanda Auctoris verba quæ Chifletij iugulum petunt: Cæteris Episcopis apud Lotharium id satagentibus, Episcopatum à Gunthario Lotharius tulit, & suo tantùm consilio HVGONI Conradi Caroli Calui Regis auunculi, & materteræ suæ, id est amitæ, filio, tonsura Clerico, & ordinatione tantummodo Subdiacono, moribus autem & vita à fideli Laico discrepanti donauit, *&c. Carolus Calendis Iunij Pistis generale Placitum habet, in quo annua dona ac censum de Britanniâ à Salomone Duce sibi directum more prædecessorum suorum quinquaginta scilicet libras argenti recipit, & firmitates in Sequanâ, ne Normanni possent ascendere, ibidem fieri iubet: capitula etiam more progenitorum suorum Regum constituit, & vt legalia per omne Regnum suum seruari præcepit. Pippinus Apostata à Normannorum collegio ingeniosè ab Aquitanis abstractus, in eodem Placito Regi præsentatur, omniúmque iudicio, vt patriæ & Christianitatis proditor capitali sententia damnatus Siluanecti arctissimæ custodiæ mancipatur. Nicolaus Papa denuò Epistolas mittit ad Episcopos pro confirmatione depositionis Theutgaudi atque Guntharij, Franconi, Aduentio, cæteríque Episcopis regni Lotharij indulgentiam largitur, & Concilium conuocat Romæ circa Kalendas Nouembris, quod tamen in sequentem annum dilatum fuisse videtur. Interim Hucbertus Clericus coniugatus & Abbas S. Martini sanctique Mauritij, quem Maurienn[illegible]m Comitum fontem quidam suspicantur, Buuini apud Caroli-locum sepulti & Albuini frater, ab hominibus Ludouici Imperatoris occiditur: Cuius sorori Theotbergæ Auennacum monasterium donat Carolus, & Abbatiam S. Martini Ingeluuino Diacono palatij sui committit. Rodbertus verò Comes Andegauensis duos Normannorum cuneos, qui in Ligeri fluuio residebant, multis occisis profligat. Atque hæc strictim excerpta ex Annalibus Bertinianis. Fuldenses enim, & ex iis Hermannus ac Regino Ludouicum & Carolum fratres apud Dusiacum villam fœdus iniisse asserunt mense Septembri, & in Guntharium paulò, quàm par sit, benigniores videntur. Videsis Epistolas Nicolai Papæ, & Tomum III. Conciliorum Galliæ, vbi pagina 235. edita est integra eiusdem Papæ Epistola ad Rodulfum Archiepiscopum Bituricensem, quâ respondet eius literis & consultis. Illustrem eius perico-*

pen Gratianus in cap. Conqueſtus 9. quæſt. 3. retulit, & Iuo Carnotenſis ſæpiuſculè inculcauit, in quâ Archiepiſcopi Narbonenſis Clericos pro cauſis, quæ apud ſe terminari non poſſunt, ad Bituricenſem Archiepiſcopum, quaſi ad Patriarcham ſuum, prouocare per appellationes poſſe decernitur. Tranſlatio ſanctæ Fauſtæ Martyris Virginíſque facta hoc anno ex territorio Fidenciaco in Vvaſconia ad Solemniacenſe monaſterium, ſatagente Arnaldo Duce Vvaſconiæ, qui auunculo ſuo Sanctioni in principatum ſucceſſerat. Vide pag. 400. Tomi II. Coll. Quercetanæ. Tranſlatum quoque hoc anno corpus ſanctæ Reginæ Virginis, & martyris apud Flauiniacum in Burgundiâ præſidente loco Egilo Abbate, poſtmodum Senonenſi Archiepiſcopo, docet Chronicon Hugonis Abbatis Flauiniacenſis, quod ſub prælo eſt, deſcriptum ex MS. codice Collegij noſtri. Celebratæ ſunt eodem anno menſe circiter Maio, poſt obitum Theoderici Ep. Cameracenſis, iuſſu Caroli Regis Antiſſiodori nuptiæ inter Iudithan & Balduinum Ferreum eius raptorem, quantum colligi poteſt ex epiſtola Hincmari ad Nicolaum Papam, qui Romæ Legatos quos C P. ante 4. annos in cauſa S. Ignatij miſerat, quòd prænaricati fuiſſent, Epiſcopatu deiecit, & communione priuauit. Roſſi Tauri montis qua parte Septentriones ſpectat incolæ claſſe deuecti adſitas Euxino Ponto Prouincias ac Thraciam deprædantur, ex Cedreno, Zonarâ, & ſimilibus.

Anno Chriſti DCCCLXV. *Caroli 25. Normanni reſidentes in Ligeri ſecundo vento per eundem fluuium vſque ad monaſterium ſancti Benedicti, quod dicitur Floriacus nauigant, quo incenſo quùm redirent, Aurelianenſem vrbem & monaſteria vicina igne tremant, præter Eccleſiam ſanctæ Crucis, quam flamma, licet inde multùm laboratum à Normannis fuerit, vorare non potuit. Carolus Rex, poſt colloquium cum Ludouico fratre in villâ Tuſiaco menſe Februario de rebus ad Lotharium ſpectantibus habitum, per Attiniacum venit Siluiacum, vbi celebrato Dominico Paſchate Vernum profectus, Epiſcopos, cæteroſque Aquitaniæ Primores ibidem obuius ſuſcepit, ad quorum multam petitionem filium ſuum Carolum, necdum benè ſpaſſatum, in Aquitaniam cum Regio nomine ac poteſtate redire permittit. Arſenius Romani Pontificis Nicolai Legatus ad Reges miſſus circa medium Iulium menſem, in Attiniaco palatio, Carolo, Papæ literas honorificè tradidit, & Rothadum canonicè (verba ſunt Auctoris) à quinque Prouinciarum Epiſcopis deiectum, & à Papa non regulariter, ſed potentialiter reſtitutum ſecum reducens, eidem præſentauit. Tum in die Aſſumptionis ſanctæ* MARIÆ *in Gundulfi villa, Miſſas celebrat, Lotha-*

rio & Theotbergâ post mutuam reconciliationem Regio cultu paratis & coronatis. Carolus Ludouico filio in Neustriam ablegato Comitatum Andegauensem, Abbatiam Maioris-monasterij, & quasdam villas; Rodberto autem, qui Marchio in Andegauo fuerat, cum aliis honoribus, quos habebat, Comitatus Antisiodorensem & Niuernensem adtribuit. Ludouicus & Carolus fratres mutuis Coloniæ fruuntur colloquiis: inde Ludouicus Vormatiam, Carolus Carisiacum petit, cui nuntiatur in viâ Normannos die XIII. Cal. Nouembres monasterium sancti Dionysij expilasse. Alij quoque ex iis Pictauum incenderunt, alij commixti Britonibus Cenomanensem vrbem, alij Carnotensem agrum deprædati sunt, quidam etiam interfecti, tum à Rotberto, tum ab Aquitanis, ad Carentoni ripas. Lotharius Caroli Regis filius puer bonæ indolis, & iam Abbas monasterij sancti Germani exeunte hoc anno immaturâ morte præreptus est. Annales Bertiniani Fuldenses ac Metenses, (qui hoc in loco moras trahunt, & de Ingeltrude filia Matfridi Comitis & vxore Bosonis plura admiscent) Chronicon Normannicum, Hermannus, Regino, Sigebertus, Ado, qui tamen Lotharij mortem ad sequentem annum videtur differre. Concilium Romanum à Nicolao Papa celebratum est XII. Calendas Februarias die natali sanctæ Agnes in ipsius virginis Basilicâ foris muros Vrbis via Nomentanâ, in quo Rotadus Suessionum Episcopus in pristinum honorem restitutus est, vt pluribus persequitur Anastasius in Vitâ Nicolai Papæ. Legenda quoque, libellus proclamationis Rothadi, Sermo Pontificis, cæteráque Acta illius Concilij apud Sirmondum, frequentésque Nicolai eâ de re Epistolæ. Rodulfus Fuldensis Abbas vir eruditus obiit 6. Ianuarij. Obiit quoque S. Ansgarius Hamburgensis Episcopus die tertio mensis Februarij. Sebastianus Salmanticensis à temporibus Pelagij Regis Hispanicam scripsit Historiam vsque ad Ordonij I. Regis obitum æra 903. Ludouicus II. Imperator Campaniam, & Neapolitanum agrum vastantes Saracenos repellit, & Bario inclusos obsidet, teste Leone Ostiensi. Missam à Michaële Græcorum Imp. ad Barbaros Legationem, datásque ad Nicolaum Papam blasphemiæ furorisque plenas litteras exhibet Baronius.

Anno Christi DCCCLXVI. *Caroli 26. Lotharius Rex oblitus iuramenti rursum cum Vualdrada concubina ab Italiâ reuocata coniungitur, ideóque ipsam excommunicat die sancto Purificatæ Virginis Nicolaus Papa, & Lothario graues intentat minas. Nordmanni vs-*

que ad Milidunense castrum per Sequanæ alueum ascendunt, & è nauibus egressi Francos, quibus præerant Rodbertus & Odo, sine conflictu in fugam mittunt, multáque prædas conuectant in Insulam secus monasterium sancti Dionysij, vnde pactâ cum Carolo Rege ingentis pecuniæ pensitatione mense Iulio digressi mare intrant. Carolus Rodberto Comiti Abbatiam S. Martini ab Ingiluino ablatam; Ludouico autem filio suo Comitatum Augustodunensem à Bernardo Bernardi filio occupatum donat. Idem Rex peracto in villâ quadam Abbatiæ S. Quintini cum Lothario nepote colloquio mense Augusto Suessionas venit, vt Synodo à Nicolao Papa conuocatæ consideret, in quâ Vulfadi & collegarum eius Ecclesiæ Remensis clericorum, qui ab Ebbone olim ordinati ante aliquot annos in eadem Suessionum vrbe ab Hincmaro fuerant depositi, causa iterum ventilata eiusdem Hincmari astu Apostolicæ Sedi reseruata est, quod minimè placuisse Nicolao Papæ testantur de eâ scriptæ ab illo Epistolæ. Quibus ita dispositis Carolus Rex Bituricensem Metropolim, nuper defuncto Radulfo Archiepiscopo, ante causæ definitionem, arbitratu suo Vulfado commisit, & antequam ab eadem recederent vrbe, petiit, vt vxorem suam Hermintrudem Episcopi in Reginam sacrarent, coronámque illi in basilicâ S. Medardi imponerent. Inde Attiniaci cum Lothario nepote colloquutus, Egilonem Senensem Archiepiscopum ad Nicolaum Papam destinat. Lotharius verò Adonem Viennensem Archiepiscopum. Post hæc Carolus ad consignandam Bituricensem Metropolim Vulfado filium suum Carolomannum Abbatem monasterij S. Medardi transmittit, cuius opera factum est, vt mense Septembrio ab Aldone Lemouicensi, aliísque Episcopis Vulfadus ordinaretur. Interim Carolus Aquitanorum Rex plagâ, quam in capite ante aliquot annos acceperat, diu vexatus, tandem tertio Calendas Octobris in quadam villâ secus Bosenciacas moritur, & à Carolomanno fratre suo atque à Vulfado in Ecclesiâ S. Sulpitij apud Biturigum sepelitur. Ruodulfus quoque Iuditha frater ac Caroli Regis auunculus hoc anno passione colerâ mortuus est. Rodbertus verò Comes, qui Marcam tenebat, alter illius æui Machabæus, conserto cum Normannis prælio, qui Britonibus iuncti erant, & Ducem sequebantur Hastingum, in loco Briserta dicto, haud procul Cenomanensi ciuitate, fortiter sed incautiùs abiectis ob nimium calorem galea & loricâ dimicans occiditur. Ranulfus Dux Aquitanicus seu Comes Pictauensis lethaliter in eodem certamine vulneratur: quorum hic Abbatiam sancti Hilarij, ille S. Martini Abbatiam possidere præsumpserat. Nec multo pòst interiecto tempore Hugo Abbas, Chonradi & Adelaidis filius, Comitatu Andegauensi & Ab-

batia S. Martini, aliíſque à conſanguineo Rege donatus in locum Rodberti, cuius ex eadem Adelaide filij Odo & Rodbertus prædicti Hugonis Abbatis fratres vterini, adhuc paruuli erant, ſubrogatus eſt, vir omni morum honeſtate fundatus. Carolus per Remorum ciuitatem Metenſium partes aggreditur, & vſque Virdunum peruenit, vbi receptis Ludouici fratris nunciis, & fruſtra præſtolatus aduentum nepotis Lotharij qui apud Treuerim cum ſui regni Epiſcopis ſatagebat, vt iterum Theotberga falſo ſe crimine inſimularet, eadem quâ perrexerat viâ, Remos ac Compendium rediit, vbi Natiuitatem Domini celebrauit. Annales Bertiniani, Metenſes, Fuldenſes, Chronica Floriacenſe, Normannicum, Adonis, Sigeberti, Hermanni, qui tamen in minutis pleriſque loci temporiſque circumſtantiis non omnino conueniunt. Emeno Turpionis frater Engoliſmæ Comes cum Landrico Santonico Comite confligit, & occiſo Landrico ſaucius in caſtrum Ranconiam deducitur, & die octauo moritur ſepultúſque eſt iuxta baſilicam B. Eparchij, relicto paruulo filio nomine Ademaro, vt diſcimus ex Chronico Malleacenſi quod addit Carolum Regem iis auditis Vulgrinum propinquum ſuum fratrem Aldoini Abbatis præfeciſſe Engoliſmæ, & Petracoricæ, & Olibam ſtatuiſſe in Epiſcopatu Engoliſmæ. Concilium Sueſſionenſe III. die XV. Kalendas Septembres celebratum fuiſſe docebit te Sirmondus noſter Tomo III. Conciliorum Galliæ, vbi præter Acta, quæ ad eamdem Synodum pertinent, Epiſtolam habes de Britonum infeſtationibus, Priuilegium monaſterio Solemniacenſi conceſſum, & ab Epiſcopis ſubſcriptum, ex autographo quòd extabat apud Reuerendiſſimum Epiſcopum Vaſatenſem poſtea Archiepiſcopum Arelatenſem eiuſdem monaſterij Abbatem, necnon Nicolai Papæ varias Epiſtolas menſe Decembri datas inchoata iam Indictione XV. Radulphus ſanctiſſimus Biturigum Patriarcha XI. Calendas Iulij vitâ ceſſit, quem Aquitanorum Archiepiſcopum ἁπλῶς ac ſine additamento vocant Ado, qui tunc viuebat, & extremam pænè Chronico ſuo manum imponebat, Chronicon Floriacenſe, & Annales S. Bertini, quorum Auctor Hincmaro plurimùm addictus in ſummum Pontificem, & Vulfadum, eiúſque collegas infenſior eſt. Succeſſit Radulfo Vulfadus ordine XXXXVIII. Biturigum Antiſtes ad annos nouem, & dies duodecim, qui ab hoc ipſo anno inchoandi ſunt, vt præter citatos auctores manifeſtè edocent Epiſtolæ Caroli Regis ac Nicolai Papæ ante Calendas Septembres datæ, nondum finita Indictione XIV. Vide Appendicem Sirmondi ad Tomum III. Conciliorum Galliæ pagina 617. ac præcedentibus. Bardas Cæſar in affectatæ tyrannidis ſuſpicionem adductus iuſſu Imp. Michaelis in Phrygiâ prope

Mæandri ostia occiditur Kal. Aprilis, & Basilius Macedo Cæsareâ dignitate ornatur die sacra Pentecostes 26. Maij, vt docent Græci scriptores. Michaël Bulgarorum Rex missis ad Nicolaum Papam legatis impetrat duos Episcopos cum aliis Clericis, qui Christi religionem doceant. Consule Epistolas ac Responsa eiusdem Nicolai ad Consultationes Bulgarorum, & Baronij Annales. Edelberto Regi Westsaxonum succedit Edelredus frater ad annos quinque, quem Willelmus Malmesburiensis aliíque referunt intra quinquennium, quo regnauit in Anglia, de Danis nouies reportasse victoriam. Melius tamen differemus in annum sequentem.

Anno Christi DCCCLXVII. *Caroli Calui* 27. *Ludouicus Abbas monasterij S. Dionysij & Caroli Magni ex filia maiore natu Rotrude nepos V. Idus Ianuarij obiit, quam Abbatiam Carolus Rex sibi retinuit, & circa mediam Quadragesimam super Ligerim fluuium ad villam, quæ Bellus Pauliacus dicitur, perrexit, vbi primores Aquitaniorum sibi obuiam accersiuit, & filium suum Ludouicum iisdem Regem præfecit. Inde reuersus, Pascha Domini in monasterio S. Dionysij celebrauit: Deinde pergens Metas ad colloquium fratris sui Ludouici Germaniæ Regis XIII. Calendas Iunij obuium habuit in palatio Salmuntiaco Egilonem Senonensem Archiepiscopum, cum Epistolis Nicolai Papæ de restitutione Clericorum Remensis Ecclesiæ. Attulit etiam literas prædicti Papæ ad Lotharium, & Episcopos regni eius de causâ vxorum eius. Quas Carolus Lothario sibi obuiam ad Attiniacum palatium venienti ex parte ipsius Apostolici dedit. Kalendis Augusti Placitum in Carnutum ciuitate condixerat in Britanniam super Salomonem Ducem Britonum perrecturus, sed missus à Salomone Pasuuithem gener eius, ita Compendij sedauit animum Regis, vt ipsi tamquam Vicario Salomonis Comitatum Constantini cum omnibus fiscis, villis, & Abbatiis, excepto Episcopatu, donaret, & ab eo vicissim fidelitatis & pacis Sacramentum susceperit. Quo patrato negotio Carolus Synodum sex Prouinciarum apud Trecas VIII. Calendas Nouembris auctoritate Nicolai Papæ indicit, ex quâ, qui præcedenti anno apud Suessiones conuenerant Episcopi, Synodicam ad Nicolaum Papam miserunt Epistolam, expositáque totâ Ebbonis, ordinatorúmque ab eo Clericorum historiâ pallium pro Vulfado petierunt. Idem quoque suis literis efflagitauit Carolus Rex, in quibus inter cætera acceleratam Vulfadi promotionem excusat his verbis.* Et quia in eodem regnò (Aquitaniæ) magna paganorum persecutio grassabatur, quos

misericors Dominus per filium nostrum & fideles sæpè prostrauit, & eâ occasione non minor malorum Christianorum infestatio latiùs efferuebat, sicut hic nostrorum apicum gerulus (Actardus Namneticæ ciuitatis quondam Episcopus à Nortmannis Britonibúsque eiectus) viua voce vobis indicare potest, ipsâ vrgente necessitate ipsius regni excitati Episcopi, ne maiora mala supercrescerent, & præsentia sedarentur, & quoniam illius regionis sedes illa principatum obtinet, vt eius prudentiâ & vigore, auctoritate etiam sedis freti, faciliùs mala exorta compescerent, tempori consulentes eius ordinationem maturauerunt, &c. *Actardus Romam veniens Hadrianum in Apostolicâ sede iam ordinatum inuenit: mortuus enim est Idibus Nouembris Nicolaus Papa sanctissimus, magníque vir animi, cui suffectus est XII. Cal. Decembris Hadrianus II. ad annos quinque dies XII. Hic initio sequentis anni scripsit Epistolas ad Synodum Tricassinam, ad Carolum Regem, Hincmarum Remensem, Herardum Turonensem, Actardum Namnetensem, Ludouicum & Lotharium Reges, Vvaldradam,* &c. *quas curiosis suggeret Tomus III. Conciliorum Galliæ. Interim Carolus Rex Comitatum Bituricum absque culpæ vllius reputatione à Gerardo Comite abstulit, dedítque Acfrido cuidam, à quo Abbatiam sancti Hilarij cum aliis plurimis honorabilibus beneficiis habente non modica exenia susceperat; quem Comitatum, quùm ille super Gerardum euindicare non valeret, Carolus Rex per ciuitatem Remorum transiens Trecas venit, indéque Antisiodorum adiit, vbi Natiuitatem Domini celebrauit. Auditáque Acfridi morte, quem Gerardi Comitis homines in quadam villâ firmissimâ captum decollato capite in ignem coniecerant, transmisso ad Bellum-Pauliacum Ligéri, in pagum Bituricum ingressus, omnia hostilem in modum deuastat; neque tamen Gerardum fautorésque eius expellere potuit, Abbatiam sancti Hilarij Frotario Burdegalensi Archiepiscopo concedit, honoréque paternos à filiis Rodberti, & Ramnulfi ablatos aliis adtribuit. Sed hæc initio sequentis anni peracta sunt. Annales Bertiniani, Fuldenses, Metenses, Hermannus,* qui malè mortem Nicolai differt in mensem Maium consequentis anni. Egbertus seu Edelredus Anglorum Rex constituitur die 21. Martij feria 6. ante Dominicam Palmarum, occiso à Danis qui in Anglia hiemarant, & Eboracensem agrum populati fuerant, eius decessore. Michael Imp. Orientis Porphyrogenitus, siue Potor & Scurra vulgò dictus, cùm Basilium Cæsarem necare statuisset, eius factione occi-

sus

sus est die 23. aut 24. Septembris Indictione prima iam inchoata, postquam regnasset ab obitu patris annos viginti-quinque cum mensibus 8. Dalmatiam vexant Saraceni ex Africa aduecti.

Anno Christi DCCCLXVIII. *Caroli Calui* 28. *Post Pascha in monasterio sancti Dionysij celebratum Carolus Rex, eiúsque regni Episcopi, literas ab Adriano Papa missas Actardo aliísque deferentibus suscepere. Normanni per Ligerim ascendentes Aurelianos perueniunt, & acceptâ prædâ impunè ad suum diuersorium redeunt. Carolus in Hincmarum Laudunensem Episcopum grauiter succensens, quòd relicto Ecclesiastico iudicio, vt ipse iusserat, ad sæculare iudicium aduocatum suum dare noluisset, facultates eius omnes proscripsit: vnde Hincmarus Remensis apud Pistas medio mense Augusto in Generali placito Regem adiit, verbis & scriptis ostendens, quantum præiudicium Episcopalis auctoritas, & vniuersalis Ecclesia in tali facto pateretur; obtinuítque, vt Episcopus ille iis, quibus fuerat spoliatus, reuestitus, sicut sacræ Leges præcipiunt, in Prouinciâ, vbi hæc causa iudicanda erat, electorum Iudicum iudicio, & si necesse foret, post hoc Synodali terminaretur examine. In eodem placito idem Rex Marchiones Bernardum Tolosæ, Bernardum Gothiæ, aliúmque Bernardum suscepit. Pictauenses vota facientes Deo, & sancto Hilario, Normannos tertiò fuerunt aggressi, quorum plures occiderunt, ceteros verò in fugam miserunt, & de præda omni decimam sancto Hilario contulerunt. Carolus Rex post venationem in Audriacâ villâ peractam Calendis Decembris Carisiacum veniens quosdam Primores, tam ex Episcopis, quàm ex aliis regni sui obuiam sibi accersiuit, commotus contra Hincmarum Laudunensem Episcopum, quia Romam sine illius conscientia miserat, epistolas pro quibus non conuenerat, obtinuerat, quin & euocatus sæpè venire distulerat, & ad sedem suam sine Regis licentia contumaciter peruenerat. Annales Bertiniani hæc aliáque plura nobis suppeditarunt: quæ fusiùs exponuntur in obseruationibus R. P. Ludouici Cellotij ad Concilium Duziacense II. ex Bibliotheca Petauiana nunc primùm in lucem emissum. Hoc & sequenti anno Odo Abbas Fossatensis scribebat libellum de translatione sancti Mauri ex Glannafolio in Monasterium Fossatense iussu Caroli Regis facta, vide paginam 410. & 417. Tomi III. Collectionis Ducheſnianæ, & Antiquitates Parisinas Iacobi Du Breul Monachi sancti Germani Pratensis, necnon Chronicon Turonense, Sigebertum, &c. Benedictinus Anonymus in Historiâ MS. Bituricensium Præsulum in hunc annum confert prædictam à sancto*

Iacobo Eremitâ, qui Saciaci haud procul Capellâ Gilonis habitauerat, Bituricensium finium à Normannis vastationem, de quâ loquutos arbitror Auctorem Vitæ S. Genulphi lib. 2. cap. 18. Adreualdum de Miraculis S. Benedicti, Vvillelmum Gemeticensem, & Tortarium in Carmine de Translatione sancti Mauri Martyris in monasterium Floriacense, quorum plerique Auaricum caput Regni Aquitanici appellant. Saraceni ab oppugnatione Ragusij in Dalmatiâ missâ à Basilio Imp. centum nauium classe repelluntur, in Calabriam, aduersus quos Ludouicus Imp. fratrem suum Lotharium ex Gallia euocauit ad opem ferendam. Romæ coram Legatis ab Imperatore Græcorum Basilio Macedone missis, Photius schismatis auctor, & rebellionis aduersus Rom. Pontificem, damnatus est, eiúsque libri aduersus Nicolaum atque Ignatium concremati. Dani hoc & seq. anno plurimas Britanniæ prouincias deprædantur.

Anno Christi DCCCLXIX. *Regni sui 29. Carolus Rex celebratâ Compendij Dominica Natiuitate scaram ex quamplurimis Comitibus Regni sui confectam Laudunum misit, vt Hincmarum illius loci Episcopum, qui sæpè etiam per alios Episcopos euocatus ad Regem venire detrectauerat, ad eum violenter perducerent, quod tamen perfectum non est, vnde Carolus valdè commotus Synodum omnium Episcoporum Regni sui VIII. Kalendas Maij secundæ Indictionis apud Vermeriam condixit, quo eundem Hincmarum Episcopum vocari præcepit. Interim ad Conadam vsque vicum profectus Aquitanos quosdam obuios habuit, frustráque expectatis tribus Bernardis Markionibus, quartâ feria ante initium Quadragesimæ ad S. Dionysij monasterium perrexit, ibíque Ieiunium & Pascha Domini celebrauit, ac castellum in gyro ipsius Monasterij ex ligno, & lapide conficere cœpit. Iter Romanum à Lothario Rege susceptum huius anni Iunio mense enucleatè præ cæteris describit Auctor Annalium Bertinianorum, ex quibus Aimoini Continuator similiter Anonymus mutuatus est ea, quæ apud eum leguntur à capite 21. libri quinti vsque ad caput 41. paucis dumtaxat exceptis. Nos præcipua pro more tantùm decerpemus. Lotharius cum Engelbergâ Ludouici Imperatoris vxore ad Monasterium sancti Benedicti, quod in Monte Cassino situm est, profectus, ab Hadriano Papâ, qui eò conuenerat, obtinuit, vt idem Papa illi Missam cantauerit Calendis Iulij, & sacram communionem hac conuenientiâ ei donauerit; Si postquam Nicolaus Papa Vvaldradam excommunicauit nullum cum eâ contubernium habuerit: ipse autem infelix*

more Iudæ simulatâ bonâ conscientiâ, & impudenti fronte eandem sacram Communionem sub hac conuentione accipere non pertimuit. Sed & sui fautores cum eo ab ipso Papâ percepere Communionem, inter quos & Guntharius auctor, & incentor huius publici adulterij communionem inter Laicos ab eodem Papâ accepit. His peractis, Engelberga ad Imperatorem, Hadrianus Papa Romam reuersus est, quem è vestigio Lotharius est prosecutus, indéque lætus promouens Lucam vsque Thusciæ ciuitatem venit, vbi febre correptus grassante clade in suos, quos coram se coaceruatim mori conspiciebat, Placentiam VIII. Idus Augusti peruenit, ibíque Dominica die superdiurnans, in crastino horâ diei secundâ moritur, & à paucis suorum, qui à clade remanserant, in quodam monasteriolo in Ecclesia sancti Antonini martyris secus ipsam ciuitatem terræ mandatur. Quo Siluanecti audito, Carolus Rex Viridunum properat, vbi cum Hattone illius ciuitatis Episcopo, & Arnulfo Tullensi Præsule, plurimos de Regno Lotharij sibi se commendantes suscepit, indéque Nonis Septembris Metas veniens cum Hincmaro Remensi aliísque Regni sui Episcopis, & Primatibus Aduentium ipsius ciuitatis Præsulem, & Franconem Tungrensem seu Leodiensem Episcopum cum multis aliis in suâ commendatione suscepit, sícque quinto Idus eiusdem mensis die Veneris in Ecclesiâ sancti Stephani Martyris coram Episcopis aliísque, qui conuenerant, ab Aduentio diademate Regio coronatus, & in regnum sublimatus est. Tum peractâ in Arduennæ saltibus venatione Aquisgranum, quòd sedes regni videretur, venit, vbi multò plures ad eum confluxerunt. Carebant eâ tempestate Pontificibus vrbs Treuerorum, & Colonia Agrippinensis, Theutgaudo, & Gunthario ab hac luce in Italiâ subtractis, ideóque Rex Treuiris Bertulfum Aduentij nepotem, Coloniæ verò Hilduinum Abbatem præficere tentauit. Luitbertus verò Mogontiacensis Episcopus Vvilibertum in Diuza castro Colonienſem ordinauit Episcopum, tum à Ludouico Rege missus cum Altfrido Saxone Episcopo persuasit Carolo vt à Lotharij regno recederet, & in suum se reciperet, quod tamen anno dumtaxat sequenti perfectum est, & Rotlandus Arelatensis Episcopus, qui paulò ante ab Imperatore Ludouico non vacuâ manu Abbatiam sancti Cæsarij adeptus fuerat, à Saracenis in Camariâ insula captus, in eorum nauibus moritur XIII. Calendas Octobris. Iidem Saraceni Ecclesiam sancti Michaëlis in monte Gargano deprædati sunt. Carolus cùm in villâ Dusiaco certò comperisset obiisse Hermintrudem coniugem suam, pridie Nonas Octobris in monasterio sancti Dionysij, vbi & sepulta est, sororem Bosonis filij Buuini quondam Comitis, nomine Richildem, mox sibi addu-

ci fecit, & in concubinam accepit. Cætera, qui volet, petat ex Annalibus Bertinianis, Metensibus ac Fuldensibus, Chronico Sangallensi, Hermanno, Adone, Sigeberto, Reginone, Aimoini Continuatore, Capitularibus Caroli Calui, libris vtriusque Hincmari patrui ac nepotis, Epistolis Adriani Papæ apud Binium ac Sirmondum, qui etiam ex Codice Anitiensi tres de ordinatione Bernarij Gratianopolitani Episcopi epistolas ad Adonem Viennensem Archiepiscopum vulgauit. Basilius Imp. Orientis susceptâ in Saracenos expeditione Euphratem transiit, Samosata aliásque vrbes cepit, & cum ingenti prædâ reuersus est. Actio prima VIII. Oecumenicæ Synodi quæ I. V. C P. dici solet, celebrata est aduersus Photium Pseudo-Patriarcham die 5. Octobris feria 4. Indictione 3. Basilij anno 3. cuius filius Leo, qui postea imperauit, in consortium imperij à patre in natalitiis Christi assumptus est, ideóque Actio nona eiusdem Synodi die 12. Februarij anni seq. habita rectè consignatur anno Basilij, & Constantini tertio, Leonis verò primo. Barium in Calabria quarto tandem obsidionis anno expugnatum fuit atque subuersum, cùm Ludouico suppetias aduenissent missa à Basilio plurium nauium classis.

Anno Christi DCCCLXX. *Regni sui* 30. *Carolus in die festiuitatis Septuagesimæ Richildem desponsatam atque dotatam in coniugem sumpsit Aquisgrani, & Ludouici fratris sui nuncios duodecim pro diuisione regni Lothariensis suscepit Compendij, seu potius Attiniaci. Interim Hincmarus Laudunensis Episcopus, vt se ab obiectis criminibus expediret, in Synodo Attiniacensi Episcoporum decem Prouinciarum libellum propriâ manu subscriptum porrexit hæc continentem.* Ego Hincmarus Ecclesiæ Laudunensis Episcopus amodò & deinceps domno Seniori meo Carolo Regi fidelis, & obediens ero secundum ministerium meum, sicut homo suo Seniori, & Episcopus quilibet suo Regi esse debet, ac priuilegio Hincmari Metropolitani Prouinciæ Remorum Ecclesiæ secundùm sacros Canones & decreta Sedis Apostolicæ promulgata pro scire, & posse me obedire velle profiteor. *Carolomannus ob paratas patri insidias, Abbatiis, quas plurimas habebat, priuatus, in Siluanectensi ciuitate custodiæ mancipatus est. Quinto Kalendas Augusti diuisio Lothariensis Regni in meditullio Heristallij palatij, & Marsnæ prope Aquisgranum (alias in Procaspide super fluuium Mosam VI. Idus Augusti) peracta tandem est inter Ludouicum, & Carolum fratres Reges, quorum hic per Liptinas, monasterium sancti Quintini,*

Siluacum, Cariſiacum, ac Compendium veniens, autumnalem venationem in Cotiæ ſaltu exercuit: tum ad monaſterium ſancti Dionyſij feſtiuitatem eiuſdem ſancti celebraturus perrexit, inde Remos Lugdunúmque venit, vbi Carolomannus paulò ante è Si'uanectenſi cuſtodiâ abſolutus noctu ſe ſubduxit è conſpectu patris, congregatíſque pluribus ſatellitibus ac filiis Belial, Belgicam Prouinciam depopulatus eſt. Non tamen ab incepto deſtitit Carolus, ſed Viennam, in quâ Berta Gerardi vxor erat, obſeſſurus quantocyus adiit, conciliatíſque ſibi ciuibus, & Gerardo, quem vxor è proximâ arce vocauerat, conſentiente, in ipsâ Natiuitatis Domini Vigiliâ vrbem ingreſſus eſt, permißóque abſcedere per Rhodanum Gerardo cum vxore, & mobilibus ſuis, ipſam Viennam Boſoni fratri vxoris ſuæ commiſit. Annales Bertiniani, Fuldenſes, qui VI. die Cal. Octobris habitam Coloniæ Synodum memorant à Luitberto Moguntino, Bertulfo Treuirenſi, & Vvilliberto Agrippinenſi Metropolitanis iuſſu Ludouici Regis, Metenſes qui plura de Carolomanno referunt, Continuator Aimoini lib. 5. cap. 24. Flodoardus lib. 3. cap. 21. Hincmarus Remenſis Tom. II. pagg. 350. 604. 644. eiúſque nepos Laudunenſis in Apologeticâ epiſtolâ, Capitularia Caroli Calui, Hermannus, Sigebertus, Regino, &c. Finito Concilio VIII. aduerſus Photium atque Iconomachos Legati Pontificis in reditu intercipiuntur à Sclauis, & anno tandem ſequenti Romam reuertuntur. Photius iuſſu Baſilij Imp. paullo poſt exulaſſe dicitur. In locum Raſtici Sclaui ob fœdus ſæpè perfractum à Francis damnati ſubrogatur nepos eius Zuendeboldus, qui paullo poſt ſuſpectus in cuſtodiam miſſus eſt, à qua ſeq. anno datis obſidibus liber euolauit regnúmque recuperauit. Saraceni capiunt Anconam, & à Duce Veneto profligantur. Græcos vſos tum primùm in Templis ferunt campanis æneis, quas Veneti ad Baſilium Græcorum Imperatorem miſerunt. Vide Blondum, Sabellicum, ſimiléſque Italos. Edmundus Anglorum Rex à Danis prœlio victus, atque ex Eccleſia, ad quam ſe receperat, eductus, iaculíſque ad arborem confixus eſt die 20. Nouembris feria 2. Luna 22. vt notat Willelmus Weſtmonaſterienſis; qui de Monialibus in Scotia ab iiſdem Barbaris cum monaſterio ſuo crematis cum laude meminit.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCLXXI. *Caroli Calui* 31. *Carolomannus audito patris in Franciam reditu Moſomum*

perrexit, missíque ad eum Legatis in partes Tullenses contendit. Excommunicati sunt rogatu Regis ab Episcopis perditi illi homines, qui Carolomannum sanctæ Ecclesiæ Diaconum furati, immunera cum co flagitia, & depopulationes in regno perpetrauerant, & insequente Francorum scarâ trans Iuram montem abire compulsi fuerant in Burgundiam. Carolus petentibus nepotibus suis Ludouici fratris sui filiis Ludouico & Carolo Viridunum venit, & cum iis collocutus in villam Buziacum vltra Mosam haud procul Mosomo ad Synodum properauit, in quâ Hincmarus Episcopus Laudunensis tertiùm accusatus Episcopali gradu deiectus est mense Augusto, inde in exilium missus ferro vinctus atque oculis cæcatus, & Acta Synodi ad Papam missa per Actardum, aliàs Namnetensem Episcopum, qui Pontificis auctoritate post mortem Herardi Ecclesiæ Turonensi incardinatus est. Interea Hugo Abbas monasterij sancti Martini, & Gozfridus cum ceteris trans-Sequanis incautè adeuntes insulam Ligeris, in quâ Normanni firmitatem suam habebant, cum maximo damno & mu'torum occisione vix euaserunt. Ludouicus & Carolus Reges secus Traiectum municipium ad colloquium veniunt circa Kalendas Septembris, quo peracto Carolus per Liptinas ad Audriacam villam venandi gratia se contulit, sparsóque de nece Ludouici Imperatoris nepotis sui à Beneuentanis cum vxore & filia interfecti falso rumore, per Rheitium ciuitatem pergens Vesontionem vsque peruenit, vbi Carolomannum filium conficta humilitate accedentem suscepit, rectóque itinere per Pontigonem, & Attiniacum vsque ad Siluacum venit, placitóque cum consiliariis habito, Carolomannum iterum Siluanectis custodiæ mancipauit, & eius complices sacramento suæ fidelitatis per singulos Comitatus constringi præcepit. Denique Compendij Natiuitatem Domini celebrauit. Annales Bertiniani, Fuldenses, Metenses, Libellus proclamationis Hincmari Laudunensis in Synodo Tricassinâ II. Epistolæ Hadriani Papæ apud Sirmondum, ex quo etiam docemur hoc eodem anno Ansegisum sancti Michaëlis Abbatem in Senonensem Archiepiscopum fuisse electum, & consecratum vide paginam 394. Tomi III. Conciliorum Galliæ. Ethelfredo ex vulnere in pugna aduersus Danos accepto paucis post Pascha diebus defuncto successit Alfredus ad annos 28. sunt qui in annum sequentem ista differant. Ludouicus Imperator insidiis Adalgisi Beneuentani, & Græcorum captus ad conditiones ignominiosas iureiurando firmandas compulsus est, vt Regino, aliíque docent. Quamobrem die sacra Pentecostes à Pontifice Romano anno sequenti coronatus sit idem Ludouicus,

non conuenit inter recentiores. Vide Baronium, Sigonium, alios. Zuendeboldus violata sacramenti fide, Carlomanni exercitum incautum cædit, multósque Duces capit, quos vt è vinculis liberaret, Carlomannus Sclauorum obsides omnes reddere coactus fuit. Basilius Græcorum Imperator Manichæos exagitat, & anno sequenti Saracenos in Oriente debellat.

Anno Christi DCCCLXXII. *Regni sui 32. Carolus Rex peracto Paschate in monasterio sancti Dionysij filio suo Ludouico Bosonem fratrem Richildis reginæ Camerarium, & ostiariorum Magistrum constituit, datísque illi honoribus Gerardi Comitis Bituricensis cum Bernardo, itémque cum alio Bernardo Marchione, in Aquitaniam misit, & dispositionem ipsius Regni ei commisit. Bernardo autem Tolosæ Comiti post præstita sacramenta Carcassonem & Rhedas concedens, Tolosam eundem ire iussit. Clusense cœnobium sancti Michaelis inceptum esse dicitur ab Auctore Chronici Malleacensis.* Ludouicus Imperator in vigilia Pentecostes die 19. Maij Romam venit, vbi postera die ab Hadriano Papâ coronatus Lotharingiæ Rex, vt quidam volunt, post celebrata Missarum solemnia vnà cum eo ad Lateranense Palatium cum pompa equitando coronatus perrexit. Caluisius anno præcedenti mendosè tribuit, cùm Pentecoste in diuersum à 20. Maij diem incurrerit. *Versabatur ad pontem Liudi in Burgundiâ Carolus, cùm ei nunciatum est ab hominibus Bernardi filij Bernardi, Bernardum, qui Vitellus cognominabatur, occisum fuisse: inde in Gundulfi villâ ad Mosellam habito placito venandi gratiâ Autumni tempore Arduennam petiit, tandémque in monasterio sancti Medardi Suessionis Natiuitatem Domini celebrauit.* Adriano Papâ II. Romæ Kalendis Nouembris defuncto, Ioannes VIII. in eius locum substitutus est XIX. Kal. Ianuarij ad annos decem & dies tres. *Annales Bertiniani, & ex iis Continuator Aimoini libro 5. capitibus 27. & 28. qui in quibusdam peccarunt, Capitularia Caroli Calui, in quibus V. Idus Septembris apud Gundulfi villam facta dicitur ab Episcopis omnibus professio, & à laicis sacramentum conceptis verbis iuratum, sed malè annus 873. adscribitur, vt iam insinuauimus in nostro Chronico Technico.* Ludouicus Saracenos victos in Calabriam primùm mox in Africam fugere compellit, Romámque reuersus iuramento soluitur à Romano Pontifice. Adalgisus hostis iudicatus ab exercitu Cæsareo pulsus in Corcyram secedit. Ludouicus Germaniæ

Rex cum Bohemis feliciter pugnat, Zuendeboldo interim cum suis Sclauis Bauariam populante. *Guill. Nangius in Chronico MS. asserit ad Ioannem VIII. Papam scriptam fuisse à Ioanne S. R. E. Diacono vitam S. Gregorij Papæ, eundemque Pontificem Ansegiso Senonensi Archiepiscopo caput S. Gregorij, & brachium S. Leonis Papæ contulisse, quas reliquias idem Ansegisus Senonis in Ecclesia S. Petri collocarit.*

Anno Christi DCCCLXXIII. *Caroli Calui* 33. *Episcopi duarum prouinciarum Senonensis ac Remensis Caroli Regis iussu congregati apud Siluanectum Carolomannum eius filium Ecclesiæ Meldensis Diaconum iteratâ ibidem custodiâ detentum ob varias grassationes, & perduellionem Diaconi gradu deiecerunt, laicæque communioni reddiderunt. At pater veritus, ne Episcopali iudicio depositus, à factiosis ardentiùs expeteretur, eductúmque è carcere filium constituerent sibi Regem, acclamatione omnium, qui adfuerunt, mitigata capitali sententiâ, luminibus iussit orbari, & in Corbeiense monasterium detrudi, vnde tamdem euulsus duorum monachorum opera consentiente Adalardo, ad Ludouicum Patruum Germaniæ Regem confugit, & ab eo Epternacensi Abbatiâ donatus, ibidem non multo post tempore mortuus sepultúsque est. In Francofortensi palatio circa Calendas Februarij Carolus, qui postea Crassus dictus est, Ludouici Regis Germaniæ filius à dæmone correptus est coram patre, pluribúsque Episcopis, & per varia sanctorum Martyrum loca deductus, tandem sanitati restitutus. Carolus ciuitatem Andegauensem, in quâ Normanni depopulatis vrbibus, euersis castellis, Monasteriis & Ecclesiis incensis, & agris in solitudinem redactis, diuturno iam tempore residebant, fortissimâ sepe circumdat, támque arctâ obsidione premit, Salomone cum suis Britonibus vltra Meduanam fluuium fixis tentoriis suppetias ferente, vt Normanni exire, & se illi commendare fuerint coacti. Quo tempore Rotbertus Cenomanicæ vrbis Episcopus in ægritudine validâ positus epistolam confessionis direxit Episcopis, qui circa muros Andegauenses cum Carolo Rege in obsidionem Normannorum residebant, petiítque ab iis absolui, quod & factum esse docet Tomus III. Conciliorum Galliæ. Carolus Normannis eiectis, relatísque in sua loca Sanctorum Albini & Licini, quæ timore infidelium effossa fuerant, corporibus, mense Octobri per Cenomanicam ciuitatem, & Ebroicense oppidum, ac secus Castellum nouum apud Pistas, tamdem Calendis Nouembris peruenit Ambianos, indéque apud Audriacam villam venationem exercens in monasterio sancti Vedasti Natiuitatem Domini celebrauit. Annales Bertiniani cum*

Aimoini

Aimoini Continuatore, Fuldenſes, Metenſes, Chronicon Turonicum, Regino, Hermannus, Sigebertus, Fragmentum ſancti Sergij Andegauenſis, &c. *De Synodo Cabillonenſi* 21. *Maij celebrata vide Sirmondum & Chronicum Technicum.* Baſilius Imp. Orientis Cæſaream Cappadociæ, plurimáſque alias ciuitates capit, & in reditu plurimos è captiuis, qui oneri erant, trucidauit: Alfonſus quoque Legionis Rex Saracenorum regionibus vaſtatis, multâ præda onuſtus ſub hiemem rediit. Dani Angliam vaſtant, iidémque irrumpentes in Scotiam Conſtantinum Regem fortiter eis reſiſtentem interfecerunt, cui Ethus in regno ſucceſſit.

Anno Chriſti DCCCLXXIV. *Caroli Calui* 34. *hiems aſperrima fuit, niue abſque vlla intermiſſione cadente à Kalendis Nouembribus vſque ad æquinoctium vernum: Æſtas quoque torrentiſſima. Carolus Rex in Purificatione B. Mariæ cum ſuis Conſiliariis placitum in Monaſterio ſancti Dionyſij peragens, ibidem Paſcha Dominicum celebrauit. Menſis dein Iunij die* 13. *Generale Placitum habitum fuit in villâ Duciaco, & Epiſcoporum Concilium aduerſus inceſta coniugia, & rerum Eccleſiaſticarum peruaſiones, vt patet tum ex Synodica Concilij ad Epiſcopos Aquitaniæ, tum ex eiuſdem definitione de Monacha, nomine Duda, ſacrilegè corrupta. Edita ſunt quoque ab Hincmaro in Synodo Remenſi Iulio menſe Capitula, quæ habes Tomo II. pag.* 732. *Carolus Rex inde per Attiniacum, & conſuetos manſaticos Compendium adiit: vbi certa relatione accepiſſe dicitur necem Salomonis Britonum Ducis, qui aliàs ſeniorem ſuum Heriſpogium in Eccleſia perſecutionem eius fugientem, & inuocantem Dominum ſuper altare occiderat. Is ergo ſuis inuiſus ſubditis, & ab iis in Monaſteriolo quodam circumuentus, traditus eſt Francis hominibus, Fulcaldo, & aliis, qui excæcatum occiderunt. Mortuis deinde Paſquitano & Vvrfando mirabilis audaciæ viro, Iudicael ex filia Heriſpogij natus & Alanus frater Paſquitani Britanniam inter ſe partiti ſunt. Ludouicus Germaniæ Rex in Italiam per Alpes Noricas profectus Veronæ cum Ludouico Imp. & Ioanne Papa collocutus rediit in Franciam, & ſecus Moſam cum fratre ſuo Carolo apud Hariſtallum circa Kalendas Decembris colloquium habuit. Carolus inde per Monaſterium ſancti Quintini rediens Natiuitatem Domini Compendij celebrauit: Ludouicus verò eadem Aquis peracta ad palatium Franconofurdenſe, vltra Rhenum rediit. Annales Bertiniani, Metenſes, Fuldenſes, qui referunt Ludouicum Pium Imp. poſt* 34. *annos in Purgatorio fuiſſe viſum.* Andreas Scytha Roma-

ni Dux exercitus à Basilio Imp. missus Tarsenses Saracenos ingenti prælio vincit. Alfonsus quoque Toletanos, & Cordubenses Mahumetanos cædit. Salernum diutinâ eorumdem obsidione liberatur, aduenientе Ludouici Imp. exercitu. Ferunt verò Regi Cordubensi dixisse quendam: Non regnare quem ratio non regit. Adelgisus reuersus è Corsica quò se receperat, in Italiam, Beneuentanum Principatum occupauit, quem moriens Ioanni possidendum reliquit.

Anno Christi DCCCLXXV. *Caroli Calui* 35. *Richildis vxor eius abortum fecit: ipse verò celebrato Paschate in Monasterio sancti Dionysij ad Basiuum perrexit, vnde ad Litanias celebrandas ante Ascensionem Domini ad idem Monasterium rediit, & vigilia Pentecostes Compendium venit. Ludouicus Germaniæ Rex mensibus Maio, & Augusto placitum suum ad Triburas tenuit. Ipsius verò nepos Ludouicus Imperator obiit die* 31. *Augusti feria IV. non VI. cùm imperasset annos ferè* 20. *ab obitu patris sui Lotharij, & in Basilica sancti Ambrosij Mediolani sepultus est. Angelberga vxor eius in cœnobium post aliquot annos recessit. Ermengardis verò Constantino Basilij Imperatoris filio desponsa anno sequenti factione Berengarij Euerardi filij Bosoni nupsit, qui anno deinde* 879. *Prouinciæ Narbonensis Rex coronatus est. Hermengardim hanc cùm Carolus ex Italia abiisset, à Bosone ductam in vxorem Caluisius imperitissimè vocat viduam Imperatoris Ludouici ex cœnobio euocatam. Hildeboldus Suessionum Episcopus morti proximus mittit ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum suæ confessionis formulam siue breuiculum, & ab eo absoluitur. Carolus Caluus mense Augusto compertâ morte Ludouici Imp. Duciaco Pontigonem, tum Lingonas venit, & per sancti Mauritij monasterium pergens, superato monte Iouis, Italiam ingressus, fugatisque Carolo & Carolomanno nepotibus suis Ludouici Germani filiis, Romæ in die Natiuitatis Christi à Ioanne Papâ VIII. in Imperatorem vnctus & coronatus est. Ludouico fratre eius interim Belgicas prouincias deprædationibus vexante. Venit enim Attiniacum vsque, vbi certo nuntio comperit vxorem suam Emmam apud Reginisburg palatium obiisse. Inuitatum fuisse ab Engelranno quondam Caroli Regis Camerario, & domestico suasione Richildis Reginæ ab honoribus deiecto, perhibent Annales Bertiniani quos vide cum Metensibus, Fuldenses, &c. Obiit eodem anno die secunda Octobris Vulfadus Biturigum Archiepiscopus post sedem annorum* 9. *& dierum* 12.

De ſucceſſore eius Frotario dicemus anno proximo & ſeqq. Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius, cuius opus eximium de Vitis Romanorum Pontificum, vſque ad annum 890. continuauit Guillelmus eadem dignitate ornatus, hoc anno ſuadente Martino Epiſcopo Narnienſi duplicem narrationem de ſancti Martini Papæ & Martyris exilio è Græco vertit. Vide eiuſdem à Sirmondo edita Collectanea.

Anno Chriſti DCCCLXXVI. *Carolus Caluus regni Franciæ 36. Imperij primo, Nonis Ianuarij Româ egreſſus Ticinum venit, vbi & placitum ſuum habuit menſe Februario, ac Boſone regionis illius Duce conſtituto & coronâ Ducali ornato, multíſque Francorum cum eo relictis, per Montem Iouis, Agaunum, Veſontionem, Lingonas, Catalaunos, Remos, ac Compendium venit ad monaſterium S. Dionyſij, ibíque Paſcha Domini celebrauit, & ex conſilio Legatorum Sedis Apoſtolicæ Synodum apud Pontigonem, villam regiam pagi Catalaunenſis, indixit, quod die 22. Iunij inchoatum eſt, & ſeqq. diebus peractum. In eo Ticinenſis Synodi acta confirmata ſunt, atque ægrè receptus Anſegiſi Senonenſis Archiepiſcopi Primatus, imò repudiatus ab omnibus Metropolitanis præter vnum Frotarium, qui à Burdegalenſi ſede ad Pictauenſem, & ab eâ ad Bituricenſem poſt Vulfadi mortem fauore Principis contra ſacros Canones ſe contulerat. Ioannes Papa VIII. vices ſuas in Gallia ac Germaniâ Anſegiſo delegarat die 2. Ianuarij, vt docet Hincmari ep. 44. Tomi II. pag. 719. Extant quoque Canones eius quindecim cum ſubſcriptionibus Epiſcoporum, & alia quæpiam, quæ ex Annalibus Bertinianis corraſit Aimoini Continuator lib. 5. cap. 33. & ex eo Sirmondus edidit Tomo III.* Ludouicus Germaniæ Rex obiit Franconofurti die 28. Auguſti, & poſtridie in monaſterio Laurishamenſi apud S. Nazarium ſepultus eſt, cùm regnaſſet ab obitu patris Ludouici Pij annis 36. menſ. 2. & diebus 8. *Quo Cariſiaci audito Carolus Imp. Aquiſgranum, tum Coloniam venit, ſed à Ludouico Ludouici defuncti Regis filio Lotharingiâ expellitur magnâ cum Francorum ſtrage. Richildis Hariſtallio fugiens in viâ filium peperit die 10. Octobris, qui aliquot pòſt menſibus mortuus eſt, cùm à Boſone auunculo de ſacro fonte ſuſceptus vocatus fuiſſet Carolus. Ipſe verò Ludouicus victor Andernaco Aquiſgranum venit, & cum fratribus ſuis Carolomanno & Carolo regnum paternum partitus eſt. Carolus Imp. diſpoſitis ſignis, quæ contra Normannos ſecus Sequanam in procinctu eſſent, Vinzenniacum villam venit, vbi grauiter è pleuritide laborauit, ac Natalem Domini celebrauit. Plura Ann.*

Bert. Met. qui Ludouici laudatissimi Regis encomium texunt Principibus omnibus sæpiùs relegendum, Fuld. &c. Aimoini Continuator & Capitula Caroli Calui. Ordericus Vitalis lib. 1. Hist. Eccles. scribit Rollonem hoc anno Normanniam ingressum, & 37. annis contra Gallos fuisse prœliatum; donec à Francone Arch. Rotomagensi anno 912. baptizatus est. Sed de Rollonis aliorúmque Danorum Piratarum initiis, progressu, persecutionibus, victoriis, iacturisque, tot fere sunt sententiæ, quot Annalium Historiarúmque Scriptores. Mariana, Sandoualius, & quidam alij S. Iacobi templum Compostellæ in Galleciâ hoc anno dedicatum fuisse volunt die 7. Maij feria 2. Luna 11. Verùm multa sunt, quæ ex Sampiri Asturicensis Ep. pag. 59. opponi poterunt à nobis, cùm scrupulosiùs eą expendere vacauerit. *Guillelmus Nangius in Chronico docet Aquisgrano translatas fuisse à Carolo Caluo in Monasterium S. Dionysij Dominicas reliquias, & institutas Indicti nundinas, &c.*

Anno Christi DCCCLXXVII. *Carolus Caluus Ecclesiam Compendij, (quam villam à se ædificatam & pretiosa Domini Sindone insignitam Carlopolim de suo nomine vocari præceperat) ab Episcopis Remensis Prouinciæ aliarúmque Kal. Maij cum multo apparatu in sua & Nunciorum Apostolicæ sedis præsentiâ consecrari fecit. Inde placitum suum generale Kal. Iulij habuit, in quo multa de tributis decreta capitula, & de administratione regni à Ludouico filio, dum ipse Imperator Româ rediret. Ipse ergo per Suessionas, Remos, Catalaunos, Pontigonem, Lingonas, & Vrbam venit in Italiam, ac Vercellis obuiam habuit Papam, quicum Papiam & Tardunam accessit, vbi Richildis in Imperatricem coronata est: auditóque nuncio de proximo Carlomanni nepotis sui exercitu Richildem cum thesauro Moriennam dimisit: quam cùm ipse paullo pòst sequeretur, ebibito puluere intoxicato, quem Sedecias quidam Iudæus eius medicus ad febrem abigendam parauerat, inter manus portantium transito monte Cinisio, vndecimo die post venenum haustum, in vilissimo tugurio loci, qui Brios dicitur, mortuus est, pridie, vel vt alij, tertio Nonas Octobris: cúmque propter fœtorem deportari non posset, in Nantua seu Nantoade, vnde occasio fabulæ de Mantuâ apud Caluisium alióque passim, cellâ Monachorum, hoc est Prioratu, Diœcesis Lugdunensis sepultus est. Hæc & his longè plura subministrant curiosis Annales Bertiniani, Metenses, Hugo Abbas Flauiacensis, Fuldenses, Flodoardus, Chronicon Floriacense, &c. ex quibus etiam colligitur Richildem in Franciam reuersam Compendium ad*

Ludouicus.

LVDOVICVM *Balbum Caroli filium venisse in Missâ, hoc est in festo*

S. Andreæ, dedißéque præceptum, per quod pater ſuus regnum illi ante mortem ſuam tradiderat, & ſpatham quæ vocatur S. Petri per quam eum de regno reueſtiret, Regium veſtimentum, coronam, ac fuſtem ex auro & gemmis. In Regem itaque conſenſu omnium die 8. Decembris ab Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo in eadem vrbe conſecratus fidelitatis ſacramenta pro more exegit, ac ſecùs Sueſſionas in Monaſterio S. Medardi Natiuitatem Domini celebrauit. Conſule Capitula Caroli Calui, Opera Hincmari, Ducheſnium, &c. De factâ cum Saracenis à ſummo Pontifice pace oblatis 25. millibus aureorum nummorum annuorum aliiſque eodem ſpectantibus, legendus Baronius ex Leone Oſtienſi, Sigonio, aliis, qui à Docibili Duce Caietano Saracenis ex fœdere cum iis inito traditam Gariliani arcem memorant in finibus Campaniæ ſitam, quam illi ad annos 40. magno Italiæ damno tenuerunt. Scoti Ethum Regem à paternis virtutibus degenerem carceri mancipant, Gregorio Dongaldi Regis filio in eius locum ſubrogato.

Anno Chriſti DCCCLXXVIII. *Ludouici Balbi primo, Ioannes Papa Landberto & Adelberto Comitibus excommunicatis, ſcriptiſque menſe Aprili C P. ad S. Ignatium Patriarcham literis minacibus, Româ relicta, nauigio Arelatum in die ſancto Pentecoſtes appulit, & inde Lugdunum, tum Trecas, quò propter morbum acceſſit tantùm Kalendis Septembribus Ludouicus Rex, & die 7. eiuſdem menſis fuit à Papâ coronatus, non in Imperatorem, vt plerique falsò ſibi perſuaſerunt, ſed in Regem Galliæ, cùm præter alia argumenta à P. Sirmondo & aliis in medium prolata, ipſe Pontifex Ioannes VIII. ep. 82. apud Ducheſnium pag. 911. Tomi III. ad Ludouicum, & Carlomannum fratres ſcribens, hæc diſertis verbis exponat.* Sicut D. Carolus diuæ memoriæ Imperator auus veſter, ac poſtmodum genitor veſter Hludouicus Rex, *&c. Guillelmus Nangius docet Lud. in Regem coronatum à Papa obtinere ab eo non potuiſſe, vt eius vxorem coronaret. Interea in eadem Trecenſi vrbe habita eſt Synodus, in quâ peruaſores rerum Eccleſiaſticarum anathemate perculſi, recitati Canones aduerſus Epiſcoporum tranſlationes, excommunicatus Hugo filius nothus Lotharij Regis ex Vualdrada, qui tyrannidem cum perditis hominibus exercere moliebatur; conceſſum vt Hincmarus Laudunenſis Ep. ſi vellet Miſſam cantaret, partémque de rebus Epiſcopij Laudunenſis haberet, Hedenulfo, qui in eius locum fuerat ſubrogatus, Epiſcopale miniſterium agente. Die eiuſdem menſis 11. Ludouicus Rex Boſonis filiam Carolomanno filio ſuo ex priori coniuge Anſgarda deſponſauit, & honores*

Bernardi Gothiæ Marchionis diuisit Theoderico Camerario, Bernardo Comiti Aruernico, aliisque. His peractis Ioannes Papa Cabillonum & Moriennam venit, ac per scluſas Ciniſij montis Italiam introiuit, à Boſone eiúſque vxore Ermengardâ deductus. De Eclipſibus Lunæ 15. die & Solis 29. Octobris, non eſt quod repetam ea quæ in Chronico Technico annotaui. *Kalendis Nouembribus apud Marſnam in loco, qui vocatur Furonis, pax firmata eſt inter Ludouicum Franciæ & Ludouicum Germaniæ Reges. Conuentionem illam, ex qua aliiſque certiſſimis indiciis inuictiſſimè arguitur, Aimoinum & pleróſque alios noſtrates Hiſtoriographos falsò aſſeruiſſe Carolum Simplicem poſtea dictum in cunis æuum agentem Ludouico patre orbatum fuiſſe, recitant Annales Bertiniani, & ex iis Aimoini Continuator, qui etiam docent Ludouicum Caroli filium Natiuitatem Domini in Longlario celebraſſe. Raginerum qui primo loco numeratur inter Hannoniæ Comites, Condati ad Scalidis & Hainæ confluentes captum à Rollone Normannorum Duce, & paullò poſt dimiſſum, teſtantur Dudo S. Quintini Decanus & Vvillelmus Gemeticenſis.* S. Ignatius P. CP. obiit die 23. Octobris, cui ſuffectus eſt Photius ab Imp. in priſtinam ſedem reſtitutus magno Eccleſiæ detrimento. Alfonſus Legionis Rex Oueti munitionem aduerſus piratas exſtruit, eiúſque ciuitatis Templo Crucem auream offert regni ſui anno 17. Æra Hiſpanica 916. De Oxonienſi Academia ab Alfredo Rege hoc anno fundata, & anno 895 erecta, nihil admodum certi, quidquid ex Trithemio, & Polydoro Virgilio affertur in medium.

Anno Chriſti DCCCLXXIX. *Ludouicus Balbus Francorum Rex circa Purificationem B. Mariæ ad Pontigonem venit: vnde volens ire in Auguſtoduni partes ad comprimendam rebellionem Bernardi Marchionis, Trecas vſque perrexit: ſed quia ingraueſcente infirmitate ſua (dicebatur enim veneno infectus) longiùs ire non potuit, filium ſuum Ludouicum baiulationi Bernardi Comitis Aruernici ſpecialiter committens, eos cum Hugone Abbate, Boſone, Theoderico, aliiſque Auguſtodunum miſit, vt Comitatum Theoderico, cui antea dederat, euindicarent. Ipſe autem cum magnâ difficultate per Iotrenſe monaſterium Compendium venit, vbi ipſo Paraſceues die 10. Aprilis iam veſpere obiit, ac ſabbato ſancto in vigilia Paſchæ in Eccleſiâ B. Mariæ ſepultus fuit, cùm paullò ante coronam, ſpatam, reliquúmque regium apparatum per Odonem Beluacenſem Epiſcopum, & Albuinum Comitem filio ſuo Ludouico miſiſſet, mandans illis, qui cum eo erant, vt eum in Regem*

sacrari & coronari facerent. Verùm de communi Hugonis Abbatis, & Procerum Francorum consensu ab Ansegiso Senonensi Archiepiscopo ambo fratres LVDOVICVS & CAROLOMANNVS *in Ferrarienſi monasterio in Reges consecrati sunt & coronati. Annales Bertiniani multa inculcant de Gauzleni Abbatis & Conradi Parisiorum Comitis perfidiâ, de Ludouico Germaniæ Rege ab iis in Franciam inuitato, qui Virdunum vsque properauit, transuadato Mosa, & accepta in locarium regni Lotharingici altera parte sibi à Primoribus Francorum oblatâ, in Germaniam reuersus est, &c. Interea Boso persuadente vxore suâ, quæ nolle se viuere dicebat, si filia Imperatoris Italiæ, & desponsata Imperatori Græciæ, maritum suum Regem non faceret, Burgundiæ siue Prouinciæ regnum affectans, quà minis, quà promissis effecit, vt ab Episcopis in Regem vngeretur Idibus Octobris apud Mantalam haud procul ab vrbe Viennensi. Videndi Paradinus, Sirmondus, Ducheſnius, alij. Meminit etiam Remensis Synodi hoc anno* 10. *Kalendas Maias celebratæ Hincmarus Tom. II. pag.* 821. *Carolus Crassus Ludouici Germaniæ Regis filius natu minor Langobardiæ regnum occupat, cum quo antequam Montem Iouis transiret, apud Vrbam Ludouicus & Carolomannus loqui perrexerunt: cúmque redirent in Missâ S. Andreæ, complures Normannos circa ripas Ligeris & Vigennæ prædas agentes occiderunt, demersérúntque. Ludouici Balbi elogium exhibent Annales Metenses:* Fuit iſte Princeps vir ſimplex ac mitis, pacis, iuſtitiæ, & religionis amator. Habuit autem, cùm adhuc iuuenilis ætatis flore polleret, quandam puellam nobilem nomine Anſgard ſibi coniugij fœdere copulatam, ex qua duos liberos ſuſcepit elegantis formæ, ac ingentis animi virtute præſtantes. Horum vnus Ludouicus, alter Carolomannus vocabatur. Sed quia hanc ſine genitoris conſcientia & voluntatis conſenſu ſuis amplexibus ſociauerat, ab ipſo patre ei poſtmodum eſt interdicta, & interpoſito iuriſiurandi ſacramento ab eius conſortio in perpetuum ſeparata. Tradita eſt autem eidem ab eodem patre Adheleidis in matrimonium, quam grauidam ex ſe reliquit idem Rex cùm obiret. Quæ tempore pariendi expleto enixa eſt puerum, cui nomen aui impoſuit, eúmque Carolum vocitari fecit. *Diem natiuitatis ſuæ* 17. *Septembris ſiue Miſſam ſancti Lamberti indicat ipſe Carolus Simplex in diplomate pro Dionyſianis dato an.* 917. *Maij* 28. *in Attiniaco palatio apud Dubletium, aliósque. Conſulendi quoque Regino, Flodoardus, Sigebertus, &c. Balduinus Ferreus dictus I. Flan-*

Ludouicus & Carlomannus.

driæ Comes moritur, & in Monasterio Sithiuensi apud S. Bertinum sepelitur, relicto successore filio Bald. Caluo. Milo Monachus in Monasterio S. Amandi claret, cuius nepos ac discipulus fuisse perhibetur Hucbaldus. Bruno & Tanquardus Ludolfi filij Saxonum Duces à Normannis prope Lunæburgum interfecti sunt cum 12. Comitibus totidémque Episcopis. Successit Otho frater eorum, cuius filius Henricus Auceps dictus post Conradum imperauit. Photius à Ioanne Papa præter ius, & æquum in C P. Patriarchatu confirmatus Synodum conuocat, in eáque abrogat quicquid per Nicolaum & Hadrianum Romanos Pontifices in eum fuerat constitutum. De corruptis ab eo Papæ literis, & calumnia quòd idem Pontifex Octauam sub Ignatio P. C P. celebratam Synodum improbauerit, plura tibi suggeret Baronius. Saraceni naualibus prœliis attriti à mari deinceps abstinuerunt. Hastingus cum suis Danis ex Anglia pulsus dicitur.

Anno Christi DCCCLXXX. *Ludouici & Carlomanni fratrum primo, Carlomannus Bauariæ Rex & Austriæ paralysi per integrum annum conflictatus obiit die 22. Martij, vel 3. Aprilis, relicto filio notho Arnulfo, qui post Crassum imperauit. Ludouicus verò eius frater Germaniæ Rex Ratisponam veniens Baioariam occupauit. Idem cum vxore Aquisgrano venit Duciacum, Attiniacum, Ercuriacum, & Ribodimontem, cúmque Regibus Franciæ obesse non posset, pacem cum iis firmauit: & in itinere Nortmannos, qui ad Scaldim longo tempore residebant, cum ingenti præda ad classem redeuntes in silua Carbonaria aggressus, quinque ampliùs millia ex iis prostrauit, occiso in ea pugna Hugone ipsius Ludouici Regis ex pellice filio, quod tamen prælium plures anno præcedenti illigant, ad veritatem, ni fallor, propiùs. Francorum Reges Ambianis de consensu fidelium suorum paternum regnum ita diuidunt, vt Ludouicus Franciam & Neustriam, Carlomannus Burgundiam & Aquitaniam haberet: tum Compendij Pascha celebrant, & ad placitum mense Iunio apud Gundulfi villam cum sobrinis suis peragendum, per Remos & Catalaunos contendunt. Iidem ordinatis, qui regnum suum contra Normannos in Ganto residentes custodirent, in Burgundiam mense Iulio aduersus Bosonem à Trecensi ciuitate perrexerunt, eiectíque de castro Matisconensi eius hominibus, Comitatum illum Bernardo, Plantapilosa dicto, dederunt; dein Viennensem vrbem obsidione cinxerunt, in qua Boso ad montana fugiens vxorem suam cum filia reliquerat. Karolus Crassus paullò post ab obsidione illa, quam cum*

sobrinis

sobrinis suis fuerat aggressus in Italiam recessit, & Romæ à Ioanne Papa in die Natiuitatis Christi 25. Decembris in Imperatorem coronatus est. Annales Bert. Fuld. Met. Regino, &c. Classis Basilij Imp. vrbes maritimas Siciliæ, quas Saraceni occupauerant, pleráſque recuperat, rebúsque in Italia præclarè gestis cum ingenti præda ad Imp. redit, vt narrant Græci scriptores. De Marino à Papa C P. misso, atque iterata Photij excommunicatione consule Annales Ecclesiasticos eorúmve Compendia.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCLXXXI. *Ludouici & Carolomanni 2. Kalendis Ianuarij, cogente metu Normannorum, qui Curtracum inuadentes, Ambianos, Corbeiam, aliáque loca occuparant, vsque Peronam Scotorum venerant, eámque igni succenderant, corpora SS. Quintini & Cassiani ad Laudunum Clauatum in arduo monte situm delata sunt, vt discimus ex sermone quodam MS. de S. Quintino. Auditis Barbarorum excursionibus Ludouicus relicto in Burgundia fratre Carlomanno, qui Bosonem fugientem insequeretur, contra Normannos exercitum quantocyus eduxit, eósque in pago Vvimacensi in villa, quæ Sathulcurtis, siue Seulcurtis dicitur, commisso prælio vicit, fugauítque. Iidem Vahalim Mosámque ingressi, diripiunt, vastántque Neomagum, Traiectum, Leodicum, Tungros, cum pago Hasbanico, Cameracum, Iuliacum, Aquisgranum, Nouesium, Coloniam, Bonnam, Tulpiacum, totámque Ripuariam, cum monasteriis Prumiensi, Indensi, Stabulensi, Malmundariensi*, &c. *quorum aliqua præcedenti, vel seq. aptiùs anno fortè conuenient. Ludouicus apud Compendium Natiuitatem Domini celebrauit, & seq. anni Pascha. Videndi Annales Bert. Fuld. Met. Regino, Sigebertus, liber miraculorum S. Gudilæ, & S. Bauonis, Chronica Cameracense, Normannicum, Turonicum, Bedæ additum*, &c. *De Eclipsi Solis die 28. Augusti, & de Concilio apud Martyrium S. Macræ finibus habito diximus in Chronico Technico. Eodem anno defunctos fuisse clarissimos fratres Conradum Rhæticarum & Iurensium partium Ducem Parisiaci Comitem, & Vvelfum S. Germani apud Antissiodorum Abbatem docet Chr. Senonense.* Ioannes Papa Athanasium Ep. & Neapolitanum Principem ob initum cum Saracenis fœdus excommunicat. Gregorius pulsis è Scotia Danis, eosdem iunctis cum Alfredo copiis ex Anglia fugat, & Nordhumbriam sibi vindicat, vt Scoti scriptores testantur.

Anno Christi DCCCLXXXII. *Ludouicus Francorum Rex cùm contra Normannos Turonos vsque profectus fuisset, in morbum*

incidit, vnde lectica deportatus, die quarto, saltem sub initium mensis Augusti obiit, & sepultus est apud S. Dionysium, cùm Andegauos ire disponeret, & cum Alstemo pactum inire. Ludouicus quoque Germaniæ Rex hoc eodem anno spiritum exhalauit non die 20. eiusdem mensis, nec vt alij 19. Nouembris, apud Franconofurtum, vt Regino & Annales Metenses docent, sed 20. die mensis Ianuarij, & in Laureshamensi sancti Nazarij cœnobio iuxta patrem sepultus est. Carolus Crassus Ludouici frater atque hæres cùm versus Varmatiam placitum suum habiturus Kalendis Nouembris recessisset, accessit ad eum Hugo Abbas pro petitione partis regni Lothariensis, quam frater eius Ludouicus à Francis occidentalibus in locarium acceperat, vt sicut Carolus ipse olim promiserat Carlomanno restitueret, sed nihil certi obtinuit. Verùm de his plura Annales Bertiniani. Normanni Arduennam percurrentes Prumiam ingressi sunt die Epiphaniæ Domini, & Treuirorum vrbem Nonis Aprilis die sacratissimæ Cœnæ Domini, eáque incensâ, cùm ad Mediomatricorum ciuitatem dirigerent aciem, illius Episcopum Vvalonem cum aliis occurrentem inito certamine occiderunt, & cum ingenti prædâ ad classem reuersi sunt. Kalendis Februarij corpora SS. Quintini & Cassiani à Lauduno deducta in die Purificationis B. Mariæ in suam delata sunt basilicam, quæ sub finem anni ab iisdem paganis incensa est, cùm audita morte Ludouici Regis per Scaldim fluuium Condatum vsque fuissent ingressi, & inde in vicinas prouincias populando progressi, Mosomum castellum cremarunt, Laudunum obsederunt, & Remensem agrum spoliarunt. Hincmarus Remensis Archiepiscopus senio grauis metu barbarorum vltra Matronam fugit, & Sparnacum se contulit, tum 21. Decembris obiit post sedem annorum 37. de quo vide Flodoardum toto libro 3. Remensis Historiæ fusè differentem, quæque in eius aduersus Mauguinum, & Chiffletium, aliósque obtrectatores, defensionem scripserunt Sirmondus, Cellotius, atque Tenneurius. Carolus Imperator auditâ fratris Ludouici morte in Italia, per Baioariam venit Vvarmatiam, regnóque fratris sibi vindicato Normannos certis pactis è regno dimittit. Carlomannus quoque euocatus à Principibus Francorum relicta obsidione Viennæ, quæ paullò pòst capta est, venit in Franciam, & Normannos multis locis expellit. Annales Bertiniani hîc desinunt, non secus atque Fuldenses à Pithœo editi: pauca enim quæ sequuntur ex editione Freheriana mutuabimur. Metenses addunt Godefridum Regem Normannorum ea conditione Christianum se fieri pollicitum, si ei munere Regis Frisia prouincia concederetur, & Gisla filia Lotharij in vxorem daretur, quod & factum est:

baptizatus enim ex ſacro fonte ab Imperatore ſuſceptus eſt. Sigifrido autem reliquiſque immenſum pondus auri atque argenti expoſitum. Eadem habent Chronica Normannicum & Floriacenſe, &c. Ioannes VIII. Romanus Pontifex intoxicatus, vt aiunt, obiit die 15. vel 14. Decembris, poſt ſedem annorum decem, & vnius alteriuſve inſuper dici. Succeſſit vel ab ipſo Natali Domini, vel à die 28. eiuſdem menſis feria 7. Marinus ſiue Martinus II. Galleſianus è Faliſcis. De Albategnij Arabis obſeruationibus Aſtronomicis diximus in Chronico Technico pauca ex Caluiſio aliiſque recentioribus.

Anno Chriſti DCCCLXXXIII. *Carlomanni Regis* 4. *Fulco poſt Hincmarum creatus eſt Archiepiſcopus Remenſis, de quo conſule Flodoardum initio lib.* 4. Marinus Papa Formoſum à deceſſore ſuo excommunicatum abſoluit, priſtinæque reſtituit dignitati, idem Photium deteſtatus dicitur: *Hugo Lotharij ex Valdrada nothus à Stephano, Roberto, aliiſque Comitibus adiutus, Lotharingiam non minùs quàm ipſi Normanni vaſtat, & Frideradam occiſo eius viro Bernario ſibi copulat. Bertulfus Treuirorum Ep. migrat ad Dominum Idibus Februarij: ſucceſſit* 8. *Aprilis Ratbodus, qui Rotbertum in Metenſi Eccleſia conſecrauit die* 22. *eiuſdem menſis. Annales Met. & Fuld. Regino, & Herimannus, quorum aliqui Ludouici Regis Galliæ mortem in hunc annum differunt, cùm tamen ex diplomatis aliiſque teſtimoniis conſtet iam ab anno ſuperiore obiiſſe. Defunctum quoque hoc anno Anſegiſum Senonenſem Archiepiſcopum Odorannus memorat ſancti Petri Viui Monachus. Tranſlatum hoc vel ſeq. anno Caroli Calui corpus ex monaſterio Nantuano in Baſilicam S. Dionyſij Martyris, cùm ibi ferè per ſeptennium iacuiſſet, pluribus exponit Guillelmus Nangius in Chronico MS.* De Eclipſi Lunæ ab Albategnio obſeruata multa recentiores, quibus iunge fragmentum ex vita Ælfredi pag. 457. Tomi II. Ducheſnianæ Collectionis. Mortem Ioannis Scoti in cœnobio Malmeſburienſi ſtylis confoſſi deſcribit pluribus Willelmus Malmeſburienſis Monachus lib. 2. cap. 4. Pro eo & contra eum multi multa. Adi Appendicem VIII. ad Hiſtoriam Godeſcalci Prædeſtinatiani à P. Cellotio elaboratam. Iuſſu Papæ Symbolo Nicæno addita fuit particula, Filióque, quòd Photius P. C P. Spiritum ſanctum ex Filio procedere negaret. De quâ controuerſia, & de Aquileienſis Patriarchæ cum Græcis conſpiratione plura dabit Card. Baronius. De Alfonſo III. Magno di-

cto Ouetensi Rege mortuo anno regni sui 46. Æra 921. & successore eius Garsia, ac similibus ad Hispaniam spectantibus Rodericus, Mariana, &c.

Anno Christi DCCCLXXXIV. *Carlomanni Regis 5. Marinus Papa moritur die 18. Ianuarij Dominica post sedem anni vnius & dierum 20. Succedit Hadrianus III. die 20. Ianuarij. Normanni qui ab Haslon recesserant Somonam fluuium intrant, ibique consederunt. Quorum celeberrimas incursiones, cùm Carlomannus sustinere non posset, pecuniam pollicetur, si regno eius recederent. Acceptis ergo 12. argenti puri atque probati marcis, promissáque in totidem annos pace cùm funes à littore soluissent, nauibúsque conscensis marina littora repetiissent, ecce tibi Carlomannus Rex venatum perrexit, & ab apro grauiter vulneratus die 30 Nouembris, vt quidam obseruarunt, post modicum vitam cum regno amisit anno ætatis 18. die 6. Decembris, cùm regnasset à morte patris annos 5. & menses 8. sepultúsque est iuxta fratrem apud S. Dionysium. Aiunt autem nonnulli quòd à quodam suo satellite (Bertulfo) improuidè arma ferenti vulneratus fuerit: & quia non sponte, sed inuitus, hoc facinus commiserat, idcirco à Rege celatum esse, ne innoxius morti traderetur. Auditâ Regis morte protinus reuertuntur in regnum. Itaque Hugo Abbas & ceteri Proceres legatos ad eos dirigunt promissionem ac fidem violatam proclamantes. Ad hæc illi respondent, se cum Carlomanno Rege, non cum alio aliquo fœdus pepigisse. Quisquis ille esset, qui in regnum eius succederet, eiusdem numeri & quantitatis pecuniam daret, si quietè ac pacificè Imperium tenere vellet. Quibus territi regni Optimates ad Carolum Imp. missos dirigunt, eíque in regnum inuitato, & aduenienti obuiam ad Gundulfi villam anno sequenti procedunt, & manibus sacramentísque iuxta morem datis, eius ditioni se subiiciunt, cùm Carolus Simplex Ludouici Balbi filius postumus, & regni legitimus hæres vix quinquennis esset, nec regnum aduersus barbaros tutari posset. Ridicula sunt quæ quidam somniarunt de quodam Ludouico Carlomanni filio ac successore, dicto, Qui nihil fecit, vel propter ignauiam, vel quòd monialem à cœnobio abductam sibi connubio iunxisset. Normanni è fluuio Somonâ paullo pòst egressi, in regnum Lotharij venerunt, & in eius finibus castra metati apud Louanium continuis infestationibus Franciam Lotharingiámque fatigarunt. Alij ex Danimarca profecti Godefrido adsentiente Rhenum nauigio ascenderunt, & Duisburgo occupato munitionem construunt, in quâ totâ hieme residunt, Henrico Duce castris haud procul positis excursiones eorum prohibente. Consule Met. Fuld. Regin. Asserem Menenensem in vita Ælfridi*

Anglorum Regis, &c. Zuendebaldum Arnulfo infestum compescit Carolus Imp. & Widonem in Italia minùs obsequentem in gratiam recipit. Saraceni à Caietanis, quos Pandulfus Capuæ Dux exagitabat, iam ab aliquot annis euocati, Italiam totis 40. annis grauiter afflixerunt, atque hoc anno Cassinense cœnobium S. Benedicti omnibus spoliatum diuitiis incenderunt, teste Leone Ostiensi Chronici Cass. lib. 1. cap. 45.

Anno Christi DCCCLXXXV. *Caroli Crassi in Gallia primo, quem tamen nonnulli inchoatum mense dumtaxat Iunio contendunt, quod hoc anno apud Gundulfi villam pridie Idus Iunij Carolum III. Cabillonensibus electionem Episcoporum suorum concessisse constet, vt ex Tomo III. Conciliorum P. Sirmondi ostendimus in Chronico Technico, Hadrianus Papa Romæ obiit die 9. Maij, succedente Stephano V. qui aliis VI. dicitur. De Coloniensi Concilio Kal. Aprilis celebrato, & de Theodardi Archiepiscopi Narbonensis consecratione facta die 15. Augusti Dominica, æra Hisp. 923. plura docuimus in Chronico Technico, quæ hîc repetere non est opus. Hugo Lotharij ex Valdrada filius missis ad Godefridum, qui Gislam sororem suam in coniugem acceperat, legatis rebellare aduersus Imp. conatur. Verùm occiso paulò post in Batauia dolo Henrici Ducis ab Euerardo Comite Godefrido, Normanísque omnibus, qui ibidem reperti sunt, trucidatis, ipse Hugo eiusdem Henrici consilio ad Gundulfi villam promissionibus attractus, iussu Imp. Caroli excæcatus est, & in Alamanniam in monasterium S. Galli ablegatus, quæ pluribus Regino exequitur, & ex eo aut vicissim Metenses Annales,* &c. *Frotario minacibus Stephani Papæ literis à Bituricensi sede expulso, & Pictauium regresso, vbi sepultus fuisse perhibetur in Ecclesia sancti Cypriani, quam ædificarat, Adacius siue Adicius Biturigum creatus est Antistes ad an. 19.* Basilius Imperator Leonem filium insontem calumniis oppressum carceri mancipauit. Ad eum de Photio Pseudo-Patriarcha C P. Stephanus Papa egregiam scripsit Epistolam, quam in Annalibus Ecclesiasticis leges.

Anno Christi DCCCLXXXVI. *Caroli Crassi in Gallia 2. Normanni, qui in confinio regnorum Francici ac Lotharingici sedem, & castra locauerant, ad Isaram Sequanámque progressi, Pontem Isaræ capiunt, & ad Lutetiam obsidendam se accingunt. Carolus Imp. ex Italia post Pascha per Burgundiam reuersus Normannos aggreditur, sed infelici successu. Martio mense Normannorum metu ex cœnobio Fontanellensi corpora SS. Vvandregisili, & Ansberti à Monachis delata sunt in vrbem Carnotensium sub Haimone Præsule.* Basilius Imp.

obiit Kal. Martiis, cùm imperasset post Michaëlem τὸν Μεθυστὴν annis 18. mens. 5. & diebus 7. Successit Leo ὁ Σοφὸς, Sapiens siue Philosophus dictus, quem pater paullo antea è custodia educendum curauerat. Is Photium Patriarchatu expellit, & in monast. detrudit, substituto in eius locum fratre suo Stephano ad annos 2. cum aliquot mensibus. Photium eodem anno, aut paullò pòst mortuum docti viri iudicant. Scribuntur ad Stephanum Papam à Græcis literæ ad petendam dispensationem de malè ordinatis à Photio. Baronius vtrimque scriptas subministrat. Saraceni irruptione in Siciliam facta Syracusas incendunt. Croatæ & Seruij Scythicæ nationes Dalmatiæ partes occupant, quæ ab iis deinceps vulgare nomen sortitæ sunt. *Synodus Nemausensis in villa Portu habita est die 17. Nouembris à Theodardo Arch. Narbonensi cum tribus aliis Archiepiscopis pluribúsque Episcopis, aduersus Siluam Clericum Hispanum, qui se pro Archiepiscopo venditabat. Ante aliquot annos Tolosæ celebratum fuerat à Sigebodo Metropolitano aliud Concilium aduersus Iudæos, qui se grauiùs tractari querebantur à Bernardo Tolosano Ep. Videndi Catellus in Landgothicis, Sirmondus, atque Duchesnius. Eodem quoque anno seu potiùs sequenti Indictione 5. labente die 18. Maij, in Ecclesia S. Marcelli in suburbio Cabillonensi, præsidentibus Aureliano Lugdunensi, & Bernuino Viennensi Archiepiscopis, celebrata fuit Synodus, vt patet cùm ex Chronico Bezuensi, tum ex priuilegiis Abbatiæ Caroli-loci, & Ecclesiæ S. Stephani Diuionensis concessis. Carolomannus moritur vnus filiorum Caroli Calui, qui Clericus factus oculis mulctatus est, inquit Chronicum vnum Andegauense pag. 285. Nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum, pag. verò 292. testatur auctor Chronici Aquitanici obiisse Vulgrinum Petragoricum Comitem, cuius obitus confertur in 5. Non. Martij.*

Anno Christi DCCCLXXXVII. *Caroli Crassi in Gallia 3. In Colonienſi Synodo sanciti canones aduersus raptores bonorum Ecclesiasticorum, oppressores pauperum, incestásque nuptias, vt docent Baronius, Binius, aliíque. Normanni per Sequanam in interiores Franciæ prouincias inuecti Lutetiam Parisiorum obsidere pergunt. Aduersus eos Imperator verno tempore Henricum Ducem cum exercitu direxit, verùm absque fructu: antequam enim in manipulos redigerentur segetes, dolo circumuentum illum occidunt, equo eius in foueas stipulâ quisquiliísque opertas impingente, Suessionas deportatum & in basilica S. Medardi sepultum refert Regino, totidémque verbis Annalium Metensium*

consarcinator. Eodem quoque tempore Hugo Abbas magnæ potestatis ac prudentiæ vir Aurelianis mortuus est, & apud S. Germanum Antissiodori tumulatus. Ducatus Odoni fratri eius vterino Roberti Fortis & Adelaidis filio ab Imperatore traditus est, qui iam Parisiorum Comes erat, & cum Gozlino eiusdem ciuitatis Episcopo contra Normannos totis illam viribus tuebatur. Hic verò Gozlinus inter ipsas obsidionis pressuras migrauit à sæculo, eiusque sedem Aschiricus obtinuit. Legendus Abbo Monachus S. Germani Pratensis libris duobus, quos barbaro sordentique metro scripsit de obsidione Lutetiæ Parisiorum. Hunc Abbonem Abbatem, atque Aimoini Historici discipulum vocat Miræus in Chronico, vulgarem hîc, vt in pleríque, sequutus imperitorum errorem. Ipse quoque Carolus Imperator Parisios venit cum exercitu, nec quicquam Imperatoriâ maiestate dignum peregit, sed concessis regionibus, quæ vltra Sequanam erant Normannis ad deprædandum, recto itinere in Alamanniam perrexit, vbi facto cum Richgardâ Augustâ diuortio, & Ludvvardo Vercellensi Episcopo ab aulâ longiùs amandato, circa festum S. Martini mense Nouembri in Conuentu omnium Imperij ordinum apud Triburias in ordinem redactus est, quòd cernerent Optimates, non modò vires corporis, verumetiam animi sensus ab eo diffugere, & in eius locum substitutus Arnulfus Carolomanni Baioariæ Regis ex concubinâ filius. Tanta porrò egestate oppressus est Carolus, vt ex Luitberti Episcopi sumptibus cibus, & potus ei debuerit administrari, antequam fiscos aliquot in Alamanniâ tribuisset Arnulfus, cui filium suum ex pellice susceptum Bernardum commendauit. Vide citatos Auctores & Asserem Meneuensem, aliósque. De reuersione corporis sancti Martini Turonensis ab vrbe Antissiodorensi, de Gastinensi Comite Ingelgerio, Terculsi & Petronillæ filio, Lochiæ & Ambasiæ Domino ac demum Andegauensi Comite, consule Tractatum S. Odonis Cluniacensis Abbatis, Gesta Consulum Andegauensium, &c. Constantinus Leonis Imp. C P. filius aduersus Widonem à patre in Italiam missus deleto exercitu vix saluus euasit. Muhammede Cordubensi Rege mortuo anno Hegiræ 274. successit filius Almondar ad duos dumtaxat annos. Zamaræ quoque defuncto Garsiâ Ouetense regnum suscepit administrandum frater eius Ordonius Æra 924. Adi Rodericum, Marianam, similésque.

Anno Christi DCCCLXXXVIII. *Carolus Crassus sub exitum superioris anni exauctoratus obiit die 12. vel 13. Ianuarij, & in Augiensi Ecclesia sepultus est. Regnum eius varias scissum est in partes, Arnulfus nepos eius ex Carlomanno fratre Germaniam; Vvido*

Lamperti filius Dux Spoletanus Tusciam ; Berengarius Euerardi filius, qui Ducatum Foroiulianorum tenebat, Langobardiam ; Ludouicus Bosonis filius Prouinciam ; Rodulfus Conradi Iunioris filius, & Hugonis Abbatis nepos superiorem siue Transiuranam Burgundiam occu-

Odo. *pant.* ODO *Roberti Fortis filius eiusdem Hugonis Abbatis ex matre Adeleide frater, consensu Francorum atque Aquitanorum Rex, siue vt quidam minus rectè scripserunt Tutor Caroli Simplicis, electus est hoc anno circa mensem Aprilem. De eo hæc Regino, & Annales Metenses:* Virum strenuum, cui præ cæteris formæ pulchritudo, & proceritas corporis, & virium sapientiæque magnitudo inerat, Regem super se pari consilio, & voluntate creant. Qui rempublicam viriliter rexit, & contra assiduas deprædationes Normannorum indefessus propugnator extitit. Alij verò cæteris Regni Principibus virtute militari, morum & corporis elegantia præstitisse asserunt. *De Rodulfo apud S. Mauricium Rege coronato, & ab Arnulfo eiúsque filio Zuendeboldo necquicquam sæpiùs oppugnato plura subiungunt. Normanni cùm Lutetiam Parisiorum expugnare non valerent, & strenuè ciues prohiberent ascensum fluminis, naues suas per siccum plusquam duorum passuum millibus trahunt, eásque iterum Sequanæ alueo immergunt, & per Icaunam fluuium ad Senonensem vrbem accedunt, quam per sex continuos menses obsessam capere non potuerunt. Inter ipsas obsidionum angustias, inquit Regino, Euerardus eiusdem loci Metropolita vir totius sanctitatis, & sapientiæ nitore fulgidus obiit, in cuius cathedram sublimatus est Valterius nepos Valtarij Aurelianensis vrbis Ep. longè inferior prædecessore moribus, religione, & philosophiæ studio. Odonem ab hocce Valterio Senonensi Archiepiscopo vnctum ac coronatum testatur Odorannus. Consulendus quoque Abbo in Poëmate de Parisiorum obsidione, Asser Meneuensis, Flodoardus, Annales Fuldenses, Chronica Normannicum, Bezuense, &c.* Abdalla aliis Abdertamen nominatus, Saracenos in Hispania regere incipit anno Hegiræ 275. ad an. 25. S. Rembertus Hamburgensis Ep. & Danorum Apostolus obiit die 4. Februarij. Missus aduersus Bulgaros à Leone Imp. Procopius ab iisdem superatur ac capitur.

Anno Christi DCCCLXXXIX. *Odonis Regis 2. Normanni post vastatam circumquaque Burgundiam à Senonica vrbe recedentes Parisios rursum tentant, sed frustra; victi sunt enim ab Odone prope Montem Falconis die 24. Iunij, necnon super fluuium Axonam, cúmque à descensu prohiberentur, Meldas Trecásque incendunt, & vsque*

Virdunum

Virdunum ac Tullum omnia depopulantur. De Hungarorum ferocissimâ gente, & omni bellua crudeliore multa præter Cedrenum aliósque Byzantinos Scriptores Regino, & Annales Metenses. *Fuldenses verò Luitberti Moguntini Archiep. mortem memorant, cui successit Sunzo, siue Sundroldus Fuldensis Monachus. Ex Abbone autem Poëta colligimus inter cætera Odonem Aquitanos hoc vel aliquo ex seqq. annis ad obsequium compulisse, & Vvillelmi Aruernorum Comitis Bernardi filij honores Hugoni, qui Bituricensis Consul, id est, Comes fuerat, attributos, vnde inter eos exarserit bellum, in quo Hugo vitam, Vvillelmus multos ex suis amiserit. Reconciliatum porrò eidem Odoni postea fuisse Vvillelmum, variisque honoribus cumulatum multa persuadent, quæ in Bituricensi Historia fusiùs exponentur.* Wido Italiæ Rex Berengarium certamine victum Italia expulit, compulítque tamdem, capto anno seq. Ticino, & Langobardiâ in potestatem redactâ, Arnulfum adire Regem, eiúsque patrocinia aduersus hostem exposcere.

Anno Christi DCCCXC. *Odonis Regis* 3. *Normanni à Matrona fluuio exeuntes tertiâ vice Lutetiam impugnant irrito successu: vnde & per terram desperatis rebus naues magno labore trahere coacti sunt, & repetito Sequanæ alueo maritimas Neustriæ ac Britanniæ oras depradati sunt. In Constantiensi territorio castrum S. Lautonis deditione ceperunt, omnésque fractâ fide cum ipso Constantiensi Episcopo iugularunt. Iudicael Britonum Dux non expectato fratre Alano cum barbaris confligens, cùm vltra quàm oporteret, victos insequeretur, ab ipsis extinctus est; Alanus verò tale votum emisisse fertur, vt si aduersarios superare posset, decimam omnium bonorum suorum Deo, & sancto Petro Romam destinaret. Omnibus quoque Britonibus idem votum spondentibus ad pugnam processit, commissóque prælio tantâ strage hostes effudit, vt vix 400. ex 15. millibus ad classem remearent. Regino, Annales, Metenses, Chron. Normannicum, Britonici scriptores, &c. Salomon Constantiæ ad Rhenum Episcopus hoc quoque anno decessit, succedente altero eiusdem nominis, qui sancti Galli tenebat Abbatiam: Successit quoque Vvilliberto Colonienſi Episcopo Hermannus. In Conuentu Valentino ab Episcopis, & Proceribus regni Arelatensis nomen Regis delatum fuit Ludouico Bosonis Regis, & Hermingardæ filio, labente adhuc Indictione 8. cùm paullo ante mense Maio in villa Foraheim à matre Arnulfo cum suis colloquium habenti commendatus fuisset, vt testantur Annales Fuldenses. Richardus Dux, cui tutela regni commissa fuit, Bosonis frater & Ludouici patruus, &c. De Donationi*

facta hoc anno Odonis tertio Indictione 8. exeunte Maio in fauorem S. Theodardi Narbonensis Archiep. diximus in Chronico Technico. Arnulfus Rex Zuntebaldo Marahensium Sclauorum Regi ducatum Bohemensium concedit, qui hactenus Principem suæ cognationis ac gentis super se habuerant, Francorúmque Regibus fidelitatem promissam inuiolato fœdere conseruauerant. Filium quoque, quem ex pellice susceperat, ab eodem voluit è sacro fonte leuari, atque ex eius nomine Zuenteboldum appellari. Zuintiboldus verò noui regni accessione turgidus aduersus Arnulfum rebellauit, cuius exercitu cùm regiones Marahensium vastatæ fuissent, ab eo pacem poposcit, eámque dato filio obside serò promeruit. Stephanus V. Rom. Pont. obiit die 21. Maij post sedem annorum sex cum aliquot diebus: successit die 31. eiusdem mensis Formosus, qui erat Portuensis Ecclesiæ Episcopus, aduersus quem turbas excitasse dicuntur Sergius & Bonifacius VI. de quibus vide Onuphrium, Sigonium, Massonum, Baronium, similésque minùs inter se consentientes. Obierat iam à die 14. Februarij Antonius P. C P. egregiæ sanctitatis, cui successit Nicolaus cognomento Mysticus ad an. 11. Simeon Bulgariæ Princeps metu Hungarorum liber aduersus Leonem Orientis Imp. insurgit, eúmque ad reddendos captiuos, quos ex Hungaris emerat, compellit.

ANNO ÆRÆ CHRIST. DCCCXCI. *Odonis 4. Normanni duobus continuis prœliis in Aremoricá Britannia grauiter attriti, in Lotharienſe regnum classem transferunt, & castra metati prædas exercent, Germanorum exercitum in fugam vertunt, concidúntque die 26. Iunij sabbato, prope torrentem, qui Gulia dicitur haud procul Aquisgrani, in quo prœlio Sunzo Arch. Moguntiæ, cui successit Hatto Augiensis Abbas, & Arnulfus Comes occubuerunt. Arnulfus Rex ex Bauaria progressus cum iisdem pugnat ad Louanium, ingentémque illorum stragem edit. Vir eruditus minùs accuratè docuit centum millia fuisse prostrata, auctoribus Reginone & Annalibus Fuldensibus: cùm tamen in iis dumtaxat legatur in profundum fluuij Chilæ seu potius Thiliæ, per centena & millia coaceruatim præcipitatos fuisse, neque fauet Chronicon de rebus gestis Normannorum. Errant qui ex Chronico Bezuensi, aliísque, Carnotensem vrbem hoc anno die vigesimo Iulij in sabbato obsessam asserunt, cùm ea obsidio differenda sit in an. 911.*

Leo Imp. in festo Pentecostes insidiis appetitus saluus euasit, misítque in Italiam Symbatitium Patricium, qui Beneuentanam ciuitatem trimestri spatio obsessam tandem cepit die 18. Octobris, vt ex Chronico Cassinensis cœnobij discès. Saracenis interim Tauromenium in Siciliâ, & Lemnum insulam deuastantibus. De Eclipsi Solis ab Albategnio obseruatâ in Chronico Technico diximus. Sunt qui hoc ipso anno asserant vocatum Italia hortante Widonem Spolet. Ducem à Stephano seu potius Formoso Pontifice consecratum Imperatorem Occidentis die 11. Kal. Martij, cùm donationes à Pippino, Carolo Magno, & Ludouico Pio Romanæ Ecclesiæ factas priùs pro more ratas habuisset.

Anno Christi DCCCXCII. *Odonis 5. Normanni qui ad naues remanserant, Mosam traiiciunt, Ripuariorum pagum ingressi ad Bonnam vsque peruenerunt, cuncta solito more vastantes: inde Prouinciam spoliant, tum Arduennam deprædantur, multis denique casis ad classem redeunt, & cum magnâ prædâ transmarinas regiones repetunt. Mense Iulio Odo Rex Lauduni Vualtgarium Comitem filium Adalhelmi auunculi sui rebellem decollari iussit, quòd in conuentu publico contra Regem & Dominum suum gladium euaginasset. Tum in Aquitaniam proficiscitur contra Ranulfum, & fratrem eius Gozbertum, & Ebulonem Abbatem S. Dionysij, aliósque, qui eius imperiis obtemperare nolebant. Eodem anno die 28. Augusti Megingandus Comes nepos Odonis Regis dolo interfectus est ab Alberico, & sociis eius in monasterio sancti Sixti, quod vocatur Sotila, siue Rotila: cuius honores ex parte Zuintiboldo filio largitus est Arnulfus.* Popo Thuringorum Dux dignitatibus spoliatur, eiúsque Ducatus Cuonrado, & post breue tempus Burchardo Comiti committitur, qui hunc hactenus strenuè gubernat, inquit Regino, & ex eo Annales Metenses. Idem Auctor hæc de se non omisit: *Per id tempus Farabertus Abbas Prumiensis cœnobij curam pastoralem suâ sponte per concessum Regis deposuit, & ego quamuis indignus secundùm regularem auctoritatem per electionem fratrum in regimine successi, in quo tamen non diutiùs immoratus æmulis agentibus Richarium fratrem Gerardi & Mathfridi inuidiosum mei negotij successorem sustinui. Concilium Viennense celebratum fuit in basilica Saluatoris Ind. 10. præsidentibus Formosi Papæ Legatis, eiúsque extant Canones 4. cum Præfatione. Eodémque anno Synodus Remensis habita, ex quâ datæ sunt comminatoriæ litteræ ad Balduinum Caluum Comitem Flandrensem sacrilegum*

rerum Ecclesiasticarum peruasorem, à Fulcone Archiepiscopo Remensi, eiúsque collegis, quarum meminit Flodoardus lib. 4. cap. 7. Boso Lausanensis Episcopus Salodori martyrizatur, inquit Chronicon Helueticum. Guido Italiæ Rex ex Duce Spoletano à Formoso Papa dicitur à quibusdam hoc anno creatus Romanorum Imperator, quo facto Arnulfi ac Berengarij inuidiam atque arma contra se excitauit. Vide Luitprandum lib. 1. cap. 8. Sunt tamen qui ab eodem iam Imperatore velint die 22. Nouembris anni superioris sancitas fuisse Papiæ leges quasdam de iure Principum in ciuitates in feudum acceptas, & hoc anno eundem, cùm vnà cum coniuge iter faceret, diuertisse in cœnobium quoddam, ibíque 10. die Nouembris natum eius filium Lambertum, pro quo tantum auri puri pondus monasterio obtulerit, quantum ipse infantulus ponderabat. Quid verò iis facias, qui ex Onuphrio Lambertum illum renunciatum fuisse Italiæ Regem hoc ipso anno contendunt? Saraceni Thessalonicam expugnant, abductis in seruitutem ciuibus.

Anno Christi DCCCXCIII. *Odone in Aquitaniâ commorante, multi Francorum Principes ab eo deficiunt, & agentibus Fulcone Remensi Archiepiscopo, Heriberto & Pippino Comitibus Vermanduorum, aliísque, in Remorum ciuitate die 28. Ianuarij S. Agneti sacrâ hoc anno, qui ex veteri Francorum consuetudine adhuc numerabatur à Christo 892. vsque ad Paschales ferias,* CAROLVS, *Simplex postea dictus, Ludouici Balbi ex Adeleïde filius postumus, coronatus est Rex Francorum annum agens ætatis 13. Hoc audito, compositíque rebus in Aquitaniâ, reuersus est in Franciam Odo, & cum Roberto fratre Carolum vertit in fugam, desertoréque persequutus comperto obitu Ebulonis Abbatis, qui dum castrum quoddam in Aquitania situm ardentiùs impugnaret, ictu lapidis periit, monasterium S. Dionysij sibi vindicauit. Carolus vires Odonis ferre non valens Arnulfum æstiuo tempore Conuentum publicum Varmatiæ celebrantem conuenit, auxiliúmque ab eo impetrat, sed frustra: Odo enim Axonæ ripis occupatis, ab ingressu prohibitum in Burgundiam fugere coëgit: ipso verò Parisios reuertente Carolus regni fines rursus occupat: sícque alter alterum fugante, cædibus & rapinis regnum omne possumdatur. Inde patet Aimoinum falsò scripsisse Odonem tutorem à Francis electum paruulum optimè fouisse, ei regna repetenti patienter effudisse, semper extitisse fidelem, &c. Consule Abbonem sub finem lib. 2. Annales Metenses,*

Carolus.

Reginonem, &c. Auctor Sermonis de S. Quintino: Anno à Domini Incar. 893. die 3. Kalend. Nouembrium transacto decem annorum spatio, ex quo basilica à Paganis succensa est, Odonis Regis 5. & à murorum constructione à Comite, & Abbate Teutrico anno septimo, corpora SS. Quintini, Cassiani & Victorici suis in Mausoleis decenter reposita sunt, præsente Remberto Nouiomensi Episcopo. Concilium Metense II. Kalendis Martius celebratum fuisse multa suadent in suburbanâ S. Arnulfi basilica à Ratbodo Treuerensi Metropolitano cum Suffraganeis suis, cuius extant Canones 13. Guido Imperator Lambertum filium suum adhuc infantem à Formoso Papa coronari voluit, vt quidam cum Baronio scribunt. Eodem tamen anno Pontifex ad Arnulfum scribit, vt in Italiam veniat, & Romam ex Guidonis faucibus, cui magnum ei præsidium imposuerat, eripiat. Quod sub Autumnum factum suadet Sigonius, ex diplomate Veronæ ab eodem Principe 6 Idus Nouembris anno eius 6. Bulgari cùm à Græcis vexarentur, relicto Patriarchâ CP. Romano se Pontifici subiiciunt.

Anno Christi DCCCXCIV. *Caroli Simplicis* 2. Arnulfus cum valido exercitu Langobardorum terminos ingressus circa Purificationem B. Mariæ Bergomum armis cepit, & Ambrosium Comitem ciuitatis ante portam laqueo in arbore suspendit. Dein alias ciuitates sibi subiecit Placentiam vsque. *Tum per Alpes Penninas ad S. Mauricium venit, nec Rodulfo nocere potuit, qui montana conscendens in locis tutissimis se absconderat. Post hæc Vvarmatiæ placitum habuit, in quo Zuinthibolchum filium regno Lotharij præficere voluit, verùm renitentibus optimatibus perficere non valuit.* Interim Wido, qui Imperatoris in Italia nomen tenebat, obiit, eiúsque filius Lambertus Romam veniens diadema Imperij à Præsule Sedis Apostolicæ sibi imponi fecit, quod quomodo cum supra relatis ante biennium conuenire possit indicent istarum rerum periti æstimatores. Zuentibolchus quoque Marahensium Sclauorum Rex mortuus est, eiúsque regnum filij eius pauco tempore tenuerunt, Hungaris omnia ad solum vsque depopulantibus. Annales Metenses ex Reginone, vbi & de Hildegarde filia Ludouici Germaniæ Regis. *De Fulcone Remensi Præsule plura Flodoardus lib.* 4. *Calendis Maij in Synodo Cabilonensi, præside Aureliano Lugdunensi Ep. decretum, vt Gerfredus Monachus Flauiniacensis, qui Adalgarium Ep. Augustodunensem veneno necasse dicebatur in Synodo à Vvalone*

Episcopo celebranda, per Corpus Domini se purgaret; quod & factum est in primore S. Petri Flauiniacensis Ecclesiâ. Circa eadem tempora memoratur Turonensis Synodus de celebrando Festo Reuersionis reliquiarum S. Martini. Cosmas Bohemus narrat Zuentebolchum relicto diademate in eremiterio Monachum factum fuisse, eiúsque loco Bohemiæ Ducem electum fuisse Boringi, & baptizatum die 23. Iunij. Gregorio Dungaldi filio mortuo Scotis regnare incipit Donaldus V. Constantini II. filius.

Anno Christi DCCCXCV. *Caroli Simplicis* 3. *Synodus magna celebrata est apud Triburias contra pleróque sæculares, qui auctoritatem Episcopalem imminuere tentabant. Vbi* 26. *Episcopi cum Abbatibus Monasteriorum residentes, plurima decreta super statu sanctæ Ecclesiæ scripto roborauerunt. In illa Synodo, quam Moguntinam aliqui vocant, præside Attone Moguntino Arch. constituti sunt Canones* 58. *aclúmque de causâ Bremensis Ecclesiæ inter Adelgarium Bremensem, & Herimannum Colonien sem Episcopos, vt narrat Adam Bremensis in sua Historia Ecclesiastica. Posthæc Arnulfus Vvarmatiam venit, ibique Optimatibus ex omnibus suæ ditioni subditis sibi occurrentibus, Conuentum publicum celebrauit. In quo omnium assensu Zuentibolchum filium regno Lotharij præfecit. In eodem placito Odo Rex cum magnis muneribus ad Arnulfum venit, à quo honorificè susceptus est, omnibúsque impetratis, pro quibus venerat, cùm in Regnum reuerteretur, Fulconem Archiepiscopum & Adalongum Comitem mansionarij cum missis à Carolo ad Arnulfum xeniis venientes offendit, factóque in eos impetu sarcinæ direptæ, Episcopus fuga dilapsus, Comes verò mortali vulnere sauciatus in Trigorio in villâ, quæ dicitur Belthomus, sepultus est. Eodem anno Zuentibolchus collecto exercitu cupiens amplificare terminos regni sui, quasi Carolo aduersus Odonem laturus auxilium, Lugdunum Clauatum obsidione cinxit, sed frustra, adueniente enim cum copiis ex Aquitaniâ Odone in proprium regnum se recepit. Regino, Annales Metenses, &c. Excessit hominem Iordanus Proconsul siue Vicecomes, ex Chronico Lemouicensi. Ludelinus, seu Ludelmus Tullensis consecratus est Episcopus.* De Ordonij II. obitu æra 932. eiúsque fratris ac successoris Froilæ II. cui æra sequenti subrogatus est filius eius Alfonsus IV. consule Rodericum Sanctium, Ioannem Marianam, aliósque Hispaniæ Historiæ Illustratores. Saraceni Thessalonicam vastant, dum Leo Sapiens cum Bulgaris certat.

Anno Christi DCCCXCVI. *Caroli Simplicis* 4. Arnulfus

secundò Italiam ingressus Romam venit, & vrbem Romanam cum consensu Summi Pontificis armis cepit. Matrē Lamberti Agiltrudis, qui ad præsidium à filio relicta fuerat, cum suis latenter aufugit: Arnulfus ciuitatem Leoninam panico, vt ferunt, terrore delusam cepit, eámque ingressus à Formoso Papa ante confessionem sancti Petri coronatus Imperator creatus est: multis Sergianis qui Formoso infensi erant trucidari iussis, quæ cædes magnum Pontifici odium creauit, licèt eo inscio perpetrata fuisse dicatur. Agiltrudem deinde cum Lamberto Spoleti obsidet, verùm ex potione venenata, vt addunt, in paralysim lapsus, rem bene cœptam relinquere coactus est, & per vallem Trident. mense Maio in Baioariam reuerti. Regino, Sigebert. alij. Formosum Papam die tantùm 19. Decembris obiisse multi post Baronium scripsere: Verùm si quæ fides Annalibus Fuldensibus, & Hermanno Contracto, ipso Paschatis die recessit. Occupauit Romanam sedem per 15. dies Bonifacius quidam VI. Papa dictus, quem saltem à mense Augusto excepit Stephanus VI. aliis VII. vt constat ex diplomate illo, cuius meminimus in Chronico Technico post Catellum, dato die 20. Augusti Indictione 14. Arnulfi Imp. primo. Hic verò vir infamis ac furore percitus Nicolaus antea dictus Formosi cadauer sepulcro eductum, & per Aduocatum suæ responsionis depositum, foras sepeliri præcepit. Sunt qui post damnationem proiectum in Tiberim asserant. Vide Fuldenses Annales, Luitprandum libri 1. cap 8. qui malè tribuit Sergio, fortè per amanuensis incuriam aut memoriæ lapsum, quod huic Stephano assignatur in actis Concilij Rauennatis, quod Sigonius collocat an. 898. Baronium, & ex eo Spondanum, Caluisium, Gordonum, *&c.* *Albricus Comes qui Megingaudum occiderat à Stephano Valonis fratre interfectus est circa festiuitatem sancti Andreæ. Quod verò apud Reginonem additur de morte Lamperti filij Guidonis, & Ludouico filio Bosonis à Langobardis inuitato, ad posteriora pertinet tempora.* Andronicus Dux ab Imper. Leone missus Saracenos in Oriente vincit.

Anno Christi DCCCXCVII. *Caroli Simplicis 5. die 27. Martij in festo Paschæ Robertus Comes, & Abbas inclytæ Congregationis B. Martini Turonensis chartam edidit, in qua meminit Odonis à Deo electi Regis Domini, & Senioris ac germani sui, Roberti patris sui Co-*

mitis, & eiusdem loci Abbatis, Adhelaidis genitricis suæ, & Roberti Comitis aui sui. Zuentibolchus Treueros cum exercitu venit, & honores ac dignitates, quas Stephano, Odacaro, Gerardo, & Matfrido Comitibus abstulerat, inter suos diuidit, reseruatis sibi Monasterio Treuirensi dicto ad Horrea, & Monasterio S. Petri, quod Metis situm est. Post hæc patrem super vxore, quam accipere desiderabat, per Legatos consulit, cuius hortatu Ottonis Comitis, filiam Odam in coniugium exposcit, & post Pascha nuptias cum eâ celebrat. Eodem anno Arnulfus Vvarmatiæ placitum tenuit: ibique ad eius colloquium Zuentibolchus occurrit, quicum patris interuentu reconciliati sunt Comites Stephanus, Gerardus, atque Matfridus. Anno V. Præsulatus Fulconis Remensis Archiepiscopi translatus est sanctissimus Martyr Christi Dionysius ad Remensem vrbem in Ecclesiam, quæ modò dedicata est in honore eius, ibique moratus fermè per trium curricula annorum. Vide pag. 359. Nouæ nostræ Bibliothecæ. Regino multa subiicit de grauibus inimicitiis inter Rudolfum Ep. Wirtzburgensem, & Henrici Ducis filios Adalardum & Henricum. De Inscriptione Græca, quæ apud Gruterum extat, consule Chronicum Technicum.

Anno Christi DCCCXCVIII. *Caroli Simplicis 6. redintegrantis primo, à morte scilicet Odonis Regis, qui ægritudine pulsatus Feræ ad Isaram diem clausit extremum Ianuarij mensis tertium, cùm regnasset annos* 10. *cum octo circiter mensibus, & apud Sanctum Dionysium cum debito honore sepulturæ mandatus est. Principes autem in vnum congregati pari consilio, & voluntate Carolum super se constituunt, qui die septima Februarij Indictione* 1. *diploma concessit Sandionysianis Monachis, de quo ex Doubletio in Chronico Technico. Reginarius Dux fidissimus & vnicus Zuintibolchi consiliarius ab eo pulsus, & honoribus atque hæreditatibus, quas in eius regno habebat, spoliatus, Carolum Franciæ Regem Aquisgranum inducit, & Neomagum ac Prumiam. Zuintibolchus cum Francone Leodiensi Episcopo transmisso Mosa pugnam parat: verùm pace vtrimque iuramentis firmatâ Carolus in regnum reuersus est.* Subiicit Regino Ludouicum Bosonis filium fugato Berengario, post multa certaminum discrimina Romam ingressum, à Summo Pontifice coronatum fuisse in Imperatorem. Verùm hæc in biennium videntur omninò differenda. Eberardus Dux filius Meginardi à Waltgario Frisone filio Gerolfi, cùm venatum pergeret, dolo trucidatur. Ducatus, quem tenuerat, Meginardo fratri ab Imperatore commit-

committitur. De Ota siue Vta Regina absolutâ vide Fuldenses & Herman. *Obsidet Rollo Carnotum, verba sunt Chronici Fiscanensis pagina 325. Nouæ Bibliothecæ, sed Episcopus Vvasquelinus Ricardum Burgundiæ Ducem, & Ebalum Pictauensem Comitem in suum vocauit auxilium, & Camisiam sanctæ Mariæ in manibus tenens fugauit Rollonem. Nos in annum 911. cum pluribus aliis differendum arbitramur.*

Anno Christi DCCCXCIX. *Caroli Simplicis 7. redint. 2. Zuintibolchus colloquium habuit cum optimatibus tum Arnulfi Hattone Archiepiscop. Conrado, & Gebehardo Comitibus, tum Caroli Aschirico Episcopo & Odacaro Comite. Dein ad munitionem Durfos venit, quam nec viribus expugnare potuit, nec Episcopis persuadere, vt Ragenarium, Odacrum, & socios eorum anathematizarent. Richarius constituitur Abbas Prumiensis, Odilbaldo in Traiectensi Ecclesiâ substitutus est Ratboldus. Chronicon Andegauense pagina 285. Nouæ Bibliothecæ nostræ memorat prælium factum esse à Richardo Duce contra Paganos in pago Tornodorensi apud Argentolium cum victoria, & cæde Paganorum.* Arnulfus Imperator migrauit à sæculo die 29. Nouembris, vel vt alij 8. Decembris, cùm regnasset in Germania ab exauthorato patruo Carolo Crasso annis 12. sepultúsque est honorificè in Odingis, vbi & pater eius tumulatus iacet. Alij Arnulfum Ratisbonæ diem vltimum clausisse volunt, & in domo Emmeranni Martyris Christi à suis sepultum: in hoc verò insigniter peccant, quòd in annum sequentem Arnulfi obitum differant, Epitaphia verò eiusdem ac filij Ludouici, quæ exhibet Duchesnius Tomo II. pagina 585. à recentiore Poëta emanarunt. Luitprandus libri 1. cap. 9 Arnulfum, quem alij paralysi extinctum volunt, docet phthiriasi fuisse instar Syllæ atque Herodis consumptum: quod aliis etiam Principibus maximis contigisse referunt Historiæ. *Quod autem ad quædam Caroli Simplicis diplomata attinet à Catello relata, vide Chronicon Technicon, ac vel inde perpende sis, quanti ad Historiam scribendam conferat accurata temporum disquisitio. Rodulfo Comite pagi Cameracensis ab Heriberto Veromanduorum Comite in prælio occiso succedit filius Balduinus Breuis qui anno 973. valdè senex obiit.*

Anno Christi DCCCC. *Caroli Simplicis 8. redintegrantis 3.* Proceres, qui sub ditione Arnulfi fuerant ad Foracheim, siue Forchemiæ in vnum congregati, die vt volunt quarta Fe-

bruarij Ludouicum eiusdem Principis ex legitimo matrimonio filium vixdum septennem puerum Regem super se creant, & coronatum, regiisq; ornamentis indutum, in fastigio regni sublimant. *Interim Zuindibolchus, tum ob rapinas assiduas, aliaque scelera, tum quòd Ratbodo Treuericæ vrbis Episcopo baculum in caput impegisset, à suis Episcopis Optimatibúsque desertus, creato in Theodonis villa in Lotharingiæ Regem fratre eius Ludouico, cùm sua recuperare vellet, à Regni primoribus Stephano, Gerardo, & Matfrido, prope Mosam in prælio occiditur die 13. Augusti, & paullò pòst Gerardus Comes relictam eius vxorem in matrimonium sibi copulat. Zuindebolchus verò in Susterensi Virginum cœnobio in Ducatu Iuliacensi sepultus est, vbi duæ eius filiæ Benedicta & Cæcilia dicuntur fuisse Abbatissæ. Fulco Remensis Archiepiscopus factione Balduini Calui, Flandriæ Comitis, Balduini Ferrei, & Iuditha filij, à Vinemaro Lilerensi, Euerardo, & Ratfrido occisus est die 17. Iunij, ob contentionem de Abbatiâ sancti Vedasti Atrebatensis, vt pluribus docent Flodoardus libro quarto capite decimo, Annales Metenses ex Reginone, qui minus rectè ad annum 903. reuocant. Heriueus eius successor in Remensi Archiepiscopatu, filius Vrsi Comitis in Campania, & Berthæ sororis Hucbaldi Comitis, pridie Nonas Iulias, quo die ordinatus est, excommunicationem promulgauit in percussores illos sacrilegos, quam habes pagina 260. Chronici Technici, & apud Ducheſnium Tomo II.* Sedebat adhuc mense Septembri Indictione 4. Stephanus VI. seu VII. Pontifex, quantum colligi potest ex diplomate quodam sancti Vincentij ad Fontes Vulturni. Paullò pòst obiisse videtur idem Stephanus, qui post aliquot dies, quibus sedit Theodorus, exeunte Septembri successorem habuit Ioannem IX. patria Tiburtinum, professione Monachum, à quo Rauennatensis Synodus celebrata est sub Octobrem, cui Lambertus interfuit, & in ea eius coronatio confirmata. Illo autem paullo pòst è viuis sublato creditur Ludouicus Bosonis filius ab Italis aduersus Berengarium euocatus. Verùm hæc omnia apud Luitprandum, aliósque intricatissima sunt, nec sine ope monumentorum plurium illius æui, si quæ adhuc supersunt, in archiuis vel bibliothecis, possunt ad certos annos absque errandi periculo reuocari. Alfredo post regni annos 29. mortuo successit eius filius Eduardus per annos fermè 24. Angliæ Rex, quem anno demum seq. coronatum alij referunt. Theodericus per annos 88. Hollandiæ

Comes anno demum ætatis 125. mortuus, vt plerique Belgæ venditant, saltem valdè mihi suspectus est, ac tantumnon ἀποδολιμαῖος. Post Adelgisum Beneuentanos regit filius eius Aternulfus Dux, de quo Leo Ostiensis in Chronico Cassinati. Tarafa, Vasæus, Mariana, aliíque Hispanicarum rerum Auctores, exeunte hoc sæculo, vel sub initia sequentis collocant Ferdinandum Consaluum multis aduersus Saracenos trophæis inclytum, quem primum Castellæ Comitem anno circiter 930. indigetant, cùm pater eius Iudicis tantummodo appellationem tulisset.

DECIMVM ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM, IGNORANTIÆ SIVE TRIVM OTHONVM.

Ab anno Domini IESV 901. *M.* 4954. *Romæ* 1654. *ad annum Christi* 1000. *M.* 5053. *Romæ* 1753.

NONGENTESIMO PRIMO *Æræ Christianæ anno Caroli Simplicis* 9. *redintegrantis* 4. Hungari Langobardorum fines ingressi cædibus, incendiis, ac rapinis crudeliter omnia deuastant, & plurimos Episcopos Comitésque trucidant. Luidwardus Vercellensis Ecclesiæ Episcopus Caroli Crassi Imp familiarissimus & Consiliarius à secreto, assumptis secum thesauris fugiens super eos inscius incidit, direptísque opibus interficitur. Stephanus quoque Comes frater Walonis sagittæ toxicatæ ictu periit, vt docet Regino. Iidem barbari, victo ex insidiis Ludouico Germaniæ Rege, Bauariam, Sueuiam, Franciámque populantur. Nicolaus P. CP. depositus ablegatur in monasterium, substituto Euthymio Isaurico ad 10. annos. Leo Imperator coniuge tertiâ mortuâ quartam duxit, vnde ingentes apud Græcos turbæ. Kal. Iulij Ludouicus, Bosonis filius, vulgò dictus Cæcus siue Orbus, Imperator anno Imperij primo Monasterio Nonantulæ concessit Priuilegia, & statuta Regum Langobardorum atque Imperatorum etiam Lamberti confirmauit apud Sigonium libro 6. vnde patet iam obiisse Lambertum, & cum solo Berengario de coronâ certasse Ludouicum, de quo vide Luitprandum. Post Mutezadem anno Hegiræ 288. regnare cœpit filius eius Mustapha ad annos 7. sub quo vixit Tebeth filius Corah. De Ouetensi Concilio vide Baronium, ab eóque disces cur Ouetum Ciuitas Episcoporum dicta sit.

Anno Christi DCCCCII. *Caroli Simplicis* 10. *redintegrantis* 5. *Pictauis nocte ingressum fuisse Eblum docet Chronicon Malleacense MS.* Adalbertus cum fratribus suis Adalhardo, & Henrico

collectâ validâ manu aduersus Euerardum, & Rodulfum fratres ex castro Babenbergensi prosiliens ad pugnam processit, in quo certamine Henricus interfectus, Adalhardus captus, tum iussu Gebehardi decollatus, Euerardus multis vulneribus confossus, & paullo pòst defunctus, vt docent Regino, & Annales Metenses. Ludouici Bosonis filij Imperij anno 2. editum extat Papiæ diploma die 4. Idus Maij. Himerius Dux à Leone Imp. missus aduersus Saracenos mediterranei maris insulas deuastantes, egregiam de iis victoriam retulit 6. Octobris, de qua Curopalates, Cedrenus, alij. De Theoctista Lesbia consule Surium ad diem 10. Nouembris, ex Simeone Metaphraste.

Anno Christi DCCCCIII. *Caroli Simplicis* 11. *redintegr.* 6. *Leodiensis Ep. Franco obiit die* 9. *Ianuarij* 48. *Episcopatus sui anno, succedente Stephano, qui vitam S. Lamberti perpoliuit.* Diem quoque clausit extremum S. Grimbaldus Abbas Hidensis in Anglia. *Pridie Kalendas Iulij festo S. Pauli Apostoli, post obitum Odonis Regis anno sexto, & Roberti eius fratris Abbatis* 15. *succensa est iterum Basilica S. Martini cum* 28. *aliis Ecclesiis ab Heric, & Baret Normannis, vt habetur in Chronico Turonico. Hoc anno, verba sunt Chronici Andegauensis, Basilica B. Martini Turonensis illa, quam sanctus Perpetuus condiderat, cremata est tertiò, pridie Kal. Iulij, quam postmodum nostrâ ætate Herueus Thesaurarius reædificauit. Suni quoque qui Carnotum à Rollone hoc anno obsessum velint, & à Ricardo atque Ebalo fugatos victóque Normannos, sed longè satius est ista in annum* 911. *differre. Vide Fragm. Hist. Francicæ & Hugonis Floriacensis paginis* 338. *&* 347. *Tomi III. Coll. Ducheſnianæ: vbi mendosè dies XIII. Kal. Augusti dicitur Sabbaticus, cùm fuerit feria* 4. *Eodem anno destructa est à Normannis Douerensis Abbatia ad Carum fl. sita in diœcesi Bituricensi, quæ anno demum* 926. *restituta fuit, & collocata in Castro Virzionensi, ad confluentes Eurę & Cari: vt docuimus aduersus nostrates omnes Historicos in Appendice ad Elogium Historicum Biturice ciuitatis, & in Chronico Technico.* Adalbertus Rodulfum Ep. de Wirtzeburgensi fugat Ecclesia, eiúsque possessiones populatur Filios quoque Euerardi simul cum matre à propriis hæreditatibus, & honoribus Regio munere concessis exire compulit, teste Reginone, quem minus accuratè atque alienis oculis videtur legisse Caluisius, qui in pluribus aberrat, vt in morte Luitwardi, in excæcatione Ludouici

Imp. &c. Fugatum à Saracenis Himerij Ducis exercitum, & à Leone Philosopho Constantinum filium in Imp. coronatum hoc anno Græci memorant.

Anno Christi DCCCCIV. *Caroli Simplicis* 12. *redintegr.* 7. Ludouicus Bosonis filius Berengarium de Italia expulit, inquit Regino, atque omne illud regnum suæ ditioni subegit, dimissóque exercitu cum perpaucis Veronam ingressus est, adhortante Adhelardo illius vrbis Episcopo. Quod cùm ciues Berengario, qui exulabat in Baioariâ, summa cum festinatione notum fecissent, ille nihil moratus contractis vndique copiis Veronam venit, atque improuidum virum dolo cepit, & captum luminibus priuauit: sícque regnum Italiæ multis cædibus cruentatum infaustis præliis diu quæsitum mense Augusto obtinuit, cum priùs mense Maio Cometes apparuisset. Berengarius Ticini deinde Conuentu Præsulum Procerúmque celebrato leges nonnullas sanxit. Idem dicitur excussisse coronam Imperij Romæ à Ioanne Papa, qui postea in Synodis Romana & Rauennatensi eam abiudicarit tanquam illegitimam. Verùm Baronij aliorúmque valdè impedita est in omnibus istis sententia, præsertim cùm constet defunctum iam fuisse Lambertum. *De fame magna per totam Galliam Hugo Floriacensis in Chronico;* De Eclipsi Lunæ Kalendis Iunij feria 6. Cedrenus, & alij Græci.

Anno Christi DCCCCV. *Caroli Simplicis* 13. *redint.* 8. *Conradus Comes filium suum Conradum misit cum armatorum non modica manu, vt irruerent super Gerardum, & fratrem eius Matfridum, qui possessionem sancti Maximini, & sanctæ Mariæ ad Horrea violenter inuaserant: cúmque peruenissent in pagum Blesiacum omnia vastantes, Gerardus & Matfridus pacem missis Legatis petierunt, quâ concessâ, datis ex vtráque parte sacramentis, vsque in Octauas Paschæ exercitus ad propria discessit.* Adalbertus verò aduersus Conradum seniorem in Hessia, cuius frater Gerardus in Wederauiâ morabatur, cum copiis irruit, eúmque cum pluribus aliis interfecit die 27. Februarij seu III. Calendas Martij, dein cum ingenti prædâ ad Babenberg castrum reuersus est. Conradus verò sepultus est in castro Wileneburg. Circa Iulium mensem Ludouicus Germaniæ Rex Conuentum generalem celebrauit apud Triburias villam Regiam, ad quem iussus adesse Adalbertus parere noluit, ideóque obsessus in castro Tetrassa,

cùm Egino eius indiuiduus comes ab eo defeciſſet, & ipſe dolosè poſitis armis vltrò ſe Regi obtuliſſet, omnibus adiudicantibus, capitalem ſententiam ſuſcepit die 9. Septembris. *Compoſitis in Francia Orientali rebus, idem Rex Ludouicus Mediomatricum venit, ibique in publico conuentu Gerhardum atque Maifridum proſcriptione damnauit. Inde regreſſus Stratzburgenſem vrbem adiit, ciuibúſque cum Epiſcopo reconciliatis, & Rheno tranſmiſſo in Alamanniam perrexit. Per id tempus Baltrannus Strazburgenſis, & Luidhelmus Tullenſis Præſules migrauerunt à ſæculo, illique ſucceſſerunt Otbertus & Drogo. Hucuſque Regino, cuius Chronicon ab anno 907. vſque ad annum 967. Anonymus quidam continuauit. Hepidannus ad annum 906. docet Adalbertum decus Francorum obiiſſe, ex quo fortè colligi poteſt duos annos apud Reginonem in vnum coaluiſſe. Sed de his ſatis, vbi monuero in præfatione ad Adalberonem Treuirenſem Archiepiſcopum expreſſis verbis contineri exordium cepiſſe à primo Incarnationis anno, & conſummaſſe cœptum opus vſque ad an. 908.* Ioannem IX. Papam hoc anno mortuum ſucceſſorem habuiſſe Benedictum IV. cum Baronio aliíſque monuimus in Chronico Technico. Berengario rerum potiente poſt excœcatum Ludouicum, Hungari in Italiam irrumpunt Martio menſe, inquit Luitprandus libri 2. cap. 4 Donaldo Scotiæ Regi ſuccedit Conſtantinus III. ad annos 40. qui Anglis fortiter reſtitit. *Adicio ſiue Adacio Biturigum L. Epiſcopo mortuo ſubrogatus fuit Madalbertus ad annos 3. menſes 8. & 10. dies, ex Catalogis, & Hiſtoricis Noſtratibus, ſeu potius ad annos 5. ſiquidem Teſtamento Vvillelmi Pij ſiue Fundationi Cluniacenſis Abbatiæ ſubſcripſerit anno 910. Vitæ B. Maurilij inuentio, vel potius augmentatio per Rainonem Epiſcopum, & Archanaldum ſcriptorem facta eſt.*

Anno Chriſti DCCCCVI. *Caroli Simplicis* 14. *redintegr.* 9. Benedicto IV. Papæ per aliquot menſes ſucceſſit Leo V. diebus 40. tum Chriſtophorus, cui iam à menſe ſaltem Iulio, certè ante Kal. Auguſti ſucceſſerat, Sergius III. qui olim cum Formoſo Papa contenderat, vt docuimus ex veteri inſcriptione in Chronico Technico. Extat charta Chriſtophori Papæ pro Corbeienſi monaſterio, quæ ſi verè data eſt 7. Kal. Ianuarij Indict. 7. per manum Sergij Scriniarij Ludouico imperante, *&c.* turbatos oſtendet Baronianos epilogiſmos. Ludouicus Rex Germaniæ in Comitiis Rotwilæ habitis ritum manumiſſionis per excuſſionem denarij de manu inſtituit die 31.

Maij Indict. 9. De Theodorâ Adalberti Marchionis Tusciæ scorto, eiúsque filia Marozia matre Ioannis, qui dictus fuit Pontifex ordine XV. vide Baronium, aliósque.

Anno Christi DCCCCVII. *Caroli Simplicis* 15. *redinteg.* 10. *facta est donatio Corbiniaci, & Pontigonis fiscorum Regiorum Fr. de-runæ Reginæ nomine dotis, de qua in Chronco Technico.* Bauari cum Hungaris congressi multa cæde prostrati sunt, in qua congressione Luitbaldus Dux occisus est, cui Arnulfus filius in Ducatu successit, ex App. Reginonis. Ex Lamberto verò Schafnaburgensi Ludouicus Rex profectus dicitur in exercitu aduersus eosdem Barbaros Bauariam vastantes, continuóque cum iis trium dierum prœlio attritus, in quo Leopoldus Austriæ Dux cum multis nobilibus perierit. Consulendus quoque Marianus Scotus, aliique.

Anno Christi DCCCCVIII. *Caroli Simplicis* 16. *redint.* 11. *Ludouicus Rex die* 28. *Ianuarij diploma in confirmationem prædiorum Leodicensis Ecclesiæ concedit Stephano Leodicensi Episcopo, in quo nominantur Berengarius Comes Lomensis, & Albuinus Comes Traiectensis ad Mosam. Sunt quoque qui hoc anno velint editum Testamentum Guillelmi Pij, Aquitanorum Ducis, de quo post biennium dicemus, & Madalberto Bituricensi Archiep. successisse Gerontium, qui obiit anno demum* 948. *In Archiuis Ecclesiæ Auenionensis extat charta in qua fit mentio Remigij Episcopi Auenionensis & Theoberti Comitis: quam recognouit Bernerius Notarius ad vicem domni Alexandri Archicancellarij* 14. *Kal. Nouembris anno* 7. *regni Ludouici Augusti Indictione XI. Viennæ. Aliud quoque præceptum vidi in quo idem Imp. meminit Manassæ Arelatensis Archiepiscopi sui propinqui, eiúsque prædecessoris Rostagni, tum genitoris sui Bosonis, atque Abbatiarum Anianæ, sanctæ Mariæ de Gordanicis, & de Crudatis, &c. Videtur autem annus* 20. *Imperij perperam adscriptus.* Hungari iterum terminos transgressi Saxoniam, & Thuringiam vastauerunt. Mustaphæ Babyloniorum Amiræ, Ægyptiorum victori, succedit anno Hegiræ 295. Muctedar filius ad annos 25.

Anno Christi DCCCCIX. *Caroli Simplicis* 17. *redintegr.* 12. *Concilium Trosleianum ab Heriueo Remensi Arch. eiúsque Suffraganeis celebratum fuit in pago Suessionico die* 26. *Iunij. Extat Tomo III. Conciliorum P. Sirmondi Præfatio cum adlocutione Heriuei, & quindecim capitibus bene longis.* Hungari Alemanniam vastant: tum Burchardum Landgrauium Thuringiæ in prœlio occidunt,

cuius

cuius ſucceſſor fuit Otto Saxonum Dux. Vide Reginonis Append. & Lambertum. De Calecutenſium Æra conſule Scaligerum, Caluiſium, aliósque recentiores Chronologos.

Anno Chriſti DCCCCX. *Caroli Simplicis* 18. *redintegr.* 13. Lamberti Imp. Guidonis filij ab Hugone Comite Mediolanenſi in venatione occiſi mortem quidam referunt cum Baronio, & Berengarij in eius locum ſubſtitutionem. *Vuillelmus Pius Aruernorum Comes, & Dux Aquitaniæ, Cluniacenſis Monaſterij fundationem ſub Bernone Abbate in Biturică ciuitate condidit, cui ſubſcripſit Madalbertus Archiepiſcopus, quem hoc vel ſeq. anno excepit Geroncus ad annos* 38. *non* 40. *vt vulgò.* Alfonſus Magnus ob crebras de Saracenis victorias dictus Legionis Rex coactus à Garſia maiore natu filio abdicat ſe regno poſt annos 40. Minor natu Ordonius Galleciæ regnum obtinuit annis 12. cum dimidio, vt pluribus Ioannes Mariana. Franci in confinio Bauariæ, & Franciæ Hungaris congreſſi victi ſunt atque fugati, occiſo Gebelhardo Comite, cuius filij Vdo & Hermannus, qui clari ac nobiles poſtea exſtiterunt. Sergio III. Papæ ſuffectus eſt Anaſtaſius III. *Errat Miræus qui Ludouicum Germaniæ Regem, Hemma coniuge ſua petente, Vuaſdam ſeu Vaſiam Theoderico I. Hollandiæ Comiti dediſſe ſcripſit: Nam vt cætera omittam, quæ aliàs in medium protuli, vxor Ludouici huius, non Hemma appellata eſt, ſed Luidgarda ſoror Brunonis, & Magni Ducis Oddonis, ac Liudulfi filia, qui Romam profectus tranſtulit in Saxoniam reliquias S. Innocentij Papæ, vt quidem narrant Annales Metenſes, vel eorum Appendix.*

ANNO ÆRÆ CHRIST. DCCCCXI. *Caroli Simplicis* 19. *redint.* 14. *ex Chronico Bezuenſi, Malleacenſi, aliiſque die* 20. *Iulij in ſabbato, cùm obſiderent Normanni Carnotenam vrbem, & iam penitus eſſet capienda, ſuperuenientes Richardus, Iuſtitiæ nomine inſignis, Burgundionum Dux, & Robertus Odonis frater Francorum Dux cum ſuis, Dei auxilio, & B. Virginis patrocinio roborati, ſtragem maximam paganorum fecerunt, vt diximus in Chronico Technico, vbi etiam nonnulla obſeruauimus de cæde Arnulfi Arch. Narbonenſis, & de Agio eius ſucceſſore, de quibus plura Catellus in Landgothicis.* Leo VI. Imp. Orientis Sapiens, vel Philoſophus appellatus, alui profluuio mortuus eſt die 11. Iunij feria 3. Pentecoſtes, cùm imperaſſet annos 25. menſes 3. & dies 12. ab obitu Baſilj patris: ſucceſſit frater Alexander menſibus 13. dumtaxat. Hic Euthymio

P. CP. depoſito, in eius locum ſuffecit Nicolaum, qui ante decennium fuerat à Leone abdicare iuſſus, Myſticus dictus. Orſonus Venetorũ Dux Petri ſucceſſor hoc anno memoratur.

Anno Chriſti DCCCCXII. *Caroli Simplicis* 20. *redinteg.* 15. *à maiori indepta hæreditate primus: cùm enim Ludouicus III. Germaniæ Rex, ſiue, vt plerique vocant etiam Imperator, quamuis à nullo vmquam Pontifice coronatus, vix* 19. *annos natus, Orientalis, & Mediana ſeu Lotharienſis Franciæ Principem vocat* Chron. *Leod. Arnulfi Imperatoris filius, abſque liberis obiiſſet die* 21. *Ianuarij, poſt regni annos* 12. *cum diebus aliquot: & Germani Tranſrhenani Regali Caroli Magni ſtirpe deficiente, Conradum Franconiæ Ducem ſibi elegiſſent in Regem filium Conradi ab Adalberto occiſi, ipſe Carolus Lotharienſe regnum ingreſſus, illud ſibi ſubiecit. Idem Roberti conſilio vſus Rollonem Normannorum Ducem per Francenem Rothomagenſium Archiepiſcopum, cuius ſalutaribus verbis fuerat mitigatus, ad colloquium inuitauit, deſponſauítque illi filiam ſuam Giſlam, conceſsá pariter terrâ, quæ nunc Normannia nominatur, à fluuio Andellá vſque ad Oceanum mare, & metas ei Aruam fluuiolum poſuit. Baptizatum verò Rollonem præfatus Robertus à ſacro latice leuauit, & imponens ei ſuum nomen, magnificis eum muneribus honorauit. Rex quoque adiecit donationi priùs factæ totam Britanniam, vt per hoc etiam beneficium efficeret illum ſibi fideliſſimum Vaſſallum. Quibus patratis Rollo, qui & Robertus, poſt paucos dies (de anno mortis non conſtat) longâ militiâ fatigatus, & ſenio prægrauatus deceſſit anno, vt ferunt, Ducatus* 42. *relinquens filium Guillielmum, cui cognomen fuit Longa-Spatha, ſibi ſucceſſorem. De iis plura dabunt Dudo Decanus ſancti Quintini, Vvillelmus Gemeticenſis, Ordericus Vitalis,* Chronicon *Turonicum pag.* 360. *vbi cur Normanni Bigothi dicti, Fragmentum Hiſtoriæ Francicæ pag.* 339. *Tomi III.* &c. Hungari iterum nullo reſiſtente Franconiam, & Thuringiam vaſtauerunt. *Hatto Archiepiſc. Moguntinus obiit, vir ſtrenuus, & prudens, ſuccedente Heringero.* Otto Dux Saxonum diem clauſit extremum, cùm oblatum ſibi Germaniæ regnum excuſatione ſenilis ætatis repudiaſſet. Non deſunt tamen, vt mox dicemus, qui mortem eius in biennium differant. Anaſtaſio III. Papæ mortuo poſt ſedem annorum duorum totidémque menſium Lando ſucceſſit, qui eodem anno obiit die vigeſima-octaua Decembris. Alexander Orientis Imperator Leonis frater, cùm imperaſſet menſes vndecim, & dies 27. profluuio ſan-

guinis ex omnibus corporis partibus erumpentis deceſſit die 7. Iunj. Succeſſit ex fratre nepos Conſtantinus Porphyrogeneta eo nomine 8. ſeptennis puer, regnauítque cum Zoe matre, deinde cum Romano Socero eiúſque filiis, ac ſolus, annos 49. Conſtantinus Ducas aduerſus eum rebellat, ſed apprehenſus paullo pòſt malè periit: nec Simeoni Bulgarorum Principi profuit obſediſſe C P. ciuitatem, vt docent Curopalates, Cedr. Zonaras, *&c.* Poſt Abdallam Saracenorum in Hiſpaniâ Principem Abderamem, dictus Almanſor, ſucceſſit ad annos 50. *Errat poſt Sigebertum, & quoſdam alios Miræus, qui hoc anno mortem aſſignat Bernonis ex Abbate Gigniacenſi Cluniacenſis cœnobij, & inſtituti auctoris, cui in Cluniaco ſucceſſit Odo. Quod enim ſupereſt Bernonis Teſtamentum, ac ſimilia venerandæ vetuſtatis monumenta, alia omnia ſuadent. Notkerus verò Magiſter obiit, teſte Hepidanno, cui iungere poſſumus Hermannum, qui Rodulfum inſuper I. Burgundiæ Tranſuranæ Regem deceſſiſſe docet, ſuccedente Rodolfo II. eius filio ad annos 25. Errant quoque qui ex Iuone Carnotenſi Epiſcopo ad hunc annum reuocant Synodum Confluentinam matrimonia vſque ad ſeptimum gradum prohibentem, de qua dicemus anno 921.*

Anno Chriſti DCCCCXIII. *Caroli 21. redint. 16. & in regno Lotharingiæ 2. Bronienſe cœnobium inchoatum fuit à S. Gerardo, vt docet Sigebertus. Ingelbergam Vuillelmi Pij Aquitanorum Ducis vxorem ſororem fuiſſe Ludouici Orbi Prouinciæ Regis, & Romanorum Imperatoris docet charta, quam vulgauimus in Chronico Technico. Carolus Simplex Egmondam donat Theoderico qui I. dicitur Hollandiæ Comes. Diploma Ragineri pro Treuirenſi S. Matthiæ Monaſterio à Baronio vulgatum ſuſpectum ſibi eſſe fatetur Miræus.* Luitprandus libro 2. cap. 7. narrat anno 2. Conradi Henricum Saxonum, & Thuringorum Ducem, alióſque Germaniæ Principes defeciſſe: de qua defectione ad annum ſeq. hæc annotauit Sigebertus: Contra Conradum Regem potentiores regni principes rebellionem meditati, ſcilicet Arnoldus de Baioaria, Burchardus de Sueuia, Euerardus de Francia, Giſilbertus de Lotharingia, & horum omnium præcellentior Henricus Dux de Saxonia & Thuringia, tam ſapientiâ, quàm fortitudine Regis ad gratiam eius reducuntur. Solus Arnoldus ad Vngaros cum vxore, & filiis fugiens, vſque ad mortem Regis ibi manſit. Hiems maxima nimis, inquit App. Reginonis, Hungari partes Alemaniæ vaſtauerunt, & iuxta fluuium OEnum,

siue Innum, à Bauaris & Alamannis occisi sunt. *Eodem anno Euerardus Spirensis Episcopus ab Eruenado & Carolo Comitibus cæcatus est. Occisus quoque Otbertus Straßburgensis Ep.* Ioannes Papa X. ex Rauennatense Ecclesiâ translatus in Romanam sedem fuit die 24. Ianuarij ad annos 15. cum tribus circiter mensibus. Simeon Bulgariæ Princeps Thraciam vastat, & Hadrianopolim captam numerata à Græcis pecunia restituit. Garsiæ mortuo succedit frater Ordonius ad annos 9. cum dimidio, qui primus Oueto Legionem perhibetur transtulisse regni sedem.

Anno Christi DCCCCXIV. *Caroli 22. redint. 17. amplioris hæred. 3. Salomon Ep. captus scribitur ab Hermanno & App. Reg. Hattonem Arch. Moguntinum ante biennium mortuum, superstitem adhuc cum suo Auentino nobis exhibet Caluisius, lepidámque fabulam de monili parato ad capiendum Henricum Ducem texit. Charta S. Martini Turonensis data Kal. Iunij sic incipit: Nos Robertus Abbas, & filius noster Hugo, cui post nos cum Seniore nostro Rege Karolo omnes honores impetratos habemus*, &c. Otto Saxonum Dux Luitpoldi Ducis & Odæ filius obiit die 14. Nouembris, relicto ex Hadwige filio Henrico Aucupe dicto, qui post Conradum postea Germanis imperauit. Athenulfo Duci Beneuentano succedit Landulfus filius. Pax cum Bulgaris componitur opera Nicolai P. CP. qui vnus erat ex tutoribus Constantini.

Anno Christi DCCCCXV. *Caroli 23. redint. 18. amplioris hæred. 4. Indict. 3. die 25. Augusti diploma concessum fuit, Stephano Leodiensi Episcopo, & Raginero Marchione petentibus. Hunc verò hoc circiter tempore constat à Carolo Francorum Rege Lotharienſi regno præfectum, alij tamen ad anteriora tempora referre malunt. Synodus Cabillonensis in Ecclesia S. Marcelli celebrata perhibetur à tribus Archiepiscopis, totidémque Episcopis, in qua Roculfus Comes Matisconensis, cùm res illius Ecclesiæ peruasisset, intentatæ, vt pareret, excommunicationis metu ablata restituere coactus est, vt pluribus Petrus à S. Iuliano. Balduinus Comes Flandrensis, & Aınardus Ep. Nouiomensis ac Tornacensis, corpus S. Gerulfi ex Merendrâ Truncinium prope Gandanum transferunt, inquit ex Meycro Miræus, qui pro more cramben sæpius recoctam de Hannoniæ Comitibus apponit Lectoribus.* Berengarius senior Italiæ Rex iterum, vt volunt, mense Septembri huius anni coronatus fuit Imperator à Ioanne X. Papa, vt quædam arguunt diplomata apud Sigonium libro 6. de Re-

gno Italiæ. *Chronicon Rothomagense à nobis editum pag. 365. Nouæ Bibliotheca testatur relatum fuisse B. Audoenum de Francia in Normanniam.*

Anno Christi DCCCCXVI. *Caroli 24. redint. 19. amplioris hæred. 5.* die 5. Aprilis visa est Eclipsis Solis, post quam paucis diebus contigit prælium celeberrimum in Hispaniâ, quo Raniniro Duce 70. millia Saracenorum ceciderunt, eorúmque Princeps Almansor, vix cum 20. equitibus aufugit. Hungari vastatis Alemania, Thuringiâ, atque Saxoniâ, Bremensem inter cæteras Ecclesiam concremarunt, & Fuldam vsque peruenerunt, vt docent Adam Bremensis lib. 1. cap. 46. & Appendix Reginonis. Arnulfi fugam è Baioaria ad Hungaros, & obsidionem Ratisbonæ quidam in hunc annum differunt, docéntque præterea Sueuiæ Duces ob rapinas, & sacrilegia, petente Conrado Rege, fuisse à Romano Pontifice excommunicatos die 20. Octobris. Saraceni, inquit Sigebertus à Fraxineto, & Gareliano monte exeuntes Calabriam, Apuleiam, Beneuentum, Romanorum quoque vrbes ita occupant, vt vnamquámque mediam Romani, mediam Saraceni tenerent, & grauissimè Italiam premerent. Est tamen qui ex Leone Ostiensi, Luitprando, Sigonio, Baronióque contendat hoc anno Saracenos, qui in Italia Garilianum castrum tenebant, tandem à confœderatis Christianis Græco Imperatore, Romano Pontifice, & Berengario, pænè omnes ad vnum cæsos fuisse. Quod examinandum seueriùs aliis permitto.

Anno Christi DCCCCXVII. *Caroli Simplicis 25. redint. 20. in regno Lotharij 6. Hungari Basileam vrbem destruunt, & per Alsatiam, vsque in fines Lotharienses regni peruenerunt. Sanctus Ratbodus Ep. Vltraiectinus obiit Dauentriæ ad Isalam sepultus, de quo videndus Trithemius.* Erchangerus Dux & Bertoldus germani fratres quòd contra statuta publicæ pacis Salomonem Ep. cepissent decollati sunt die 21. Ianuarij, vt docent Hermannus Contractus, App. Reg. alij. *Ebbo vir nobilissimus in Bituigibus ad Angerim fluuium cœnobium B. Mariæ Dolensis fundat die 2. Septembris, diplomate in Biturica ciuitate signato, præsentibus Vvillelmo Comite, Gerontio Archiep. &c. vt in Chron. Techn. monuimus ex pag. 505. & seqq. nostrorum Miscellaneorum. In fragmento Historiæ Francicæ pag. 335. Tomi III. minus appositè dicitur Ebbo Castelli Rodulfi Dominus: cùm certum sit ab eius dumtaxat filio post parentis obitum ædi-*

ficatum fuisse Castrum-Radulfi. Rollonem Ducem Normanorum hoc anno mortuum pleráque Chronica referunt. Sed vide Tabulas Genealogicas Pariũ Franciæ. Constantini Porphyrogennetæ Duces Bulgaros vincunt die 6. Augusti, dúmque victoriâ abuntur ab iisdem vicissim cæduntur, ipsáque C P. à barbaris fuit obsessa, vt Cedrenus, aliíque docent. *Concilium in pago Rhætiæ Altaheim celebratum dicitur, præsente Nuntio Apostolico Ioannis X. Initium Chronicæ Flodoardi, inquit Auctor Chronici Andegauensis à nobis editi pag. 285. Nouæ Bibliothecæ.*

Anno Christi DCCCCXVIII. *Caroli 26. redint. 21. amplioris hæred. 7. Balduinus II. dictus Caluus Flandrensium Comes Gandaui obiit die 2. Ianuarij, & in Blandinio sepultus est, relicto successore Arnulfo Magno. S. Gerardus Bronien'e cœnobium in pago Namurcensi dicitur fundasse. Sigebertus tamen anno 913. adsignat, & iam ab anno 915. obseruat translatum fuisse corpus B. Eugenij ad monasterium Bronien'e in diœcesi Leodiensi per S. Gerardum dicti mon. fundatorem, & Abbatem, à monasterio Sancti Dionysij in Francia. De Hattone Moguntino Arch. multis ad hunc annum idem Chronologus, & de victoria Henrici Ducis Saxonum aduersus Conradi milites, in quos tantâ cæde Saxones debacchati perhibentur, vt à mimis declamaretur, vbinam esset tantus ille infernus, qui tantam cæsorum multitudinem capere posset. Quarto Idus Aprilis hoc vel seq. anno Lambertus Vicecomes & Arnaldus frater eius gladio sunt trucidati, vt testatur Chronicon Engolismense.* Missale Mozarabum in Hispaniâ olim receptum hoc anno Romæ emendatum fuisse in formula consecrationis docent Annales Ecclesiastici.

Anno Christi DCCCCXIX. *Caroli 27. redint. 22. amplioris hæred.* 8. Conradus è Franconiæ Duce Germanorum Transrhenensium Rex, siue, vt Germanis appellare volupe est, Imperator, obiit die prima Iulij (sunt tamen qui 23. Decembris assignant huius aut superioris anni, cum Caluisio, Miræo, &c.) & sepultus est in Fuldensi cœnobio cùm reg. an. 7. *In eo defecisse progeniem Caroli, inquit Hermannus in Chronico.* Virili certè prole caruisse testatur Eckehardus. Successit Henricus I. dictus Auceps, Othonis Saxonum Ducis filius, ex Wilikindi, vt ferunt, genere oriundus. De eius electione plura dabunt Witikindus Mon. lib. 1. Annal. Appendix ad Annales Metenses pag 332. Tomi III. Historicorum Franciæ, Lambertus Schafnab. Marianus Scotus, Luitprandus lib. 2. cap. 7. Ap-

pendix Reginonis, Abbas Vrspergensis, Sigebertus, Trithemius, Hepidannus, Chronicon breue S. Galli, Hildesheimense, &c. *De Testamento Heriuei Æduorum Episcopi, & chartâ Briuatensi pauca in Chron. Tech. Remis, inquit Flodoardus in Chronico, cuius reliquiæ, quæ supersunt, ab hoc anno procedunt, cecidit grando mirabilis ouum gallinæ superans magnitudine,* &c. *Nordmanni omnem Britanniam in Cornu-Galliæ sitam depopulantur, abductis, venditis, vel eiectis Britonibus. Vnde suspicor hoc vel seq. anno, audita fama fundati Dolensis cœnobij, ad Ebbonem venisse cum sacris reliquiis Abbatem Monachósque sancti Gildasij, de quibus plura leges in Bibliotheca Floriacensi, & nostratis Historiæ monumentis. Chron. S. Michaëlis pag.* 350. *Nouæ Bibliothecæ an. seq. refert omnem Minorem Britanniam vastatam à Normannis, cunctis occisis, vel eiectis Britonibus, & tunc asportata fuisse corpora Sanctorum, qui erant in Britannia in diuersas terras. Hungari aliam* (sic enim legendum est, non Italiam, vt habent Pithœana ac Ducheſniana editiones) *partem Franciæ, regnum scilicet Lotharij, deprædantur.* Ordonius Legionensis Rex è Gallecia Saracenos eiecisse dicitur, alij verò ad an. seq. annotant Ramirum eius patrem repetito bello Maurico strenuè se gessisse, & post Matritum municipium euersum victoriam ad Vxamam deinde ad Talaueram cum Castellæ Comite reportasse, tum æra 958. defunctum successorem habuisse Ordonium III. Sed de iis consulendi Rodericus, Alfonsus, Mariana, &c. Romanus Lecapenus Patricius, cuius filiam Constantinus Imperator Orientis vxorem suam in Paschate iusserat Augustam coronari, die 11. Decembris, vel in ipsis Christi Domini Natalitiis, Augustus renuntiatus fuit, eiectâ Zoe Constantini matre, & in monasterium detrusâ: vt docent Curop. Cedr. Zon. alij.

Anno Christi DCCCCXX. *Caroli* 28. *redint.* 23. *amplioris hæred.* 9. Henricus in Germaniæ Regem electus consensu Francorum, Alemanorum, Bauarorum, Thuringorum, & Saxonum, initium regni sui disciplina seruandæ pacis inchoauit. Multi enim illis temporibus etiam nobiles latrociniis insudabant, ex App. ad Reginonem. Idem Rex contra Arnulfum ab Hungaris regressum cum exercitu in Baioariam profectus, cum virtute & sapientiâ suâ ad gratiam inflexit, addens ei ordinationem Episcoporum totius Baioariæ, inquit Sigebertus, quo teste etiam discimus inflexum fuisse Bur-

chardum Ducem Alemaniæ bello deterritum, de quo plura Schafnaburgenſis. *Comites Franciæ penè omnes apud vrbem Sueſſionicam Carolum deſerunt, quòd Haganoni cuidam conſiliario ſuo nimiùm addictus, cæteros ſpernere videretur. Is verò tum Alſatiam & Franciæ partes iuxta Rhenum vſque Moguntiam ſibi vſurpaturus vſque Paternichenum, villam iuxta Vvormatiam hoſtiliter peruenerat, vt docet Appendix ad Reginonem. Heriueus Remorum Archiep. poſt ſeptem menſes conciliatis Roberto, aliiſque Principibus, Regem regnoreſtituit, & ad recipiendum Macerienſe Epiſcopij ſui caſtellum ſuper Moſam, quod Erlebaldus Comes pagi Caſtricenſis cum Altomonte, aliiſque occuparat, contendit. Stephano Leodienſi Ep. mortuo grauis de eius ſucceſſione contentio orta eſt inter Hilduinum, & Richarium Abbatem Prumienſem. Hermannus Archiepiſcopus Hilduinum eligente Clero ac populo, fauente necnon Giſleberto Ragineri filio, quem plurimi Lotharienſes principem relicto Carolo Rege delegerant, ordinauit. Carolus verò reuerſis ad ſe Lotharienſibus, & ipſo Giſleberto, Epiſcopatum Richario conſenſit. Remis in monaſterio S. Petri ad Portam Baſilicarem cereus, quem poſuerant ciues, qui ad viſitanda Apoſtolorum limina profecti fuerant, ter igne cæleſti accenſus eſt. Addit plura Flodoardus de puellâ Oſannâ, & melle in ſpicis inuento.* Romanus Lecapenus vxorem ſuam Auguſtam coronauit in die feſto Purificatæ Virginis, filium verò Chriſtophorum in conſortium imperij die Pentecoſtes aſſumpſit. De diſſenſionibus apud Græcos per ea tempora conſule Baronium.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCCXXI. *Caroli Simplicis 29. redint. 24. ampl. hæred. 10. Rodulfus Epiſcopus Montis Lauduni moritur, cui ſuccedit Adelelmus ab Heriueo ordinatus. Synodus eodem Heriueo præſide apud Troſleium habita eſt, in quâ flagitante Rege Erlebaldus Comes Caſtricenſis rerum Eccleſiaſticarum peruaſor poſt mortem à vinculo excommunicationis, quam incurrerat, abſolutus eſt, vt docet in vtroque opere Flodoardus. Qui in Chronico addit I. mortuum fuiſſe (Kalendis Septembribus) Richardum Marchionem, ſiue Ducem de Burgundiâ, qui Iuſticiarius vulgò dicebatur, & Regi Carolo fideliſſimus ſemper extitit, de quo plura in Bezuenſi Chronico, apud Hugonem Floriacenſem, alióſque, qui referunt obiiſſe Kal. Septembribus, & ſepultum fuiſſe Senonis in baſilica S. Columbæ Virg. & Mart. II. Carolum in regnum Lotharij abiiſſe, receptíſque per vim quibuſdam Ricuini infidelis ſui præſidiis, & facta pactione vſque ad miſſam S. Martini*

tini cum Henrico principe Transrhenensi, in montem Lauduni reuersum esse. III. Rotbertum Comitem Nortmannos, qui Ligerim fluuium occupauerant, per quinque menses obsedisse, acceptísque ab eis obsidibus, Britanniam quam vastauerant ipsi cum Nannetico pago concessisse. IV. Erluinum Beluacensem Ep. obiisse. V. Carolum iterùm pacem cum Henrico firmasse. Extat editum à Sirmondo, Ducheſnio, Miræo, aliísque pactum prope Bonnam in medio Rheni inter Carolum Franciæ & Henricum Germaniæ Reges initum Indict. 9. feria 3. die 7. Nouembris, de quo & de chartâ Fossatensi consule Chronicum Technicum. In eodem obseruauimus mendosè, apud Iuonem Carnotensem, Binium, Gordonum, alióque ad annum 912. reuocari Concilium apud Confluentiam iussu Principum Caroli & Henrici ab Episcopis 8. celebratum hoc ipso anno 921. mutatis temerè numerorum notis vulgaribus. De Vvicberto siue Guiberto primo Gemblacensis cœnobij fundatore multa ad hunc annum Sigebertus in Chronico. Et de Ziptineo Duce Bohemiæ ad fidem Christi conuerso, cui succeſſit poſt Watiſlaum filium nepos Wenceſlaus ſanctitate præclarus. Promulgatum eſt CP. Edictum Vnionis ad tollendum ſchiſma de Trigamia ab aliquot annis occaſione Leonis Imperatoris Philoſophi exortum, decretúmque non licere matrimonia poſt tertiam vicem iterare, vt pluribus Baronius.

Anno Christi DCCCCXXII. *Caroli Simplicis* 30. *redint.* 25. *amplioris hæred.* 11. *ob persecutionem Gisleberti & Ottonis, regnum Lotharien. e rapinis sacrilegiis atque incendiis vastatur. Richarius, qui Romam profectus fuerat propter Episcopium Tungrense, seu Leodiense, reuersus est ordinatus à Ioanne Papâ Episcopus, Hilduino ab ipso Papá excommunicato. Drogo Tullensis Episc. moritur, cui succeſſit Goſlinus. Berengario Langobardorum Imperatore regno ab Optimatibus suis deturbato Rodulfus Cisalpinæ Galliæ, siue Burgundiæ Transiuranæ Rex, ab ipsis in regnum admittitur, & Hungari eiusdem Berengarij instinctu multis captis oppidis Italiam depopulantur. Carolo Laudunum regresso, Hugo filius Roberti poſt Pascha super Vidulam venit, vbi apud villam Fimmas Heriuei Archiepiscopi fideles obuios habuit, quibuscum super Axonam in pagum Laudunensem profectus est, ad insectandum Haganonem, cui Rex Calensem Abbatiam dederat ereptam Rothildi socrui suæ. Carolus cum Heriberto & Haganone clam Laudunum egressus, ne quid damni Hagano caperet, trans Mosam profectus est. Quem Hugo vsque ad Mosam insecutus, obuiam habuit Gislebertum Lotharienſem, cum quo ad patrem regressus*

est in Laudunensi pago commorantem. Carolus transmisso Mosâ Remensis Ecclesiæ villas deprædari cœpit atque incendere, Altum quoque montem diripuit. Robertus super Matronam fluuium Rodulfo Richardi filio genero suo obuiam procedit. Sparnacum castrum ab Haganonis complicibus diripitur. Laudunum hi qui cum Roberto erant capiunt, & Haganonis thesauros partiuntur paullò post Dominicam Pentecostes. Carolus abnegato sibi Lauduni introitu resedit super fluuium Saram: Rotbertus verò castra metatus est super Aleam, cúmque quotidie copiis Rotberti crescentibus decrescerent Caroli, clam hic cum suo Haganone trans Mosam profectus est. Franci itaque Robertum seniorem eligunt, ipsíque se committunt, qui Remis apud sanctum Remigium ab Episcopis, & Primatibus Rex constitutus est. Herueus Remorum Archiepisc. obiit tertia die post consecrationem Roberti scilicet 6. Nonas Iulij quarto die antequam vigesimum secundum sui Episcopatus expleret annum: cui successit in Episcopatum Seulfus Arch. Robertus filium suum Hugonem in regnum Lotharij mittit cum aliquo Francorum agmine, ad liberandum obsidione, quâ à Carolo premebatur, Capræmontem Gisleberti castrum: quo peracto ad patrem remeauit. Hæc Flodoardus, qui plura addit prodigia, necnon miracula facta ad reliquias S. Petri in pago Parisiaco, in villa quæ dicitur Gesedis. Quæ Anonymus Heginonis continuator & Sigebertus ex Vvitikindo hoc & seqq. annis habent de morte Roberti, de manu S. Dionysij Martyris auro gemmísque inclusa in pignus submissionis Henrico data, ac similibus, falsissima sunt atque ineptissima. Cum Bulgaris qui ab anno præcedenti CP. obsidione rapinísque vexauerant pax hoc anno composita dicitur à Cedreno, aliísque. De Romani Pontificis in tanta morum, quæ tum vigebat, corruptela auctoritate in vniuersam Ecclesiam ac fidelium omnium veneratione erga sedem Apostolicam S. Petri, consule Baronij Annales.

Anno Christi DCCCCXXIII. *Caroli* 31. *redint.* 26. *ampl. hæred.* 12. *Robertus in regnum Lothariense profectus cum Henrico Germanorum Rege in pago Ripuario super fluuium Ruram amicitiam sancit, & quidam Lotharienses datis obsidibus inducias à Roberto acceperunt vsque ad Kal. Octobris. Normanni Aquitaniam Aruerniámque deprædantur, contra quos Vvillelmus Dux Aquitaniorum, (non ille I. Fundator Cluniacensis cœnobij, quod censuerunt Beslyus, Duchesnius, Iustellus, & doctissimi quique, sed II. eius nepos, de quo diximus nonnulla in Miscellaneis curiosis) & Ragemundus, seu Raymondus Pontius postea dictus Comes Tolosanorum, (de quo in Tabulis nostris Genealogicis Pa-*

rium Franciæ Ducum Comitúmque) ſtrenuè pugnauerunt : & cæſa ſunt ibi ex Normannis duodecim millia. Boſo Richardi Burgundionum Ducis filius Ricuinum in lecto languentem occidit. Carolus Rex cum ſuis Lotharienſibus inducias, quas à Roberto acceperant, infringentibus Moſam tranſiens Attiniacum venit, & inſperatò die Dominica 17. Kal. Iulij horâ iam ſextâ præteritâ plurimis hoſtium præcedentibus Axonam tranſiit, & ſub vrbe Sueſſionica ſuper Robertum venit, commiſſóque prælio multis ex vtráque parte cadentibus, Robertus quoque Rex lanceis perfoſſus cecidit (Glaber libri 3. cap. 9. falsò atque inſciè ſcripſit interfectum fuiſſe ab Ottone Saxonum Duce poſtea Imperatore) Hi tamen, qui erant ex parte Roberti, Hugo ſcilicet filius eius, & Heribertus cum cæteris victoriâ potiti, Carolum cum ſuis Lotharienſibus in fugam verterunt, campúmque obtinuerunt, ſed ob mortem Roberti eos perſequi deſtiterunt. Carolus dehinc Lotharienſibus ad ſua reuerſis, Heribertum Comites, Seulfum Archiep. ceteróſque regni Primates multis legationibus, vt ad ſe reuertantur, exorat. Quod illi renuentes pro Rodulfo Richardi filio in Burgundiam tranſmiſerunt, qui ocyus cum multâ ſuorum manu illis occurrit: auditóque quod Carolus ad ſe venire Normannos mandaſſet, ne illi coniungerentur, ſuper Iſaram fluuium medij reſederunt. Túncque Carolo trans Moſam refugiente Rodulfum cuncti eligunt, Regémque apud vrbem Sueſſionicam in Monaſterio ſancti Medardi conſtituunt die tertia Idus Iuly Dominica. Heribertus Comes infidelium nequiſſimus Bernardum conſobrinum ſuum cum aliis ad Carolum dirigit, qui ab eis ſacramentis perſuaſus ad Heribertum cum paucis proficiſcitur in caſtello ſuo ſuper Somonam apud ſanctum Quintinum reſidentem. Qui eum ad caſtellum Theoderici ſuper Matronam fluuium deducendum iurauit, ac ſubminiſtratis victui neceſſariis in cuſtodiâ detinuit: dein Rodulfum Regem in Burgundiam proſecutus eſt. Verùm is aduerſus Normannos pro Carolo ſollicitos euocatus, cum iis pugnauit, relictíſque Hugone & Heriberto Comitibus trans Iſaram ad præſidium patriæ, ipſe Moſomum vſque Lotharienſibus obuiam venit: interim Emmâ Roberti filia eius vxore Remis à Seulfo Archipræſule in Reginam conſecrata. Idem à Vvigerico Metenſium Epiſcopo ad recipiendam Zabrenam ductus in pagum Eliſatium, toto pene Autumno demoratus, caſtellanis, quia Tranſrhenenſes erant, auxilium ab Henrico fruſtra expectantibus, tandem obſidibus ab eis acceptis Laudunum ad vxorem ſuam reuerſus eſt, & Normannis inducias vſque ad medium Maium conceſſit. Interea Henricus inuitantibus ſe Giſleberto Comite, & Rotgario Treuerorum Præſule, qui necdum ſe

Rodulfo subdiderant, Renum transmisisse, regnúmque Lotharij deprædari nunciatur. Verùm audito quòd Rodulfus è Francia Burgundiáque cogeret exercitus, in suum se regnum recepit, datis induciis Lotharienſibus, vſque ad Kal. Oct. anni ſequentis. Otto tantum ex his, qui ſe Rodulfo commiſerant, ad Henricum defecit. Vvigericus Ep. Metenſis Zabrenam vt recepit, euertit. Camaracus malè prouiſo conflagrauit incendio. Rodulfus Ciſalpinæ Galliæ Rex cum Berengario conflixit, eúmque deuicit, cæſis mille quingentis viris. Seulfo Archiepiſcopalis infula, quæ pallium nominatur, à Ioanne Papa X. tranſmittitur. Multitudo Anglorum limina S. Petri orationis gratia petentium inter Alpes à Saracenis trucidatur. Dado Virdunenſis Ep. obiit, ſuccedente Rodulfi Regis gratiâ Rodulfo ſiue Hugoni, qui Remis preſbyter à Seulfo Archiep. conſecratus eſt. Hæc ex Flodoardo, Hugone Flor. Odoranno, Hugone Flauiniacenſi, Append. Regin. vbi dicitur Carolum ori ſacrilego Roberti ita lanceam infixiſſe, vt diffisâ linguâ ceruicis poſteriora penetraret, &c. Addit Haichoni Abbati Fuldenſi ſucceſſiſſe Hilbertum, & Herimanno ſanctiſſimo Colonienſi Ep. Vvigfridum. De Synodo Remenſi, in quâ pœnitentia iniuncta eſt illis, qui bello Sueſſionico inter Carolum ac Robertum Reges interfuerant, vide Sirmondum: de charta verò à Roberto conceſſa monaſterio ſancti Dionyſij, Chronicon noſtrum Technicum. Ditmarus Merſeburgenſis Epiſcopus libro 1. refert Carolum Simplicem cùm ſe carceralibus tenebris incluſum vidit, Henrici Tranſrhenenſis Regis auxilium imploraſſe, éique dextram Chriſti Martyris Dionyſij, & cum eâ omne regnum Lothariorum, ſi ab eo liberaretur, traditurum ſacramentis promiſiſſe. Eugenia martyrium paſſa eſt in Hiſpania die 16. Martij, anno Almanſoris Cordubenſis Regis 12. Ranimirus victis ad Talabricam Saracenis obiiſſe dicitur à quibuſdam Chronologis, ſuccedente Froila filio ad menſes tantùm 14. Quî tamen hæc conciliari poſſint cum clauſula donationis Ordonij II. Caſtellæ Regis quam refert Sandoual, non video: Facta ſcriptura teſtamenti ſub die 12. Kal. Nou. Era 961. anno feliciter regni noſtri nono, *&c.* Idem quoque paullo pòſt exſcripſit ex veteri codice Conciliorum qui MS. eſt in Scoriali: Regnante Carolo Francorum Rege ac Patricio Romæ, & Ordonio Rege in Legione ciuitate Ioannes Papa Romanam, & Apoſtolicam ſedem tenebat, Siſenandus verò Irienſi ſede tenens corpus B. Iacobi Apoſtoli præſidebat, *&c.* Africani, qui per munitionem Gareliani montis totam Italiam laniabant, inquit Sigebertus in Chro-

nico, per militiam Ioannis Papæ, & per auxilium Romani Græcorum Imp. conserta cum iis pugna ita atteruntur, vt ne vnus quidem superfuerit, qui non aut trucidaretur, aut caperetur, multis testantibus Apostolos Dei Petrum & Paulum in illo bello visos fuisse ad auxilium Christianorum. Sed hæc ab aliis alio locantur tempore.

Anno Christi DCCCCXXIV. *Rodulfi à sex mensibus regnantis primo, fit exactio per Franciam pecuniæ collatitiæ, quæ Normannis pacto pacis daretur. Vuillelmus Aquitaniæ Princeps Rodulfo in Aquitaniam cum hostili manu properanti obuiam venit super Ligerim fluuium, eique tandem se committit; cui Rex Bituricensem pagum restituit, quem illi nuper auxilio fretus Roberti (necdum tamen Regis) vi dempserat cum ciuitate Biturigis. Heriberto denique Paronam, & Hugoni Roberti filio Cenomannos dedit. Seulfus quoque Remensis Arch. terram sancti Remigij in Lugdunensi prouinciâ sitam ab Hugone de Viennâ impetrauit. Berengarius Comes Namurcensis Gislebertum, cuius sororem duxerat in vxorem, comprehendit, eúmque dimisit, oblatis sibi obsidibus filiis Ragenarij. Dimissus verò terram Berengarij, Ragenariique fratris sui, & Isaac Comitis Cameracensis deprædationibus plurimis vastat. Post hæc Regi Rodulfo legatos, vt ab eo reciperetur, dirigit. Quod Rex fidelium suorum consilio periuria ipsius, & instabilitatem abominatus facere contempsit.* Hungari ductu Berengarij, quem Langobardi pepulerant, Italiam depopulantur, Papiámque capiunt, incendúntque die 14. Maij feria 6. necatis igne fumóque Episcopis Papiensi, & Vercellensi. *Iidem per abrupta Alpium iuga transeuntes veniunt in Galliam, cúmque à Rodulfo Burgundiæ Rege, & Hugone Viennensi inter angustias collium Alpinorum clauderentur, per deuia montis inopinato loco euadentes Gothiam impetunt: quos insequentes prædicti Duces plurimos ex iis strauerunt: aliis pænè cunctis capitum inflatione, & dysenteriâ pereuntibus. Normannis terra aucta fuit Cenomannis Baiocassibúsque pacto pacis concessis. Rodulfus Rex placito apud Attiniacum habito, dum profectionem pararet in regnum Lotharij, grauissimo languore correptus, apud S. Remigium redintegrata sanitate, abiit in Burgundiam. Henricus quoque in ipsis Sarmatarum finibus valetudine corporis tota detinetur æstate. Turris præsidij Heriberti super Matronam fluuium, vbi Carolus custodiebatur subitaneo conflagrauit incendio. Raginoldus cum suis Normannis, quia nondum possessionem intra Gallias acceperat, terram Hugonis inter Ligerim, & Sequanam depopulatur. Synodus Episcoporum Re-*

menſis diœceſeos apud Troſleium Octobri menſe habita Seulfo præſidente, in quâ Iſaac Comes ad emendationem, & ſatisfactionem venit pro his, quæ prauè aduerſus Cameracenſem Eccleſiam perpetrauerat, & vadatus argenti libras centum pacatur cum Stephano præfatæ vrbis Epiſcopo, præſente Heriberto, & pluribus Franciæ Comitibus. Vuillelmus & Hugo filius Roberti cum Ragenoldo de ſua terra paciſcuntur, & Ragenoldus cum ſuis Normannis in Burgundiam proficiſcitur. Hæc & alia Flodoardus & fragm. pag. 389. Tomi III. à Ducheſnio editum. Falſum verò eſt quod Anonymus habet Reginonis Continuator Carolum, & Henricum Reges apud Bonnam caſtellum conueniſſe, & pacem inter ſe facientes fœdus iniiſſe, ac Carolum nunquam ſibi amplius Lotharienſe regnum vſurpaturum promiſiſſe. Berengarius ſenior ab Italis iampridem regno exturbatus Veronæ à ſuis dolo Flamberti hoc anno interemptus eſt, vt Luitprandus docet. Ex Adalberto Marchione Eporedienſi, & filiâ eius Giſelâ natus fuit Berengarius iunior, de quo ſuo loco dicendum erit poſtea. Occiſo Froila ſucceſſiſſe Alfonſum Ordonij filium ad annos ſex totidémque menſes ſcribunt Hiſpani quidam Chronologi apud quos valdè dubia atque incerta eſt veterum illorum Regum Hiſtoria, vt ſæpiſſimè iam ſupra obſeruatum à nobis. Simeon Bulgarorum Dux vaſtatâ Thraciâ Hadrianopolim fame domitam deditione capit, præſidióque firmat; ſed eo poſtea aufugiente vrbs rediit in poteſtatem Romanorum. Eduardo mortuo poſt annos regni 23. ſucceſſit ex concubina filius Adelſtanus ſiue Æthalſtanus annis 16. *Ad eum confugiſſe dicitur Ogiua ſoror, Caroli Simplicis vxor, cum filio Ludouico, qui poſtea Tranſmarinus cognominatus eſt.* De S. Vdalrico Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopo conſule Baronium.

Anno Chriſti DCCCCXXV. *Rodulfi regnantis* 2. *Varnerius & Manaſſes Comites, Anſegiſus & Gozcelinus Præſules cum Ragenoldo Normanniſque Burgundiam depopulantibus congreſſi apud montem Calaum Nordmannorum pluſquam* 800. *ſternunt. Vvarnerius equo, cui inſidebat, occiſo captus & interemptus eſt. Anſegiſus Trecaſſinæ vrbis Ep. vulneratus. Rodulfus quoque caſtra Nordmannorum ſuper Sequanam oppugnauit, ac ſatagente Heriberto Giſlebertum & Ottonem ad Moſam in amicitiam recipit. Normanni Rothomagenſes rupto fœdere pagum Ambianenſem populantur. Ambianenſis ciuitas malè prouiſo confugientium igne ſuccenſa eſt. Atrebatenſis quoque ſubito conflagrauit incendio. Nouiomagi ſuburbana ſuccendunt, cognitá-*

que terræ ſuæ vaſtatione à Fidelibus Hugonis ad ſua feſtinanter rediêre. Henricus Rheno tranſmiſſo oppidum Tulpiacum, quod Giſleberti fideles tutabantur, vi cepit, nec diu demoratus infra Regnum Lotharij ad ſua trans Rhenum regreditur, obſidibus à Giſleberto acceptis. Rodulfus Rex de Burgundia reuerſus in Franciam, Francis banno denunciat, vt ſe ad bellum contra Normannos præparent. Heribertus cum militibus Remenſis Eccleſiæ, Arnulfus Flandrenſis Comes, & cæteri maritimi Franci Augam ſecus mare ſitum caſtrum, quo Rollo princeps eorum mille Normannos Rotomago tranſmiſerat, expugnant, cunctíſque maribus occiſis munitionem ſuccendunt. Seulfus Remorum Archiep. obiit expletis annis 3. & diebus 5. Heribertus Comes Remos venit, vaſſallíſque & Clericis conſentientibus Epiſcopatum regere cœpit, ſub obtentu filij ſui Hugonis admodum paruuli necdum quinquennis: eámque, ni fallor, ob rem Abbo Sueſſionenſis Ep. Romam petiit cum Legatis Heriberti Comitis. Interim verò, dum iſta peraguntur in Franciâ aduerſus Normannos, cuncti Lotharienſes contra fidem ac pacta Henrico ſe committunt Tranſrhenenſi Regi, & ipſe Bernuino Dadonis Epiſcopi nepoti Epiſcopium Virdunenſe concedit. Qui & expulſo Hugone Preſbytero, cui Rodulfus illud dederat, ibidem ordinatur Ep. Hæc ex Flodoardo, Appendice Reginonis, &c. S. Pelagius puer die 26. Iunij Dominica (non verò vt habet Caluiſius 15. Iulij) Cordubæ iuſſu Abdaramenis ſiue Almanſoris in fruſta ob fidem Catholicam ac ſingularem in pudicitia conſtantiam forcipibus diſcerptus eſt. Ordonio III. Legionenſi Regi mortuo ſucceſſor tribuitur æra 963. Sanctius eius frater, dictus vulgò Craſſus, de quo Rodericus, Mariana, alij.

Anno Chriſti DCCCCXXVI. *Rodulfi regnantis 3. in pago Atrebatenſi pugnatum cum Normannis, mille & centum ex iis occiſis: Rodulfus vulnere accepto Laudunum reuertitur: Normanni verò vſrò vſque in pagum Porcenſem ſilueſtria loca deprædantur. Hungari quoque tranſmeato Rheno vſque in pagum Vonzinzem prædis incendiíſque deſæuiunt. Luna 14. ſabbato ſancto die Kal. Aprilium paſſa eſt defectum. Corpus S. Remigij & aliorum SS. pignora Hungarorum metu Remos è ſuis monaſteriis delata ſunt. Data Normannis pecunia pax cum iuramento firmata. Rodulfus Rex cum Heriberto Comite proficiſcitur ſuper Ligerim, acceptíſque obſidibus ab vrbe Niuernenſi, quam frater Vuillelmi (Acfredus) contra Regem tutabatur, in Aquitaniam ad perſequendum Vuillelmum, qui deſciuerat, tranſit, inſequitúrque fugientem, donec rumor infeſtationis Hungarorum, quòd ite-*

rum iam Rhenum transiissent, exercitum in Franciam redire coëgit. Hugo filius Bertæ, Arelatensis Comes, Rex Romæ super Italiam constituitur, expulso Rodulfo Cisalpinæ Galliæ siue Burgundiæ Transiuranæ Rege, qui regnum illud peruaserat, & alteri fœminæ viuente vxore suâ se copulauerat, eiúsque socero Burchardo Alemannorum Principe, qui Alpes cum genero suo transmearat, occiso. Hugo Presbyter expulsus Virduno defungitur. Ebrardus quidam Transrhenensis ab Henrico mittitur in regnum Lotharij iustitiam faciendi causa, & Lotharienses inter se consociat. Rodulfus Comes filius Heloidis obiit, nec multo pòst Rotgarius vitricus eius Comes Laudunensis pagi decessit. Hugo filius Rotberti filiam Eduardi Anglorum Regis sororem Ogiuæ Caroli coniugis duxit vxorem. Hæc Flodoardus. Theobaldi Carnotensis Comitis permissu, Gerontio Archiep. Bituricensi, Gerberto Decano S. Stephani, & Canonicis annitentibus, Monachi Abbatiæ Douerensis anno 903. à Normannis destructæ, in castro Virzionensi, à quo Douera secundo Cari flumine tribus tantùm quatuórve milliaribus abest, sedem figunt, dántque initium Abbatiæ S. Petri Virzionensis, vt pluribus ostendimus in Chronico Technico. Eodem quoque tempore magna mihi suspicio est expulso Vuillelmo Bituricensem Comitatum in plures partes diuisum fuisse, atque Vrbem ipsam Bituricam Vicecomite Gaufrido cognomento Papabos, Borbonium Archimbaldo, Principatum Dolensem Ebboni, Virzionense castrum Theobaldo, aliis alia, tanquam beneficia, non Comiti amplius, sed ipsi ἀμέσως Regi obnoxia fuisse concessa. Ex quo factum est, vt Bituricensis pagus ab Aquitaniæ Ducatu auulsus Regiæ Francorum coronæ veluti affixus imposterum perseuerauerit, nec quicquam post 230. annos frementibus Anglis sub Henrico II. vt posteà monebimus. Synodus Caroli-loci ex Tabulario eiusdem Abbatiæ memoratur Sirmondo Tomo III. Harigero Archiep. Moguntino succedit Hildebertus Fuldensis Abbas. Herimanno Ducatus Alemanniæ committitur, vt docent Hermannus & App. Regin. *De Testamento Bernonis primi Cluniacensium Abbatis eiusque successore Odone plura, Deo dante aliàs. Nolim tamen præstare quæ de eo Albericus ad an. 930. vsque ad hæc tempora Regula Beati Columbani tam in Francia, quàm in Burgundia obseruabatur à Nigris Monachis, sed S. Oddo Abbas Cluniacensis Regulam S. Benedicti in Cluniaco, & in S. Benedicto supra Ligerim fecit obseruari: & exinde procedente tempore cœpit vbique recipi.* Abarcæ Vasconum Regi in prœlio aduersus Castellanos defuncto successisse dicitur Garsias Sanctius ad an. 40. Saraceni ad Lemnum nauali certamine superantur à Græcis.

Anno

Anno Christi DCCCCXXVII. *Rodolfi regnantis* 4. *inter eum & Heribertum Comitem pro Laudunensi Comitatu simultas exoritur, quem Heribertus filio suo Odoni petebat, cùm Rex illum Rotgario filio Rotgarij vellet concedere. Vvidricus Antistes Metensis defungitur. Heribertus ad Henricum Regem accedit, quem muneribus honorat, & honoratur ab illo. Henricus Episcopium Metensium contemptâ ipsorum electione cuidam seruo Dei dedit cognomento Bennoni. Hugo filius Roberti & Heribertus Comes contra Normannos pergunt, qui morabantur super fluuium Ligerim. Vvillelmus Aquitanorum Princeps obiit (non I. Pius dici solitus, fundator Cluniacensis monasterij, vt Ducheſnio, Gordono, Iustello, aliisque persuaserat Besly us, sed II. Pij ex sorore nepos, Acfredi frater, qui ei successit ad aliquot annos) Normanni concesso sibi pago Namnetico pacem pepigere Francis. Synodus sex Episcoporum apud Trosleium habita, contradicente Rege Rodulfo per missos Heriberti Comitis, & mandante illi, vt Synodum differret, sibique obuiam ad Compendium veniret: quod ille agere renuit: Synodo verò interfuit: vbi Herluinus Comes ad pœnitentiam venit pro vxore, quam duxerat aliâ viuente. Heribertus Laudunum ingredi voluit. Trœuenit autem cum Rex missis illò militibus. At Heribertus Carolum de custodiâ eiecit, secúmque in pagum Veromandensem ad sanctum Quintinum deducit. Rotgarij filij ad custodiam Lauduni cum Emmâ Reginâ relicti loca quæque deuastant circa Codiciacum Episcopij Remensis castrum. Carolus cum Heriberto colloquium Normannorum petit ad Augam castellum, vbi se Vvillelmus Rollonis filius Carolo commisit. Hungarorum falso metu sparso fugæ per regnum Lotharienſe agitantur & Franciam: inquit Flodoardus, ex quo alij Chronographi corrigi debent, cùm ab eo deflectunt. Post Vvillelmum (annus præcisè ignoratur) Ebbus siue Ebalus Ranulfi Pictauensis Comitis filius Aruernis simul & Pictauis promotus fuit Comes, eique successit Vvillelmus filius cognomento Caputstuppæ, Aruernorum, Vallatorum, Lemouicæ, & Pictauorum Comes, ac Dux Aquitaniæ, teste fragmento Historiæ Aquitanicæ, cuius frater Ebalus Lemouicensis Ep. factus est, & cœnobiorum S. Hilarij, & S. Maxentij Abbas.*

Anno Christi DCCCCXXVIII. *Rodulfi regnantis* 5. *Hugo Roberti filius veniens super Isaram, sequester & medius fuit inter Rodulfum & Heribertum, qui post Rodulfi reditum in Burgundiam Remos cum Carolo venit, indéque litteras mittit ad Ioannem Papam, significans ei de restitutione, & honore Caroli, vt ille sibi etiam sub excommunicationis interminatione mandauerat, se pro viribus decertare. Re-*

gina vxor Rodulfi in Burgundiam redit, relicto Lauduno, quo potitus Heribertus placitum cum Normannis habuit, ipséque & Hugo filius Roberti amicitiam cum eis pepigerunt. Filius tamen Heriberti Odo, quem Rollo habebat obsidem, non redditur illi, donec se committat Carolo pater cum quibusdam Franciæ Comitibus & Episcopis. Otgarius Ambianensium Præsul vir sanctus & plenus dierum obiit, cuius vita vsque ad annos centum, & amplius prolata refertur. Heribertus Comes Moritaniam super Scaldim haud procul Tornaco munitionem filiorum Lotharij (fortè legendum Rotgarij) vi cepit ac diruit. Interea missus Heriberti Comitis Româ reuertitur nuncians Ioannem Papam à Vvidone fratre Hugonis Regis propter simultatem quandam inter eos exortam reclusum in carcerem. Odalricus Aquensis quidam Episcopus ab Heriberto Remis constituitur, ad celebrandum Episcopale ministerium vice Hugonis paruuli, traditâ ei dumtaxat S. Timothei Abbatiâ cum præbendâ Canonicâ. Henricus Rex Germaniæ obsidet super Mosam situm Durofostum castrum Bosonis Comitis, quem non secus ac Ragenarium cum Gisleberto, & cæteris Lotharienſibus pacat. Hugo & Heribertus ad Henricum colloquij causa proficiscuntur, indéque reuertentes obuiam pergunt Regi Rodulfo, cui se Heribertus committit, iterum reducto sub custodiam Carolo. Idem quoque cum Rodulfo in Burgundiam abit obuiam Hugoni Italiæ Regi: ab eóque vice filij sui Odonis Prouinciam Viennensem accepit. Benno Metensis Episcopus insidiis appetitus, euiratus, luminibúsque priuatus est. (Facta apud Duisburgenses Synodo omnes illius facti auctores excommunicatos notat Appendix Reginonis) Rodulfus Rex Remos veniens pacem facit cum Carolo reddens ei Attiniacum, muneribúsque illum honorans. Ex Flodoardo. De Ratherio & Hilduino in Italiam profectis adi Sigebertum. De Ioanne Papa post necem fratris sui Petri iussu Widonis perpetratam in carcerem detruso die 7. Aprilis, cùm sedisset annos 15. cum tribus circiter mensibus, eiúsque successoribus Leone VI. & Stephano VII. necnon de Marocia eiúsque filio Alberico, consule Baronium, Sigonium, aliósque. Romanus Lecapenus præter Christophorum, alios duos filios Stephanum & Constantinum ad imperium promouit die Natali Christi. Plura Scylitzes, Cedr. Zon. alij. Extat de Romano monasterio charta Alaydis siue Adelaidis Rudolfi I. Burgundiorum Regis sororis, quæ ex Richardo Iustitiario Burgundionum Duce Rudolfum Francorum Regem, Hugonem Nigrum, Bosonémque peperit, data hoc anno Rudolfi filij 5. Ind. 2. die Iu-

nij 23. Vide Guillimanum Habſpurgicorum lib. 3. cap. 1. alióſque recentiores, qui in ea exponenda hallucinati ſunt.

Anno Chriſti DCCCCXXIX. *Rodulfi regnantis 6. Heribertus & Hugo Comites contra Boſonem Rodulfi Regis fratrem proficiſcuntur propter quoſdam Rothildis nuper defunctæ alodes, quos repetebat Hugo eius gener. Heribertus cepit Victoriacum Boſonis caſtellum qui ad Henricum profectus pacem publicè iurare compulſus eſt. Deroldus Medicus Epiſcopatum Ambianenſem adipiſcitur, & Adalbero vir nobilis Metenſem, Bennoni quadam Abbatia ad ſuſtentationem conceſſa. Heribertus & Hugo Monaſteriolum caſtellum Herluini filij Hirgaudi Comitis obſident, tandémque acceptis obſidibus reuertuntur.* Ioannes Papa, dum à potenti fœmina Marocia principatu priuatus ſub cuſtodia detinetur, vel vi, vel angore defungitur. *Carolus quoque Rex poſt longam carceris macerationem apud Parronam obiit 7. Octobris, & ſepultus eſt in baſilica S. Furſei Confeſſoris. Simultas inter Hugonem & Heribertum exoritur, recepto ab Hugone cum terra ſua Herluino, & Hilduino, qui erat Hugonis ab Heriberto. Viæ Alpium à Saracenis obſeſſæ, à quibus multi Romam proficiſci volentes impediti reuertuntur. Gerberga Henrici Regis filia Giſleberto nubit.* Lanceam mirandi operis & clauis IESV CHRISTI crucifixi ſanctificatam, quæ dicitur primi & Magni Conſtantini Imp. fuiſſe, inquit Sigebertus, donatam Rodulfo Regi Burgundionum & Italiæ à Samſone Comite, Rex Henricus precibus, minis, muneribus, addita etiam parte Prouinciæ Sueuorum extorquet, & hanc ad inſigne & tutamen imperij poſteris reliquit. Caluiſius Lanceam, quâ Chriſti latus perforatum fuerat, & Rodulfum Galliæ Regem temerè aſſerit. S. Wenceſlaus Boëmorum Princeps die 28. Sept. occiditur à fratre Boleſlao, qui regnauit annis 38. Contendunt inter ſe Legionenſes Reges Alfonſus qui vouerat ſe Monachum futurum, & Ranimirus eius frater atque ſucceſſor, vt fuſiùs enarrant Hiſpani Scriptores, apud quos ſæpè meræ occurrunt in pleriſque tenebræ.

Anno Chriſti DCCCCXXX. *regni 7. Rodulfus Normannos de Ligeri, qui Aquitaniam depræ dationibus infeſtabant, apud Deſtrictios in pago Lemouicino vno prælio penè deleuit, & Aquitanos ſibi ſubditos fecit. (Auctor vitæ S. Genulfi in Bibliotheca Floriacenſi teſtatur ab ipſis Aquitanis inuitatum fuiſſe) Inde reuerſus in Franciam pacem inter Hugonem Heribertum ac Boſonem conciliat. Adelelmo Lau-*

dunensium Præsule defuncto Gozbertus nepos eius Episcopium adipiscitur. Lotharienses cum Gisleberto obuiam veniunt Hugoni & Duagium, siue Duacum oppidum, quod Arnoldus (transformat in Arnulfum Flandriæ Ducem Miræus) tenebat, adactum obsidione capiunt, & Hugo illud Rotgario filio Rotgarij concessit. Heribertus verò castrum S. Quintini Arnoldo pro eo reddidit. De Victoriaco & Mosomo captis à Bosone, & Heriberto, receptísque, consule Flodoardum. Hugonem Francorum Ducem non hoc anno, vt quidam scripserunt, sed sequentis die 26. Martij labente Rodulfi Regis anno 8. dedisse S. Martino Turonensi Castellionum in pago Biturico cum Spansiaco, Pometo & Sausiaco, & Mauziniacum in pago Turonico pro eleemosyna genitoris sui Roberti ac genitricis suæ Beatricis Heriberti I. Viromandensis filiæ; &c. euicimus in Chronico Technico. Idem Dux anno superiori dederat eidem Ecclesiæ nonnulla alia, præsentibus Gerunco Archiepiscopo Bituricensi, Turpione Lemouicensi, Galterio Parisino, & Anselmo Aurelianensi, vt docet Sausseius pag. 328. Historiæ Aurelianensis. Ademarus Comes Engolismensis Emenonis filius 4. Nonas Aprilis obiit apud S. Hilarium Pictauis sepultus, ex Chron. Aquit. pag. 292. Nouæ Bibliothecæ. Otto filius Henrici Aucupis Editham, siue Edgidem ducit vxorem, filiam Eduardi Regis Anglorum, & sororem Aelstani atque Edmundi, ex App. Regin. aliísque. Petrus Candianus Venetos regere incipit, Orsono Duce Monasticam vitam professo. Iidem dicuntur an. seq. protulisse reipublicæ suæ fines vsque in Dalmatiam. Anglorum Rex Nordthumbriam sibi subiicit, pulsis inde Danis Scotísque.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCCXXXI. *regni sui 8. Rodulfus Viennam profectus Carolo Constantino Ludouici Orbi filio, qui eam tenebat, subiectionem pollicente reuertitur, & Turonos ad S. Martinum orationis gratiâ proficiscitur. Græci Saracenos per mare insequentes, è Fraxineto saltu, vbi erat eorum refugium, expellunt. Robertus Arch. Turonensis Roma remeans sub Alpibus noctu interimitur à latronibus. Gislebertus filius Manassis (diuersus à Lotharienssi Raginarij, & Albradæ filio) à Rodulfo Rege desciuit, propter Aualonem castrum, quod ab eo Emma Regina abstulerat, simúlque recedit ab eo Richardus filius Vvarnerij propter eamdem rationem. Durofostum castrum Bosonis à Gisleberto, Moritania munitio filiorum Rotgarij ab Arnulfo filio Balduini, Catalaunicum Bouonis Ep. castrum à Bosone*

capiuntur. Quidam fidelium Heriberti Remensi ex vrbe profecti Brainam castrum Hugonis super Vidulam quod ab Ep. Rotomagensi tulerat capiunt atque subuertunt. Heribertus Comes perfidus Henrico se committit, qui acceptis à Rodulfo obsidibus, & pacta securitate trans Rhenum recedit. Britones, qui remanserant in Cornu Galliæ Normannis subditi, consurgentes aduersus eos, qui se obtinuerant, in ipsis solemniis S. Michaëlis omnes interemisse dicuntur, cæso primùm illorum duce nomine Felecan. Rodulfus Rex cum Hugone, & Bosone Remorum obsidet vrbem, eámque post tres hebdomadas ingressus Artaldum Monachum S. Remigij in Archiep. eligi, & ordinari facit. Bouonem quoque Catalaunensem Ep. captum Hugoni custodiendum tradit, eiúsque Episcopatum Miloni Clerico tribuit. Idem Lauduno vix tandem potitus in Burgundiam reuertitur, Aquitanis discordantibus obuiam proficiscens. Incon Normannus, qui morabatur in Ligeri cum suis, Britanniam peruadit, victisque & cæsis, vel eiectis Britonibus, regione potitur. Hucbaldus Monachus S. Amandi Elnonensis, quem Philosophum vocat Sigebertus, è vita discedit, libris editis clarus. Idem Chronographus ab Arnulfo Flandriæ Comite captum memorat castellum S. Vedasti, cùm tantùm Flodoardus Atrabatem obsessam fuisse à Rodulfo Rege Hugone sibi iuncto asserat. Henricus Rex Abotritorum Danorúmque Reges efficit Christianos, ex App. Reg. & Sigeberto. Simeonis Bulgariæ Principis successor & filius Petrus Christophori Græcorum Imp. siue Cæsaris filiam vxorem ducit die 8. Octobris. Pridie diei illius regnum Legionense iniisse dicitur ad annos 18. & menses fere tres Ranimirus, detruso in cœnobium fratre Alfonso, quicum contenderat. Stephanus VII. Papa obiit die 8. Decembris, cùm præfuisset annis 2. mense vno & diebus 15. Successit Ioannes XI. Guidonis Tusciæ Marchionis eiúsque coniugis Marociæ potentia intrusus, de quo videndus Luitprandus lib. 3. cap. 2. A Saracenis ex Africa aduectis Genuensis ciuitas diripitur, ingenti sublatâ præda sacra profanáque, vt quidam ex Sigonio narrant. Verùm tutiùs fortè fuerit in annum 935. differre cum Sigeberto.

Anno Christi DCCCCXXXII. *Rodolfi Regis 9. Airardo Ep. Nouiomensi mortuo & Adelelmo Comite occiso, Vvalbertus Corbeiensis Abbas ordinatur Ep. Bouo Ep. in gratiam Regis admissus Episcopium suum Catalaunense recepit, quod cùm Milo deprædaretur, excommunicatur ab Artaldo Archiep. cæteríque Remensis diœceseos Episcopis. Rodulfus Rex Abbatiam S. Medardi Heriberto eripit, & Hu-*

go castellum S. Quintini post bimestrem obsidionem. Ragemundus & Ermengaudus Gothiæ Principes Rodulfo Regi se committunt: Lupus quoque Asinarius Vasco, qui equum ferebatur habere annorum plusquam centum adhuc tamen validissimum. Gislebertus cum Lothariensibus inuitante se Hugone Parronam obsidet, multisque suorum occisis recedit. Hamum quoque eiusdem Heriberti castellum à Rodulfo atque Hugone obsessum fuit, sed non captum. Gozberto Laudunensium Præsule defuncto Ingrannus Decanus Monasterij S. Medardi succedit. Boso frater Regis, & Bernuinus Ep. Virdunensis, incendiis inter se prædationibúsque bacchantur. Heribertus trans Rhenum ad Henricum proficiscitur. S. Wenceslai corpus Pragam deductum tumulatur die 7. Martij. Kalendis Iuniis apud Erperfurdum in Germania habita est Synodus Generalis, in qua inter cætera sancitum est, vt Natalitia 12. Apostolorum celebrentur. Curcuas Græcorum Dux Melitenam Saracenis eripit. Hugo Italiæ Rex Lotharium filium regni participem efficit, datâ ei coniuge Adeleide Rodulfi filia, Burgundiæ Transiuranæ Principis, quod tamen coniugium satius est differre in posteriora tempora, adeóque annum Christi 947. vt suo postea monebimus loco. Arnoldus Sigeberto, aliis Arnulfus, Dux Baioariorum in Italiam aduersus Hugonem profectus à Veronensibus suscipitur, & cum Hugone confligens vincitur. Ratherius illius vrbis Ep. ab eodem Rege Episcopatu pulsus, quia Baioariis fauerat, Papiam relegatur, vbi & librum de suis ærumnis luculenter edidit.

Anno Christi DCCCCXXXIII. *Rodulfi regnantis* 10. missi Remensis Ecclesiæ Româ redeuntes pallium Artaldo Præsuli deferunt, nuntiántque Ioannem Papam filium Marociæ sub custodia detineri à fratre suo, nomine Alberico, qui matrem quoque suam clausam seruabat, & Romam contra Hugonem Regem tenebat. Hungari se in tres partes diuidunt, quorum pars vna Italiam petiit, alia terram Henrici trans Rhenum inuadit: contra quos profectus Henricus ad 36. millia concidit, præter eos quos absorbuit fluuius, & qui viui capti sunt. *Richarius Ep. Tungrensis castellum quoddam Bernardi Comitis in pago Porcensi euertit. Vienna Rodulfo Regi tradentibus, qui eam tenebant, deditur. Vuillelmus Princeps Normannorum eidem Regi se committit: cui etiam Rex dat terram Britonum in orâ maritimâ sitam. Idem Rex castellum Theoderici obsidet hebdomadas*

sex, quibus elapsis Vvalo, qui illud custodiebat, Emmæ Reginæ se committit, eiusdémque fidei castrum dimittitur. Synodus inter obsidendum celebratur, congregatis nonnullis Franciæ Burgundiæque Præsulibus: cui præsederunt Artaldus Remensis & Teudolus Turonensis Archiepiscopi. Ibidem quoque ab Artaldo Hildegarius ordinatus Beluacensis Ep. Vvaldrico Antisiodorensi Ep. mortuo Vvidolus Archidiaconus Episcopium adipiscitur. Odo filius Heriberti Hamum tenens pagum Suessionicum ac Nouiomensem pradis incendiisque proterit. Heribertus pater eius castrum S. Quintini capit, quod paullò pòst ab Hugone receptum est, qui cum Artaldo Archiep. Raugam munitionem occupat. Hugo Rex Italiæ Romam obsidet, & Saraceni meatus Alpium occupant. *Artaldus Fulbertum vrbi Cameracensi Præsulem ordinat. Heribertus castrum Theoderici recipit, quod ab Hugone illicò obsessum est. Hæc Flodoardus,* quibus adde quæ Luitprandus habet de rebus illis Italicis lib. 3. cap. 12. *&c.* Beneuentani contra Græcos bellum agentes quotquot Græcorum capiebant, eunuchizabant, inquit Sigebertus, qui victoriam de Hungaris differt in annum seq. cum Othonis Regis nuptiis, *& Stephani Cameracensis Ep. obitu die* 11. *Febr.* Constantinus Scotorum Rex superatus ab Anglis, vel morte, vel spontaneo ad claustrum secessu, sceptrum Donaldi filio Malcolmo I. reliquit. *In Gorziensi Chartulario extare dicitur diploma actum Metis publicè sub die* 17. *Kal. Ianuarias anno ab I. D. N. I. C.* 933. *regni autem gloriosissimi Regis Henrici in regno Lotharicnsium* 8. *Episcopatus autem Domini Adalberonis, qui hoc scriptum fieri iussit, quinto. Quam clausulam quâ vi, quibúsve momentis in Chisletium intorqueat Blondellus in Barro Campano-Francico, per otium Lector expendet.*

Anno Christi DCCCCXXXIV. *Rodulfi regnantis* 11. *Castellum Theoderici ab Heriberti fidelibus quatuor mensibus validè propugnatum est. Henricus Germaniæ Rex Gislebertum & Ebrardum cum Episcopis regni Lotharicnsis ad Rodulfum Regem pro Heriberto dirigit, redditóque Regi castello Theoderici, Hamus atque Parrona Heriberto conceduntur, vsque ad Cal. Octobris. Arnulfus Flandriæ Comes Heriberti filiam olim sibi iuramentis alterutro datis depactam sumit vxorem. Religio regulæ Monachorum in quibusdam Monasteriis per regnum Lotharicnse reparatur, & Emma Regina defungitur, inquit Flodoardus, apud quem nonnulla miracula, ostenta, visionésque Adelmari Diaconi Virdunensis recitantur, quæ per otium consulere non pigebit. Ex monasterio S. Maximini expulsos fuisse Monachos non regulariter*

viuentes monuit Appendix Reginonis, & Ogonem Abbatem electum. Christophorus Cæsar Romani filius moritur die 14. Augusti. Mirum verò est Miræum tot genealogicorum stemmatum sartorem, Emmam hoc anno defunctam, Caroli Simplicis viduam, Ludouici Transmarini matrem vocitasse: cùm fuerit Roberti filia, Rodulfi vxor.

Anno Christi DCCCCXXXV. *Rodulfus regni anno 12. quoddam castrum Gosfridi (num is Bituricensis noster Vicecomes?) vocabulo Viriliacum, quod contra eum quidam Aquitanorum tenebant, obsidens cepit, & Gosfrido reddidit, indéque reuersus in Franciam Gosfridum trans Rhenum ad Henricum direxit. Hoc Rege Lauduni degente tumultus ipso die sancto Paschæ inter Regios & Episcopi milites exoritur, vbi nonnulli tum Laici tum Clerici vulnerati atque interfecti. Vnde Rex Suessionis placitum cum regni Primatibus habuit. Deinde locutus cum missis Henrici ad eius properat colloquium: vbi etiam Rodulfus Rex Iurensis interfuit, pactáque inter ipsos amicitiâ, etiam Heribertum cum Hugone pacarunt, & Bosonem cum Henrico. Hungari per Burgundiam diffunduntur, prædisque incendiis ac cædibus non tamen diu debacchati, comperto Rodulfi Regis aduentu in Italiam transmeant. Artaldus Vvifredum Monachum Taruanensem ordinat Ep. Rodulfus Rex Diuionem castrum, quod Boso Comes ceperat, ciúsque complices retinebant, obsidet. Lotharienses cum quibusdam Saxonibus castrum Theoderici deditione recipiunt atque subuertunt: in quâ expeditione Boso frater Rodulfi moritur, & delatus ad S. Remigium sepelitur. Rodulfus Rex graui per totum autumnum decubat ægritudine. Synodus septem Episcoporum apud sanctam Macram, Artaldo Archiep præsidente celebratur, in quâ prædones & Ecclesiasticarum rerum peruasores ad correptionem vocati. Addit Flodoardus Normannos, qui pagum Bituricensem deprædabantur, à Biturigensibus & Turonensibus peremptos fuisse. Huc certè referendam arbitror victoriam de Normannis reportatam ab Ebbone Dolensi Principe ad Castellionem in finibus Biturigum & Turonensium, qui grauiter sauciatus, cùm palabundos vsque ad Ligerim insequutus fuisset, Aurelianos deferri voluit, vbi sancto fine decessit, præsentibus Gerunco Archiep. Bituricensi, Launo Archidiacono fratre, & filio Rodulfo, qui iussus à patre suo Dolensem vrbem Monachis reliquit, & Castrum, Rodulfi vulgò dictum, haud procul ædificauit; vt pluribus erit exponendum in Bituricensi Historiâ.* Germani multa narrare solent de ludis Equestribus ab Henrico Aucupe primùm institutis, & die 12. Ianuarij Magdeburgi magnâ pompâ

pompâ celebratis. In Genuenſi vrbe, inquit Sigebertus ex Luitprando, fons ſanguinis largiſſimè effluxit, portendens fortè vrbis ipſius imminentem ruinam, quæ eodem anno ab Africanis cum claſſe illuc venientibus capta, cunctis ciuibus, exceptis paruulis, & mulieribus abductis in captiuitatem, aut occiſis, etiam theſauris ſuis eſt euacuata. Theophylactus Romani filius annos natus 16. vel 18. Patriarcham C P. agere incipit: vt docent Ioannes Curopalates, aliíque Græci. Henricus Rex Danos vincit, tum paralyſi percutitur.

Anno Chriſti DCCCCXXXVI. *Rodulfus Rex defungitur die 15. Ianuarij, ſepelitúrque Senonis ad ſanctam Columbam, cuius Eccleſia factione quorumdam paullò antè fuerat ſuccenſa. Ingrannus Ep. Laudunenſis obiit. Hugo Comes trans mare mittit pro accerſiendo ad apicem regni ſuſcipiendum* LVDOVICO *Caroli Simplicis filio, quem Rex Adelſtanus auunculus ipſius, accepto priùs iureiurando à Francorum legatis, in Franciam cum quibuſdam Epiſcopis, & aliis ſuis fidelibus dirigit, cui Hugo & cæteri Francorum proceres obuiam profecti mox nauim egreſſo in ipſis littoreis arenis apud Bononiam ſeſe committunt, vt erat vtrimque depactum, indéque ab ipſis Laudunum deductus, ac regali benedictione ditatus vngitur, & coronatur ab Artaldo Archiep. præſentibus regni principibus, cum Epiſc. 20. & amplius, die 20. vel vt alij 19. Iunij Dominica, (Guillelmus Nangius, qui hæc fuſiùs narrat in Chronico M S. diem 13. Kal. Iulij expreſsè ſignat, ſed in eo falli mihi videtur quod vnctum coronatumque aſſerat anno ætatis 25.) Rodulfus preſbyter à ciuibus concorditer electus in Ep. Laudunenſem ab eodem Artaldo conſecratur. Rex & Hugo Albus in Burgundiam pergunt, & vrbem Lingonum, quam Hugo Niger, frater regis Rodulfi ceperat, obſident, capiúntque, datíſque ab Epiſcopis, & Primatibus Burgundiæ obſidibus Pariſios veniunt.* Ludouicus V Vltramarinus.

Henricus Auceps Germaniæ Rex, ſiue Imperator dici ſolitus, obiit Memlebiæ in cœnobio, quod eius vxor conſtruxerat die 2. Iulij ætatis 60. cùm imperaſſet annis 17. cum dimidio, ſepultúſque eſt in cœnobio Quedlinburgenſi, quod ipſe fundauerat, cuíque filiam ſuam Mathildem præfecerat Antiſtitam. Eo defuncto, contentio de regno inter filios ipſius agitatur. Rerum tandem ſumma Ottoni natu maiori obuenit. Ioanne Papa Marociæ filio, & Alberici fratre mortuo poſt ſedem annorum 4. & menſium decem, quidam Dei ſeruus Leo VII. Romæ Papa conſtituitur. Hugo Italiæ Rex Romam niſus capere, afflicto ſuo exercitu

fame, & equorum interitu pactâ tandem pace cum Alberico, dans ei Aldam filiam suam in coniugem, ab obsidione desistit, repertísque quibusdam contra se fratris sui Bosonis insidiis, eundem dolo captum in custodiam mittit. Saraceni in Alamanniam prædatum pergunt, & reuertentes multos Romam petentes interimunt. *Hugo Albus Roberti filius cum Hugone Nigro Richardi filio dissertitâ inter se Burgundiâ pacem facit. Adelelmus Siluanectensium Præsul obiit, cui an. seq. substitutus est Bernuinus ex cœnobio S. Crispini. Successerunt quoque Hildeberto & Vnni Archiepiscopis Fridericus, & Adalgisus. Manasses Arelatensi sede dimissâ in Italiam profectus ab Hugone Rege accipit Episcopatus Mediolanensem, Mantuanum, Tridentinum, ac Veronensem. Factum est prælium inter Vvillelmum Comitem Normannorum, & Rudulfum fraudulentum cæterósque infideles Vvillelmi in loco, qui dicitur Pratum-Belli, ex Chronico Rotomagensi, quod addit post biennium ab Henrico sanctissimo Præsule Baiocensis Ecclesiæ baptizatum fuisse Richardum I. filium eiusdem Vvillelmi, ex Sprota Bernardi Siluanectensium Comitis sorore, quanquam alij natum ex concubina eáque Britanna, voluerint cum Flodoardo, Glabro,* &c. Inger Rex Russorum ad expugnandam C P. cum mille & eò ampliùs nauibus venit, adeò de victoria iam securus, vt Græcos non occidi, sed capi præciperet. Quibus Imp. Romanus cum paucis occurrens, Græco igni iecto, penè omnes cum nauibus exussit, captiuósque decollari iussit. Flod. Luitp. App. Reg. Sigeb. Mar. &c. cum Cedreno aliísque Græcis.

Anno Christi DCCCCXXXVII. *Ludouici Transmarini primo, Vvaliberto Nouiomagensium præsule defuncto succedit Transmarus monasterij sancti Vedasti Præpositus. Ludouicus Rex ab Hugonis Principis se procuratione separans, matrem suam Lauduni recipit. Hugo pacatur cum Heriberto, qui castrum Theoderici recipiens à Vvalone, ipsum in vincula coniicit. Hungari Rheno transito plurimas Franciæ prouincias populantur, Remensem, Bituricensem,* &c. *vt ex Flodoardo plurima recensente miracula de Adalgario presbytero, de Hucbaldo Orbacensi monacho per otium discet Lector. Britones cum Normannis dimicant, multísque prœliis superiores sua tandem loca ab eis iampridem occupata recuperant. Rodulfus Transiuranæ Burgundiæ siue Cisalpinæ Galliæ Rex obiit, cui filius paruus Conradus in regno succedit. Abbo Suessionum Præsul defungitur, & Vvido filius Fulconis Andegauensis Comitis, sancti Martini Turonensis Ca-*

nonicus eius Episcopatu potitur. Obiit quoque Arnolfus Dux Bauarorum. *Otho Aquisgrani coronatur ab Hildeberto Moguntino Archiep. & Boleslaum Bohemorum Ducem subiicit. Monasterium sancti Galli, & alia succenduntur. De fundatione S. Pontij Tomeriarum à Haimundo Tolosatum Comite vide Stemmata Genealogica Pariũ Franciæ.* Hungarorum pars in Italiam irruit, multísque spoliis ditata, tandem à Marsis Peligníque superatur, & prædâ fermè omni exuitur. Aliorum in Saxonia penè idem fatum extitit.

Anno Christi DCCCCXXXVIII. *regni 2. Ludouicus Montiniacum castrum euertit, Tusciacum super Mosam recepit, Corbenacum, quod pater eius S. Remigio tradiderat, & Heribertus peruasserat, per vim occupauit. Hugo Albus Hadeuidem sororem Ottonis Regis Transrhenensis filiam Henrici ducit vxorem. Ludouicus Guisnam castrum ad mare in finibus Morinorum restaurare nititur, & cum Arnulfo Comite moratus redit, ingressúsque Laudunum arcem nouam ab Heriberto inibi ædificatam multis machinis suffosso euersóque muro cum magno labore cepit. Hugo Niger ad Regem accedit, éique amicitiam sacramento promittit. Gislebertus cum Lothariensibus, Hugoni & Heriberto venit in adiutorium, castrúmque Petræpontem vi capit. Arnulfus Comes & Heribertus inter Ludouicum & Hugonem pacem sacramento paciscuntur vsque ad finem Ianuarij mensis anni seq. Hæc Flodoardus.* De Germaniæ turbis vide Luitpr. Witikindum, App. Reg. Othonem Frising. Vrspergensem, &c. Sigebertus hoc demum anno Principem Boëmiæ Wenceslaum à fratre suo Boleslao occisum refert: in cuius vltionem Rex Otho bellum ipsi indixerit, longâ inter eos concertatione per 14. annos protracta. Verùm is in pleríque allucinatur, vt de morte Henrici, Odonis Abbatis, & sexcentis aliis manifestum arbitror peritis Historiarum indagatoribus.

Anno Christi DCCCCXXXIX. *Ludouici Regis 3. Vvillelmus Normannorum Princeps, quoniam villas quasdam Arnulfi Comitis prædis incendíisque vastauerat, excommunicatur ab Episcopis, qui erant cum Rege. Eadem quoque anathematis sententia percellitur Heribertus qui oppida quædam villásque S. Remigij pertinaciter detinebat. Hugo Albus datis obsidibus pacem paciscitur cum Rege, vsque ad Kalendas Iunias. Bernuinus Virdunensis Ep. obiit. Lotharienses Othonem Regem suum deserunt, & ad Ludouicum veniunt, qui eos recipere distulit, ob amicitiam, quæ Arnulfo Comite mediante depacta erat. Mo-*

nasteriolum maritimum Herluini castellum cepit Arnulfus Comes, tradente quodam proditore, & vxorem ipsius Herluini cum filiis trans mare ad Adelstanum mittit. Nec longum collectâ Normannorum non modicâ manu Herluinus castrum pugnando recepit. Lotharienses iterum veniunt ad Regem Ludouicum, & proceres ipsius regni, Gislebertus scilicet Dux, & Otto, Isaac atque Theodericus Comites eidem se Regi committunt. Episcopi verò, quoniam Rex Otho eorum secum detinebat obsidatum, Ludouico Regi se committere differunt. Otto Rex Rheno transmisso regnum Lothariense perlustrat, populatúrque. Anglorum classis ab Adelstano missa in auxilium Ludouici Regis contigua Morinorum loca deprædatur, remensóque mari reuertitur. Otto Rex colloquium habuit cum Hugone, Heriberto, Arnulfo & Vvillelmo Normannorum Principe, & acceptis ab eis pacti sacramentis, trans Rhenum abit. Ludouicus Rex Virdunensem pagum petit, receptisque in clientelam quibusdam Episcopis Lothariensis regni, in Alesatiam venit, fugatísque trans Rhenum nonnullis Ottonis Regis fidelibus Laudunum reuertitur, ac Rodulfum eiusdem vrbis Episcopum proditionis insimulatum castro eiicit, résque Episcopij suis hominibus confert. Gislebertus Dux Lothariensium trans Rhenum profectus prædatum, dum reuertitur Saxonibus insequentibus in Rhenum cum equo desiliit, ibíque vndarum vi enecatus est. Eius vxorem Gerbergam Ottonis sororem Ludouicus Rex in regnum Lothariense regressus ducit vxorem. Britones cum Normannis confligentes victoria potiuntur. Otto Rex in Lotharienſe regnum regrediens penè cunctos ad se redire coëgit Lotharienses. Hugo Albus cum Heriberto ab eius reuersi colloquio loca quædam fidelium Remensis Ecclesiæ deprædantur, inquit Flodoardus, qui strictim attigit, quæ Luitprandus, Vittikindus, App. Reg. in quâ Ludouicus Caroli filius Rex dicitur Romanæ Galliæ, Sigebertus, aliíque fusiùs tractant de coniuratione Eberardi Arnulfi filij Bauariæ Ducis cum prædicto Gisalberto, & Henrico Regis Ottonis fratre natu minore, de cæde Eberardi prope Andernacum, de Capræmontis, & Brisaci obsidione, de Metensi Ep. de Capella Ludouici Pij in Theodonis villa instar Aquisgranensis ædificari cœptâ, destructáque, ne pro munitione haberetur, de Frederico Arch. Mog. & Rudhardo Strazburgensi Ep. in monasteria detrusis, de Danemaro altero Regis fratre ex concubina rebelli occiso, aliísque eodem spectantibus, vt de Magdeburgo siue Parthenopoli extructa eiúsque priuilegiis, de Ratherio Anthropomorphitarum hæresim refutante, &c. Leo VII. Papa obiit 6. Iunij, alij menſe Maio poſt ſedem annorum trium cum dimidio. Succeſſit Stepha-

nus VIII. Germanorum primus, vt volunt, opera Ottonis Regis, cui Romani gratificari voluerunt. De Eclipsi Solis quæ præcesserit ingentem Ranimiri de Saracenis victoriam, paucis diximus in Chronico Technico.

Anno Christi DCCCCXL. *Ludouici Transmarini* 4. *Berengarius Virdunensis Ep. consecratur ab Artaldo, cui ac per eum Remensi Ecclesiæ Rex per præceptionis regiæ paginam dedit Remensis vrbis monetam iure perpetuo possidendam : eidémque Ecclesiæ omnem Comitatum Remensem contulit. Idem Rex Vuillelmo principi Normannorum, qui se illi commisit, terram dedit, quam pater Carolus Normannis concesserat, & cum Artaldo proficiscitur ad castrum super Matronam, quod Heriueus nepos Heriuei, quondam Archiepiscopi tenebat, acceptísque obsidibus reuertitur Remos, pergénsque in crastinum ad S. Remigium sese ipsius sancti intercessionibus committit, promittens vadibus libram argenti se daturum annis singulis : Monachis quoque eiusdem loci præceptum immunitatis de eodem castello dedit. Hugo & Heribertus capta dein Remensi vrbe, Artaldum Episcopij se procuratione abdicare cogunt, concessa Abbatiá S. Basoli & Auennaco monasterio contentum, relictóque Remis Hugone Diacono filio Heriberti iampridem ad Episcopatum illius vrbis euocato, ad obsidionem Lauduni proficiscuntur. Verùm eâ adueniente Rege relicta ad Ottonem abeunt, éique ad Attiniacum sese committunt. Ludouicus Laudunum ingressus, victúque necessariis suis prouiso, Burgundiam cum Hugone Nigro, & Vuillelmo Pictauensi repetit. Otto Rex Bauariæ Duci Henrico fratri suo regnum Lothariense committit, & post Ludouicum in Burgundiam proficiscitur, habens secum Conradum filium Rodulfi Iurensium Regis, quem iamdudum dolo captum sibique adductum retinebat, castráque metatus super Sequanam obsides ab Hugone Nigro accepit, ne esset nocumento Hugoni, vel Heriberto, qui se ipsi subdiderant, quo facto ad sua reuertitur. Hugo filius Heriberti Remis à Vuidone Suessionico Præsule Presbyter ordinatur. Flodoardus ait se ab Heriberto, quinque mensibus sub custodia detentum, ablatis rebus, quas de Episcopatu tenebat, cum Ecclesia quam regebat in Culmisciaco. Ludouicus Rex acceptis obsidibus à munitione Petræpontis recedens in Lothariense regnum cum Artaldo Ep. & aliis fidelibus suis profectus est, & cum Ottone inducias pepigit. Tunc in locum Henrici fratris, quem Lotharienses expulerant, credere par est Ottonem Ricuini filium præpositum fuisse Lothariensibus Ducem, vel suo nomine, vel vt alij, tanquam tutorem Henrici pueri, qui filius fuit Gisleberti Ducis anno sup. demersi. Fridericum Arch. à Fulda*

remissum addit App. Heginonis: nec omittendus Vitikindus lib. 2. Flotildis virgo paupercula de villa Lauennâ visiones multas Sanctorum experta est, quæ editæ sunt post Chronicon Flodoardi, & post seq. annum in ipsa Natalis Domini nocte decessit. Saraceni occupato S. Mauricij vico transitu Alpium Gallos transmarinósque prohibuerunt. Albericus Marociæ filius Marchio Tusciæ Stephanum Papam tam fœdis vulneribus in vultu deformandum curauit, vt domo exire posthac non fuerit ausus. Berengarius iunior Senioris ex filia nepos timens Regem Hugonem se persequentem ad Herimannum Sueuorum Ducem, & per eum ad Othonem Regem fugit. Adelstanus Anglorum Rex, postquam an. 16. regnasset, obiit die 28. Octobris feria 4. Indict. 14. succedente Eadmundo fratre ad an. sex. Hic S. Dunstanum sibi consiliarium adsumpsit, teste Osberto. Petrus Candianus alterius cognominis Ducis filius post Petrum Badoërium ipse quoque Dux Venetiarum electus est.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCCXLI. *Ludouici Regis 5. Gerlandus Senonensis Archiepiscopus urbe sua depellitur à Frotmundo, quem Hugo Albus eidem ciuitati præfecerat. Ludouicus Rex Rotgarium Comitem super Matronam fl. comprehensum in Burgundiam secum duxit. Hugo & Heribertus Comites Episcopos conuocant Diœceseos Remensis: qui conuenientes apud Suessionem in Ecclesia SS. Crispini & Crispiniani, Hugonem filium Heriberti Comitis Remensium Archiep. legitimum decernunt, eúmque Remis consecrant Episcopum apud S. Remigium. Rotgarius Comes datis obsidibus dimittitur à Rege Ludouico, Duagium castellum reddens Arnoldo, quem iterum Miræus transformat in Arnulfum Flandriæ Comitem, cùm tamen mox rectè asserat Arnoldum cum Landrico fratre Lauduno expulsum. Canonici montis Falconis oppressione Virdunensis Ep. prægrauati deserentes cœnobium suum, corpus S. Balderici patroni sui Remos deferunt. Ludouico circa Victoriacum castrum diuersante Hugo & Heribertus Laudunum obsident: tum audito Regis in pagum Porcensem aduentu, aduersus eum properant, eiúsque exercitum fundunt fugántque. Artaldus pactâ cum Hugone Archiep. pace, redditísque sibi Abbatiis, & Vindenissâ villâ, ad S. Basolum habitaturus deuenit. Ex Gerberga filius nascitur Ludouico Regi, qui à Karlo Constantino Viennæ, & ab Aquitanis ad eum venientibus suscipitur. Hugo interim Heribertus, Vvillelmus, & Arnulfus simul loquuntur, & Heribertus inde Ottonem ad*

Regem trans Rhenum proficiſcitur. Otto fratrem ſuum Henricum, quòd cum Saxonibus quibuſdam conſpiraſſet, Ingelnheimij cuſtodiæ mancipauit, & Fridericus Arch. quia conſpirationis eius particeps videbatur, publica ſe examinatione, perceptione Corporis & Sanguinis Domini coram populo in Eccleſia purgauit. Ruſſos C P. infeſtantes Romanus Imp. vincit, claſſe eorum cremata. Rex Hugo, inquit Sigebertus, miſſo ſibi Græco igne ab Imp. Græcorum, Fraxinetum oppugnat, & anno demum ſeq. nauibúſque exuſtis Saracenos inde fugat. Addit Tangmarum fratrem Regis Ottonis rebellem in Hereſburch caſtro telis intra Eccleſiam confoſſum periiſſe.

Anno Chriſti DCCCCXLII. *regni ſui 6. Ludouicus firmatis ſibi Aquitanis Laudunum reuertitur. Legatus Stephani Papæ nomine Damaſus Ep. in Franciam venit, afferens litteras Apoſtolicæ ſedis ad Principes regni, cunctóſque Franciæ ac Burgundiæ habitatores, vt Ludouicum Regem ſuum recipiant, ſub excommunicationis interminatione. Legati Remenſis Eccleſiæ Roma regreſſi pallium deferunt à Papa Hugoni Archiep. tranſmiſſum. Odo Cluniacenſis Abbas pro pace agenda inter Hugonem Italiæ Regem, & Albericum Romanum Patricium laborat. Rotgarius Comes apud Vuillelmum Normannorum Principem legatione functus pro Ludouico Rege ibidem defunctus eſt. Idem Vuillelmus Regem regaliter Rotomagi ſuſcipit, & ad eum Vuillelmus Pictauenſis & Britones cum ſuis Principibus veniunt. Cum his ergo Rex ſuper Iſaram venit. Hugo verò & Heribertus cum Ottone Duce Lotharienſium deſtructis pontibus, & ablatis nauibus, ex altera parte fluminis conſederunt, & agitatá inter eos per internuncios controuerſiâ, tandem dantur inducíæ à medio Sept. ad medium Nouembrem. Fames magna, & mortalitas boum maxima, quam præceſſit Cometes per 14. noctes viſus. Rex Ottoni obuiam proficiſcitur, firmatáque cum eo amicitia, eiúſque opera Hugone & Heriberto cum æquinoco filio ſuo in fidem receptis, reuertitur, venientibúſque ad eum Remenſis Diœceſeos Epiſcopis, Rodulfo Laudunenſi ſuum reſtituit Epiſcopium. Prædictus Odo Abbas multorum reſtaurator monaſteriorum, ſanctæque regulæ reparator, Turonis obiit die 18. Nou. & ſepultus eſt apud S. Iulianum. Vide Flodoardum, & Appendicem Reginonis, vbi de Bonnenſi Synodo ab Epiſcopis 22. habita, de Baſilicæ S. Maximini Treuirenſis dedicatione, de venia Henrico fratri ab Ottone conceſſa, &c. Adalbero Metenſis Ep. Monachos in S. Arnulfi cœnobio collocat, amotis Clericis. Sigebertus in hac & ſeq. anni periocha fœdiſſimè aberrat ab Hiſtorica veri-*

tate, in iis quæ de Ottone, Gisleberto, Gerberga, aliísque iam præmisimus. In morte quoque Odonis allucinatus est, imò & Ademarum Odonis successorem iam tum substituisse sibi Abbatem Maiolum comminiscitur. Constantinus & Romanus eiúsque filij Impp. Græcorum priuilegium concedunt Monachis S. Vincentij ad fontes Vulturni : nec tamen inde quis certò colligat Calabriam, Apuliam, partémque Campaniæ iis tum paruisse. Northumbri rebelles missis ab Edmundo Anglorum Rege copiis subiguntur.

Anno Christi DCCCCXLIII. *Ludouici Regis 7. Arnulfus Flandriæ Comes Vvillelmum Normannorum Principem ad colloquium dolo perimi fecit. Rex filio Vvillelmi de concubinâ Britannâ nato terram Normannorum dedit. Heribertus Comes obiit, quem sepelierunt apud S. Quintinum filij sui. Artaldus relicto S. Basoli cœnobio ad Regem profectus assumptis fratribus suis aliísque, qui abiecti fuerant ab Episcopatu Remensi, Altmontem castrum occupat. Hugo Dux crebrò aduersus Normannos pugnat, & Ebroicensem vrbem obtinet. Ludouicus Rotomagum repetens Turmodum Normannum ad idololatriam reuersum interimit, eandémque vrbem Herluino committens venit ad Compendium, vbi eum expectabat Hugo Dux cum nepotibus suis Heriberti filiis. Quod quâ ratione intelligendum sit aduersus inanes Chiffletij argutias docuerunt eruditissimi viri Bouchetus, Dominicyus, Tenneurius, ac nuperrimè Blondellus, quos consule. Tunc primùm Rex Hugonem Archiepiscopum, mediatoribus Ottone Duce Lothariensium, Adalberone Præsule, atque Hugone Duce recepit, eo tenore, vt Abbatiæ Artaldo restituerentur, quas ad Regem profectus reliquerat, aliud ei prouideretur Episcopium : fratribus quoque eius honores redderentur. Idem Rex Rotomago profectus, Ebroicas ab Hugone Duce recepit, & Parisius depressus infirmitate penè tota decubuit ægrotus æstate. Hugo Archiep. Amblidum castrum cepit, atque combussit. Altmontem quoque obsedit. Herluinus cum Arnulfo congressus victoriáque potitus, eum quoque, qui Vvillelmum interemerat, occidit, & amputatas ipsius manus Rotomagum transmisit. Hugo Dux filiam Regis ex lauacro sancto suscepit, & Rex ei Ducatum Franciæ delegauit, omnémque Burgundiam ipsius ditioni subiecit. Idem verò Arnulfum cum Rege pacificauit, cui Rex infensus erat ob necem Vvillelmi. Otto quoque Rex, quosdam fideles Ludouici, qui sibi insidiabantur, comprehendit, & in custodiam misit : vnde inter ipsos Reges exortum est scandalum, inquit noster Flodoardus, cui quod ad Vvillelmi Longa-spatha dicti cædem attinet ad-*

iunge

iunge Dudonem, Gemeticensem, Ordericum, &c. qui diem 16. Kal. Ianuarij, locum Castellum Pinquiniacum Somonæ impositum, sicarium Balzonem Curtum, aliáque particulatim designant, quæ Normannicæ reseruantur Historiæ. Glaber Rodulfus lib. 3. cap. 9. dum eiusdem Willelmi necem narrat plurima peccat, quæ non est hîc opus enucleatiùs proponere. Satis erit monuisse Lectorem. Idem quoque de morte Heriberti II. Verimanduorum Comitis grauiter hallucinatus est lib. 1. cap. 3. cùm docet eam contigisse antequam Ludouicus Caroli Simplicis filius in Regem vngeretur, quod falsissimum esse nemo non videt. Post Stephanum Papam VIII. Marinus II. quibusdam dictus Martinus III. Ecclesiam regere incipit ab hoc vel sup. anno. Ottoni Duci Lothariensium defuncto Conradum filium Werinheri in Ducatu successisse memorat App. Regin. Sigebertus verò ab Othone Rege filiam Gisleberti neptem suam Bertaldo Duci Baioariorum desponsam. Verùm Ottonis Ducis mortem cum Flodoardo differt in an. seq.

Anno Christi DCCCCXLIV. *regni sui* 8. *Ludouicus Rex in Aquitaniam proficiscitur cum Regina Gerberga, & locutus cum Ragimundo Gothorum Principe, ceterisque Proceribus Aquitanorum, reuertitur in Franciam. Montiniacum castrum in pago Suessionico fideles Regis, necnon Ambianensem vrbem, quam tenebat Odo filius Heriberti, Deroldo Episcopo fauente recipiunt: vnde iterum exoritur discordia inter Regem & filios Heriberti. Otto Dux Lothariensium vita decessit. Ludouicus Rex pace facta inter Herluinum & Arnulfum castrum Ambianensium eidem Herluino dedit. Hugo Dux colloquium petit Herimanni Ducis, qui missus erat ad obsidenda castella Ragenarij ac Rodulfi fratrum, Ludouici Regis fidelium: qui cùm resistere non possent, veniam petierunt ab Ottone Rege. Is enim Aquisgranum veniens, & cum Lotharienſibus collocutus, Missos Ludouici Hugonísque excepit, audiítque altercantes. Prodigia deinde recenset Flodoardus, quæ fuit subsecuta Britonum pernicies, qui propter discordiam principum Berengarij atque Alani inter se diuisi, à Normannis magna sunt cæde attriti. Ciuitas eorum Dolus capta, eiúsque Episcopus confugientium in Ecclesiam stipatione oppressus, & enecatus. Secunda congressione victores Britones, vertia ad internecionem cæsi sunt, ac Normanni, qui nuper à transmarinis venerant regionibus, eorum terram inuadunt. Rex cum Arnulfo & Herluino, & quibusdam Episcopis Franciæ ac Burgundiæ Rotomagum veniens à Normannis suscipitur. Hugo Dux trans Sequanam faciens*

iter Baiocas vsque peruenit, & ab eius obsidione Regis iussu discedit. Quo discedente Rex in eam ingreditur: vnde & discordiæ fomes inter Regem concitatus & Ducem: sed & pro eo quod Rex obsides ab Ebroicensibus, qui Hugoni subditi erant, accepit, quos eidem Duci reddere noluit. Ratherius Ep. Veronensis ex Italia reuersus Laubium, benignè exceptus fuisse dicitur à Richario Leodiensi Ep. Ridiculè Caluisius ex Malmesb. annotat Ludouicum Galliæ Regem Herbertum Comitem qui patrem eius Carolum Simplicem captiuum habuerat, sustendisse, & Vvillelmum Rollonis filium Normanniæ Ducem ex insidiis hoc anno occidisse. Idem Imaginem Christi Edessenam ad Abagarum olim missam, quæ C P. delata est die 26. Augusti, fabulis annumerat. Ea est hominis hæretici similiúmque nugatorum in rebus ad pietatem spectantibus impudentia. Hugonis Italiæ Regis filia Berta C P. adducta, Eudoxiæ nomen accepit, & Romano Constantini Porphyrogennetæ Imp. filio nupsit. Collega verò Constantini Romanus Lecapenus, ciúsque socer, à filio Stephano imperio exutus, & detonsus in Insulam relegatus est die decimasexta Decembris, vt docent Cur. Ced. Zon. Glycas, Manasses, *&c.* Legendi quoque in eam rem Luitprandus lib. 5. & Sigebertus in Chronico. Idem porrò Stephanus cum Constantino fratre die vigesima-prima Ianuarij anni sequentis iam fuerant in Insulas deportati. Miræus Romanos duos in vnum inscitè confundit. *Obseruat Append. Reg. factione Conradi Ducis Ruthertum Archiepisc. Treuirensem, & Richarium Tungrensem Episc. infidelitatis apud Ottonem Regem accusatos in placito Duisburgensi crimen illud facilè diluisse;* Hungaros quoque à Carantanis magna cæde prostratos.

Anno Christi DCCCCXLV. *Ludouici Regis 9. Gerbergа Regina filium Lauduni peperit, qui Carolus ad catechizandum vocatus est. Bernardus Siluanectensis Comes, & Tetbaldus cum Heriberto castellum Regis Montiniacum Paschæ diebus aggressi capiunt, incendunt, ac diruunt. Idem quoque Bernardus venatores, & canes Regis inuadens equos eorum aufert, & Compendium Regalis sedis oppidum peruadit. Rex Ludouicus collecto Normannorum exercitu Veromandensem pagum deprædatur, assumptóque Herluino cum parte militum Arnulfi, Artaldo Ep. & aliis Remorum obsidet vrbem, & post 15. diem datis ab Hugone Ep. obsidibus recedit, pactísque circa missam S. Ioannis cum Hugone induciis vsque ad medium Augustum, Rotomagum petit. Theo-*

tilo Turonenſis Archiep. obiit, & in mon. S. Iuliani, quod inſtituerat, iuxta ſepulcrum domni Odonis humatus eſt. Lud. Rex ab Haigildo Normanno, qui Baiocis præerat, deluſus, cæſis prope omnibus ſocijs ſolus Rotomagum fugit, vbi ab aliis Normannis, quos ſibi fideles eſſe putabat, comprehenſus, & ſub cuſtodiâ detentus eſt. Hugo quoque Rex Italiæ cui poſt initum anno ſuperiore fœdus cum Saracenis Italiam vexantibus omnia infeliciter ceſſiſſe memorant Hiſtorici, regno depulſus à ſuis, & filius ipſius Lotharius in regnum ſuſceptus eſt. *Hugone Duce de regis ereptione laborante Normanni filios ipſius Regis ſibi obſides dari quærunt. Mittitur ad Reginam pro pueris, illa minorem mittens, maiorem fatetur ſe non eſſe miſſuram. Vvido quoque Sueſſonum Epiſcopus ſeſe obſidem tradit. Dimiſſus Rex à Normannis ſuſcipitur ab Hugone, qui eum committens Thetbaldo Carnotenſi ſiue Bleſenſi Comiti proficiſcitur Ottoni Regi obuiam. Qui nolens cum eo loqui, mittit Conradum Ducem Lotharienſium, cum quo locutus Hugo infenſus Ottoni Regi reuertitur. Richario Tungrenſium Epiſcopo mortuo, idem Epiſcopium Rex Otto Hugoni Abbati monaſterij S. Maximini nolenti atque refugienti dedit, eóque Ep. ordinato remeat trans Rhenum. Multi ab ignis ardenti plaga Pariſius in Eccleſiâ B. Genitricis Dei Mariæ ſanati ſunt, quos Hugo Dux ſtipendiis aluit quotidianis. De Richardo Normannorum Duce in priſtinos honores reparato, vide Fragmentum Hiſt. Franc. pag. 341. Tomi III. Vvillelmum Gemeticenſem lib. 3. cap. 7. alióſque.* Bertoldo Bauarienſi Duce mortuo ſuccedit in Ducatu frater Regis Henricus, teſte Reginonis Continuatore. Legatos Græcorum veniſſe ad Regem Ottonem cum muneribus docet Chronicon Hildensheimenſe.

Anno Chriſti DCCCCXLVI. *Ludouici Regis* 10. *Heriberti filij Hugone principe, quem auunculum ipſorum ex abuſu vocis huius ſimiliúmque per ea tempora familiariſſimo appellat, mediante pacantur. Hugo Rex Italiæ à ſuis in regnum recipitur. Edmundus Anglorum Rex Legatos ad Hugonem Ducem pro reſtitutione Ludouici Regis dirigit, qui proinde conuentus publicos cum nepotibus ſuis aliíſque regni Primatibus agit.* Marinus II. Papa deceſſit, die, vt quidam volunt 14. Maij, cui ſucceſſit Agapitus, & pax inter Albericum Patricium, & Hugonem Regem Italiæ depaciſcitur. *Hugo Dux Francorum aſcito ſecum Hugone Nigro Richardi filio, ceteríſque Primatibus regni Ludouicum Regem, qui ferè per annum ſub cuſtodia detinebatur apud Tetbaldum Comitem, in regnum reſtituit, recepto*

Lauduno castro, quod Regina Gerberga tenebat, & eidem Tetbaldo commisso. Edmundus Rex Anglorum defungitur die 26. Maij feria 3. vel vt alij die 28. Augusti trucidatur in conuiuio, succedente fratre Edredo ad an. 9. cum dimidio. Eiusdem Edmundi soror Ottonis Regis coniux eodem anno decessit. *Is verò Otto à Gerberga Regina, vocatus in auxilium cum Conrado Iurensi Rege, & Ludouico Rege Franciæ Remos obsedit. Hugo Archiep. consilio Arnulfi, qui eius sororem, & Vddonis, qui amitam ipsius habebat vxorem, & Herimanni Vddonis fratris vrbe abiit cum suis post tertiam obsidionis diem, ingressique Episcopi Rotbertus Treuer. & Fredericus Mog. & alij Artaldum sedi suæ restituerunt. Dein relictâ Remis Gerbergâ, Reges cis transque Sequanam loca plura vastarunt. Deroldus Ambianensium Præsul vita decedit, vt docet Flodoardus. App. Regin. falsò ait Laudunum redditum Ludouico,* & Edgidæ Reginæ siue Eadgit Eduardo Anglorum Rege natæ obitum in an. seq. differt. Ditmarus 26. Ian. diem huius anni signat, fortè quòd tum fuerit Magdeburgi sepulta in cœnobio S. Ioannis. Luitprandus initio lib. 6. testatur missas à Constantino Imp. literas ad Berengarium iuniorem, quibus ipsi commendabat Lotharium Italiæ Regem nurus suæ fratrem. *Vualciodorensem ad Mosam Abbatiam fundat Eilbertus Comes, Othone approbante: cuius & Agapeti Papæ priuilegia pro cœnobio Gemblacensi memorat Baronius, idémque agit de S. Ælfegi Vintoniensis in Anglia Episcopi obitu anno seq.*

Anno Christi DCCCCXLVII. *Ludouici Regis* 11. *Hugo Dux Arnulfi quasdam munitiones, & Rex Mosomum, quod Hugo Præsul Remis eiectus tenebat, frustra obsident. Bouone Ep. mortuo Catalaunenses Gibuinum eligunt nobilem adolescentem. Ludouicus Rex Aquis Pascha cum Ottone Rege celebrat, regiisque ab eo muneribus honoratur. Frustra quoque obsidetur Remensis vrbs ab Hugone Duce, & Hugone Præsule, qui prioris vsus consilio Ambianis ordinat Episcopum Tetbaldum quemdam Ecclesiæ Suessionicæ Clericum. Ludouicus Rex cum Arnulfo Monasteriolum castrum Rotgarij filij Herluini nullo fructu obsidet. Ludouicus & Otto Reges intrante mense Augusto super Charum fl. conueniunt, Hugone Duce circa Mosomum & Duodeciacum castra metato, vbi inter Remensis Ecclesiæ Præsules Artaldum & Hugonem auditur, & Synodus circa medium Nouembris habenda denunciatur: Artaldo interim concessa Remensi sede, & Hugone Mosomi commorari permisso. Inducia quoque inter Regem Ludouicum &*

Hugonem Ducem, vsque ad Synodi tempus mediante Ottone Rege disposita. Heriueus nepos Heriuei quondam Archiep. à Dodone fratre Artaldi, & Ragenoldo Comite in pugna interemptus est. Synodus prædicta Virduni habita est, adquam cùm vocatus venire Hugo noluisset, sedes Remensis Artaldo adiudicata est, vt pluribus Flodoardus in vtroque opere. Conradus Dux Lotharienſium Luitgardam filiam Regis, cui chariſſimus erat, in matrimonium ſumpſit, & Ludolfus eiuſdem Regis filius tertiam Hermanni Ducis filiam ſibi coniugio copulauit, ex App. Reg. Lotharius verò Italiæ Rex Adeleidam Rudolfi Burgundiæ Tranſiuranæ Regis filiam duxit vxorem Conradi ſororem, quæ poſtea Othoni Magno nupſit, & ad annum vſque 999. vixit. Hugo Lotharij pater Monachum induit, & paullo pòſt migrauit è viuis : fulmine periiſſe ſcribit Auctor Chronici Noualicienſis.

Anno Chriſti DCCCCXLVIII. *Ludouici Regis* 12. *Ianuarij die* 13. *Synodus celebratur in Eccleſia S. Petri ante conſpectum caſtri Moſomi, in quâ Rotberto Archiep. Treuirenſi præſide, Hugo, qui ad duas Synodos euocatus venire contempſerat, à communione & regimine Remenſis Epiſcopij iuſſus eſt abſtinere, donec ad vniuerſalem Synodum ſe purgaturus occurreret. Arnulfus Comes caſtrum Monaſteriolum fauente Hugone Duce capit. Interea proclamationis litteræ ab Artaldo diriguntur ad ſedem Romanam, & Agapitus Papa vicarium ſuum Marinum Epiſcopum Polymartienſem mittit ad Ottonem ad aggregandam generalem Synodum, quæ habita fuit die* 7. *Iunij apud Engilenheim palatium regale in Eccleſia B. Remigij, in cauſa maximarum diſſenſionum, quæ agitabantur inter Regem Ludouicum ac Hugonem Ducem, & inter Artaldum atque Hugonem, de Remenſi ſede altercantes. Epiſcoporum nomina, & Synodi illius acta exhibet Flodoardus, tum in Chronico, tum lib.* 4. *Hiſt. Remenſis cap.* 35. *Lotharienſes Epiſcopi Hugonem, & milites Moſomi commorantes, ad deditionem compellunt, acceptíſque obſidibus pergunt obuiam Ludouico Regi, & Conrado Duci in partes Laudunenſis pagi, obſeſſámque munitionem à Tetbaldo ædificatam, in loco, qui dicitur Mons acutus, capiunt : Dein Laudunum adeunt, & in Eccleſia S. Vincentij congregati prædictum Tetbaldum excommunicant : Hugonem verò Ducem vocant literis ex parte Marini Legati Apoſtolicæ ſedis, & ſuâ, vt ad emendationem veniat pro malis, quæ contra Regem & Epiſcopos egerat. Vvido denique Sueſſionicæ vrbis Ep. ad Regem veniens eidem ſeſe committit, pacatúrque cum Artaldo Arch. ſatisfaciens illi pro ordinatione Hugonis. Conradus quo-*

que Dux filiam Ludouici Regis ſacro de fonte ſuſcepit, ſi.que recepto Moſomo caſtro, & euerſo, Lotharienſes reuertuntur. Hugo Dux Sueſſionicam vrbem & munitionem Ragenoldi Comitis ſuper Axonam, in loco, qui dicitur Rauciacus, nondum perfectam caſtris vallauit, ſed non cepit. In Synodo Treuirenſi præſide eodem Marino, Hugo Dux Ludouici perduellis iterum excommunicatus cum Epiſcopis Tetbaldo atque Iuone ab Hugone Remenſi ordinatis, vocatúſque Hildegarius Bellouacenſis, qui illicitæ prædictorum ordinationi interfuerat, & Heribertus Heriberti filius pro malis, quæ contra Epiſcopos agebat. Luidulfus Capellanus Ottonis Marinum Vicarium deducit ad Regem ſuum in Saxoniam, vbi conſecraturus erat Eccleſiam Fuldenſis monaſterij. *Hoc anno defunguntur Geruncus Bituricenſis Arch. & Rodulfus Laudunenſis Ep. Aſcitur quoque Ludouico Regi filius, quem Præſul Artaldus de ſacro fonte ſuſcepit, patris ei nomen imponens. Hæc Flodoardus, iiſque plura.* Dux Baioariæ Henricus Aquileiam in Italiâ capit, Hungaros bis ſuperat, Ticinum tranſit, & cum multis manubiis redit, inquit Sigebertus, qui plura addit, *de Immunitate Gemblacenſis Eccleſiæ ab Ottone conceſſa, & de Erluino primo Abbate à S. Guiberto electo. Lambertus Louanienſis I. Comes monaſterij illius Aduocatus conſtitutus fuit, vnde anſa oblata Miræo texendi ſeriem Comitum Louanienſium, qui & Bruxellam poſſederunt cum aduocatia Eccleſiæ Niuellenſis & Abbatiæ Gemblacenſis.* Romanus Lecapenus moritur menſe Iulio, Conſtantino Imp. litteras propoſitis præmiis ad priſtinam gloriam reuocante. Etheid Regina obiit 7. Kal. Februarias ex Chronico Hildensheimenſi.

Anno Chriſti DCCCCXLIX. *Ludouici Regis* 13. *electus à quibuſdam Laudunenſibus Rorico Diaconus, ipſius Regis frater, Remis conſecratus eſt Ep. ab Artaldo, & Lauduno excluſus apud Petræpontem reſedit. Ambianenſes Tetbaldum, quem eis Hugo conſtituerat Ep. exoſi caſtrum Arnulfo Comiti produnt, cuius opera Ragembaldus Atrebatenſis Monachus ab eodem Artaldo Remis conſecratus eſt in Ambianenſem Præſulem. Imminente Paſchali ſollemnitate Gerberga Regina proficiſcitur ad fratrem ſuum Ottonem, & Aquiſgrani Paſcha cum ipſo celebrat. Ludouicus Rex Laudunum capit, præter turrim Regiæ domus, ad Othonem pergit, Remóſque reuerſus Adalbertum filium Heriberti ad ſe venientem excipit. Codiciacum redditur Artaldo. Suburbium Siluanectenſis vrbis ſuccenſum, dein induciæ pactæ, inter Regem Hugonémque, vſque ad octauas Paſchæ. Ragenoldus Comes Caſtellionem caſtrum*

quondam Heriuci conscenso noctu muro capit, & Dodo Artaldi frater Altmontem simili penè modo recipit. Agapitus Papa Synodum habuit apud S. Petrum, in qua damnationem Hugonis Arch. apud Ingulenhein factam confirmauit, excommunicans quoque Hugonem Ducem, & alios, donec Ludouico Regi satisfaciant. Luidolfo Othonis Regis filio Mathildis filia nascitur. Herimannus Dux obiit, & Waldo Curiensis Episcopus. Taxis Hungarorum Rex in Italiam veniens decem modios nummorum à Berengario pro reditu accipit. Haraldus Danorum Rex ad Christi fidem conuertitur, Episcoparus noui Hamburgensi subiiciuntur. Hæc & alia Flod. App. Reg. Sigeb. Witik. Dithmarus, Adamus, alij. *Gerunco Bituricum Patriarchæ succedit Launus siue Launo Archidiaconus eius, vt creditur, nepos ad ann. 7. vnde mira est allucinatio Claudij Roberti dum 7. Kal. Iunij anni 950. contendit obiisse Launum, & Richardum 13. Kal. Dec. an. 959. Idem quoque errat cùm Launum Stephani V. Papæ Legatum fuisse asserit, sed hæc & similia aliàs pluribus exponenda.*

Anno Christi DCCCCL. *Ludouici Regis 14. missus ab Ottone Rege Conradus Dux cum Lothariensibus, Hugo Niger, & Episcopi Adalbero atque Fulbertus, Ludouico Regi reconciliant Hugonem Ducem super Maternam fluuium: qui cum Arnulfo Comite, Ragenoldo Comite, & Archiep. Artaldo pariter pacatus turrim Lauduni Regi reddidit. Idem paullo pòst Ambiani alteram turrem, quam Arnulfi Comitis homines custodiebant, obsedit, Rege Lauduni ex ægritudine decubante. Braina super Vidulam ab hominibus Ragenoldi Comitis furtiuo capta ingressu, prioribus à Rege redditur custodiis. Codiciacum noluit Artoldo reddere Tetbaldus, vnde Regis in Hugonem exorta simultas. Artoldus Nouiomensium Episcopum Rodulfum Remis ordinat.* Lotharius Hugonis filius Italiæ Rex dum Papiâ Taurinum veniret, die 13. Nou. feria 4. per præceptum dedit Arduino Marchioni Abbatiam Bremensem, nec multo post mortuus est die 22. Nouembris feria 6. Flodoardus veneno necatum fuisse ex aliquorum opinione scribit, alij sæuo animi dolore affectum in phreneſim incidisse scribunt, cùm Hungarorum incursionibus, & Berengarij iunioris rapinis miserè diuexatam videret Italiam, & sepultus est Mediolani in sepulcro sui genitoris. Post hos regnauit Berengarius iunior cum filio suo Adelberto die Dominica, quæ est 15. dicti mensis in ciuitate Papia ante absidam S. Michaëlis Ind. 9. vt discès ex Chronico Noua-

licienſi. Adelais Lotharij vidua ad Azonem Comitem in arcem Canuſinam confugit, & Ottonem in Italiam euocat, vt pluribus Luitprandus, & Leo Oſtienſis. Ranimirus Rex Legionis victis ad Talaueram Saracenis, ſubitò lapſus in morbum obiit die 5. Ianuarij, ſuccedente Ordonio filio annis 5. menſ. 7. Mortuis Rothardo Stratzburgenſi, & Rhitgonnone Wormatienſi Epiſcopis, ſubrogati ſunt Vdo filius Vdonis Comitis & Anno. Otto Rex Purificationem B. Mariæ Francofurti celebrauit, indéque Warmatiam adiit, vbi viduam Herimanni Ducis benignè ſuſcepit, & filio Liudulfo Ducatum Alemanniæ commiſit. Idem Boleſlaum rebellantem ditioni ſuæ ſubdidit.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCCLI. *regni ſui* 15. *Ludouicus Rex in Aquitaniam cum exercitu contendens Karlo Conſtantino Viennæ Principe, Stephano Aruernorum Præſule, & Vuillelmo Pictauenſi Comite benignè ſuſceptis, antequam eam ingrederetur, graui infirmitate correptus eſt: reparatiſque viribus apud Letaldum quendam Burgundiæ Comitem in Franciam rediit. Interea Fridericus Adalberonis Ep. frater, qui filiam Hugonis ſibi deſponderat, in hoc regnum veniens munitionem in loco, qui dicitur Barris (ſic enim pro Banis aut Fanis Sirmondus, Ducheſnius, Miræus, aliíque docti viri iudicarunt, vno excepto Chiffletio, quem auia ſua pro more peragrantem ſplendidè alij iam refutarunt. Quòd ſi Fanis legas, ſenſus erit, in ditione proximi loci, qui Fana dicebatur, ædificatum fuiſſe caſtrum Barrum, quaſi barram, appellatum ad incurſiones Campanorum in Lotharingorum agros impediendas) inconſulto Rege, vel Regina conſtruere cœpit, & loca circumpoſita crebris deprædationibus diripit. Pro quâ re valdè moleſtus Ludouicus Rex legationem ſuam dirigit ad Ottonem. Cum quo Aquiſgrani Paſcha celebrauit Hugo Princeps, quem multis donis optimè muneratum deduxit Conradus Dux vſque ad Matronam fluuium, & Rageneri II. Hainoenſis Comitis, quoddam caſtellum cepit. Legati Ludouici Regis regreſſi nunciant nolle, imò & prohibere Othonem, ne Fredericus, vel aliquis ſuorum vllam munitionem in hoc regno habeat, niſi conſenſum Regis Ludouici ſuper hoc ſibi obtinere queat. Hungari ab Italia tranſcenſis Alpibus Aquitaniam multis deprædationibus attriuerunt, iidémque per Italiam in terram ſuam reuerſi ſunt. Ludouicus Rex Brenam munitionem capit diruítque. Otgina, ſic enim legendum non Gerberga, aut Ottogeba, vt alij paſſim minus accuratè, Regina*

gina mater Ludouici Regis Lauduno egreſſa ad Heribertum fratrem Adalberti proficiſcitur, eíque nubit. Vnde Rex iratus Abbatiam ſanctæ Mariæ, quam ipſa Lauduni habebat, recepit, & Gerbergæ vxori ſuæ dedit. Fiſcum quoque Atoniacam, ſiue Attiniacum ſuo dominio ſubdidit. Otto Rex Italiam adiit, ad cuius aduentum Berengario Langobardorum Rege ab vrbe Papia fugiente, ipſe eam ingreditur vrbem. Vxorem quoque Lotharij Regis Adelaidem ſororem Conradi Regis Iurenſis ſibi coniugem ducit. Extat in Excerptis Chronici S. Vincentij de Wlturno pag. 699. Tomi III. Coll. Ducheſnianæ charta data 6. Kal. Octobris, hoc anno Dom. Inc. regni verò Berengarij atque Adelberti piiſſimorum Regum primo Ind. 10. Huberto Cancellario ad vicem Bruningi Epiſcopi, & Archicancellarij. Saraceni meatus Alpium obſidentes à viatoribus Romam petentibus tributum accipiunt, & ſic eos tranſire permittunt. De Ottonis Italica expeditione, præter Flodoardum, conſule Luitprandum, App. Reg. Fragm. Hiſt. Ottonem, Vrſperg. aliósque. *De fundatione Abbatiæ ſancti Vitoni à Berengario Ep. Virdunenſi hoc anno plura ſuggeret Chronicon Hugonis ex Monacho Virdunenſi Abbatis Flauniacenſis in Burgundia à nobis vulgatum. Meminit quoque Chronicon Benignianum ad Cycles Paſchales pag. 293. Nouæ Bibliothecæ.*

Anno Chriſti DCCCCLII. *Ludouici Tranſmarini* 16. Otto Rex legationem Romam vt ſuſcipiatur dirigit: verùm ea ſpe fruſtratus, cum vxore ſua in Germaniam rediit, dimiſſis ad cuſtodiam Papiæ quibuſdam ex ſuis. *Ludouicus Rex cum Gerberga Laudunum recepit.* Berengarius Rex ad Conradum Ducem, qui Papiæ remanſerat, venit, à quo ad Ottonem perducitur, quem ille benignè ſuſcipiens in Italiam pacificè redire permiſit. Ipſe quoque Otto poſt celebrationem Paſchæ Papiam regreditur. *Conradus cum Hugone Duce & Lotharienſibus obſidet Maroillum, munitionem intra fluuium Matronam, capit, ſuccendítque. Hugonis verò nepotes Heribertus, & Robertus ſibi interim munitionem inſtruunt in loco, qui dicitur Mons Felicis. Rex cum Artaldo Arch. & Raginoldo Maroillum reſtituit, pluribúſque relictis cuſtodibus Pontigonem fiſcum, quem Heribertus inuaſerat, aliámque munitionem contra Victoriacum caſtrum inſtruit. Artaldus in monaſterio S. Baſoli monachos mittit, expulſis Clericis, inquit Flodoardus. Floriacenſe Chronicon docet obiiſſe Hugonem Nigrum Burgundionum Du-*

cem & Alanum Britonum. Plura App. Reg. & Witik. aliíque Germani de Ottone, eiúſque filio Luidolfo, de Conuentu publico apud Auguſtanam vrbem mediante Auguſto menſe, vbi Berengarius cum filio Adalberto Italiam dono Regis accepit regendam, Marcâ Veronenſe, & Aquileienſi exceptâ, quæ Henrico Ottonis fratri commiſſa eſt. Subdit App. Berengarium in Italiam reuerſum omnia in Epiſcopos & Comites retorſiſſe, eóſque odiis inſequendo inimiciſſimos ſibi feciſſe. *Obiit Rodulfus Largus Ebbonis filius ſecundus Dominus Dolenſis qui ædificauit Caſtrum-Rodulfi, & dedit Monachis Caſtrum Dolenſe, & quidquid in eo iuris habebat, inquit Auctor Chron. Dolenſis pag. 315. Nouæ noſtræ Bibliothecæ. Pag. verò 333. Lemouicenſe Chronicon memorat Monaſterium ſancti Martialis igne crematum fuiſſe in eóque multa altaria effracta, & multa ornamenta periiſſe.*

Anno Chriſti DCCCCLIII. *Ludouici* 17 *Hugo Dux Legatos mittit ad Regem pro pace, & cum Gerberga Regina colloquutus, obtinuit vt munitio, quæ contra Victuriacum conſtructa fuerat, ſolueretur. Dein placitum concordiæ mediante quadrageſima iniere Succeſſionis. Gerberga Lauduni geminos enititur, quorum vnus Carolus, alter, qui mox poſt baptiſmum obiit, vocatus eſt Henricus. Synodus quinque Epiſcoporum apud S. Theodericum in territorio Remenſi celebratur Artaldo præſide aduerſus Ragenaldum, ſiue Ingenoldum Comitem rerum Eccleſiaſticarum peruaſorem, cuius excommunicatio Rege petente tunc intermiſſa eſt.* Nato Ottoni ex moderna coniuge filio ferebatur eidem Rex ſuum promittere regnum, quod priuſquam Italiam peteret Luidulfo delegauerat, & magnates ſuos eidem promittere fidelitatem iureiurando fecerat. Inde Luidolfi cum Conrado Lotharienſium Duce, Friderico Arch. Mog. aliíſque aduerſus patrem conſpiratio, qui Conradum à Ducatu Lotharienſium remouit. *Hic aduerſus Ragenarium II. Hainoenſem Comitem collecta manu victus, & in fugam verſus Moguntiam ſe recepit, quam vrbem obſedit Otto per duos ferè menſes, acceptíſque à Conrado obſidibus trans Rhenum abiit, vocatúſque ab Henrico fratre Baioariam petiit, quam filius Luidulfus captis quibuſdam vrbibus deuaſtabat. Nec mora Conradus dimiſſo Moguntiæ militum ſuorum præſidio Mettenſem inuadit vrbem, eámque poſt non modicam deprædationem hortatu Agenoldi Abbatis relinquit. Vvicfredus Colonienſis Antiſtes defungitur, & Bruno frater Regis Ottonis inibi Pontifex ordinatur, cui etiam Rex Otho regnum Lotharienſe committit, in-*

quit Flod. Qui verò quantus qualisve fuerit apud Deum & homines, inquit Sigebertus, ediscat in vita ipsius, quam Rogerus luculenter descripsit. Huius studio translata sunt à Roma Coloniam corpora SS. Elaphij, Patrocli, Priuati, Gregorij, cum baculo S. Petri. App. Reg. Brisacum, quo confugerat Fridericus Arch. Mog. vocat latibulum semper Deo Regíque rebellantium, addítque Luidolfum Bauaros machinatione Arnoldi fratris vxoris eius à Rege auertisse, & Ratisbonæ thesauros rapuisse, in cuius obsidione Otto penè vsque ad Natalem Domini permansetit.

Anno Christi DCCCCLIV. *Conradus pacto cum Hungaris inito per regnum Lothariense eos deducit, vsque in terram Ragenarij Hainoensis Comitis æmuli sui atque Brunonis, Colonienſis Arch.* Etsi autem eos prope Traiectum ad Mosam deseruisset, illi tamen Hasbaniam vastant, Carbonariam siue Hannoniam petunt, Laubias succendunt, basilicam S. Gaugerici ad Cameracum comburunt. *Eò referas velim quæ ad an. sup. retulit Sigebertus: Hungari 8. Idus Aprilis ad Camaracum obsidendum aduolant: sed triduo elapso sine effectu recedunt, Fulberto Ep. in omnem partem adnigilante. Inde cum præda magna captiuorúmque multitudine regnum ingressi Ludouici per pagos Veromandensem, Laudunensem, Remensem, ac Catalaunensem, Burgundiam intrant, multísque suorum tam præliis, quàm morbis amissis per Italiam reuertuntur ad sua. Ludouicus Ludouici Regis filius Lauduni defungitur. Ipsi verò Regi, cùm ex eâ vrbe Remensem peteret antequam ad Axonam fluuium perueniret, apparuit quasi lupus præcedens: quem admisso insecutus equo prolabitur, grauitérque attritus Remos defertur, & protracto languore decubans, elephantiasis peste perfunditur, quo morbo confectus diem clausit extremum 15. Octobris, cum regnasset annos 18. mens. 3. & dies 26. sepultúsque est apud S. Remigium. Gerberga Regina mittit ad Hugonem, eius consilium, & auxilium petens, quam ille ad colloquium adscisit, & de prouectione filij eius in regnum pollicetur. Lotharienses tam Conradi Ducis infestationibus, quàm mutuis inter se deprædationibus lacerantur. Fulcarius Decanus monasterij S. Medardi Remis ordinatur Nouiomensium Ep. Fredericus frater Adalberonis Metensis Ep. filiam Hugonis Ducis Beatricem ducit vxorem. Heribertus Comes Rauciacum Ragenaldi munitionem per satellites suos furtiua irruptione inuadit.* LOTHARIVS *puer Ludouici filius Rex ab Artaldo Archiep. consecratur die 12. Nouembris apud S. Remigium, fauente Hugone Principe, & Brunone Archiepiscopo, cæterísque Præsulibus ac Proceribus Franciæ, Burgundiæ, atque*

Lotharius.

Aquitaniæ. Burgundia & Aquitania Hugoni dantur à Rege, qui cum matre Laudunum reuertitur. Inter Ragenaldum & Heribertum de castris, Rauciaco & Monte-Felicis, contenditur. Alberico Patricio Romanorum defuncto filius eius Octauianus, cùm esset Clericus, principatum adeptus est. Vide Flod. Fragm. Hist. Hugonem Flor. Chronica Cameracense, Senonense, &c. Append. Reg. Witikindum, aliósque. *Sigebertus docet Ratherium Monachum Laubiensem virum eruditum bus Episcopatu Veronensi depulsum Faraberto mortuo Leodiensem Ep. fuisse ab Arch. Brunone ordinatum. Obiit die 24. Nouembris Fridericus Arch. Moguntinus, cui Vuillelmus ex concubina Ottonis filius subrogatus est die 17 Dec.* quo Luidolfus à patre in gratiam receptus est, quod factum fuisse opera atque interuentu S. Vdalrici Augustani Episcopi Vitæ eius Auctor testatur, ac die 24. Decembris consecratus. De corpore S. Matthæi Apostoli Salernum translato consule Chronicon Cassinense.

Anno Christi DCCCCLV. *Lotharij primo.* Otto Rex Hungaris de locis suis prædatum progredientibus obuiam profectus pugnauit cum eis & vicit, nec eos ingredi regna sua permisit. *Hugo Dux Gerbergam cum Rege Parisius honorifice suscipiens ad Pascha per plures detinuit dies. Inde cum ipso Rege in Aquitaniam profectus, vrbem Pictauim obsidet, incensóque castro S. Radegundis vrbi contiguo à Raginoldo Comite, & post duos menses exercitu victus penuriâ fatigato discedit. Vuillelmus Regium exercitum insequutus ab eo in fugam vertitur, multis Aquitanorum interfectis, & nonnullis nobilibus captis.* Hungaros iterum vicit magna strage Rex Otto, & cunctos penè deleuit, desiderato in ea congressione Conrado Duce Warmaciensium, qui fortiter pugnauerat. Eum absque liberis decessisse constat, quamuis Otho Frisingensis lib 6. cap. 28 Conradum Salicum Imp. proauum suum maternum ex eo prosapiam duxisse asseruerit. Idem suffragante Burislao Rege de duobus aliis Sarmatarum Regibus victoria potitus est. *Fulcharius Ep. defuncto Hadulfus in Nouiomensem Ep. consecratus est Remis ab Artaldo, Roricone, & Gilduino.* Agapito II. Papa defuncto sub anni exitum, cùm sedisset an. 9. mens. 7. & diebus 10. Octauianus, quem post Alberici patris mortem principatum vrbis fuisse adeptum diximus, suggerentibus Romanis, Romanus Pontifex efficitur, dictúsque est mutato tum primum nomine Ioannes XII. annum agens

ætatis 18. *Gislebertus Manassis filius moriens Ducatum Burgundiæ reliquisse dicitur Ottoni filio Hugonis Magni, cui filiam suam Leudegardam coniugem dederat.* Henrico fratre Ottonis Regis mortuo mense Nouembri Ducatum Bauariæ filio eius Henrico & Marcam dedit Otto, cui filius Otto II. ex Adeleide hoc anno natus fuit. Berengarius Italiam Pontificiasque ditiones vexat. Plura dabunt Flod. App. Reg. Witik. Luitpr. lib. 6. cap. 6. & ex recentioribus Onufrius, & Baronius. Post Eldredum in Anglia regnat Edwinus Edmundi Regis filius, de quo fusiùs Willelmus Malmelburiensis, cæteríque Anglicæ Historiæ Scriptores.

Anno Christi DCCCCLVI. *Lotharij* 2. *Otto Rex placitum habuit apud Ingelenheim, & post Pascha Coloniæ, vbi & obsides, & pecuniam à Lothariensibus accepit. Pestilentia per Germaniam Galliámque effusa Rotgarium Treuirensem Arch. Ragenarium, Baldricum, duósque alios Episcopos de medio tollit. Lotharius Rex munitionem super Carum fluuium, quam Ragenarius Comes Vrsioni Remensis Ecclesiæ militi abstulerat, pugnando recepit, castróque incenso filios Ragenary ac milites abduxit, qui postea redditi sunt, cùm post Hugonis Ducis Francorum obitum Gerberga Regina colloquium habuit cum Brunone fratre suo, & possessiones, quas illi quondam Gislebertus Dux dotis nomine dederat, recepit. Henricus Othonis Regis propinquus Episcopium Treuirense accipit. Fulberto verò Cameracensi Ep. mortuo Berengarius Transrhenensis Clericus Bouonis, Catalaunensis quondam Ep. nepos ab Artaldo Remis ordinatus est, teste Flodoardo in Chronico. Ratherico, ab Episcopatu Leodiensium electo, Baldricus, annuente auunculo suo Raginero Comite Montensi, siue Hainoensi, Longicollo dicti solito, Episcopus substituitur, inquit Sigebertus, quem de portentis huius anni consule: quod enim addit de Friderici Mog. Ep. morte eiúsque successore allucinatur.* App. Reg. subiungit Luidulfum in Italiam ad deprimendam Berengarij II. tyrannidem missum expulso breui Berengario totius penè Italiæ possessorem effectum. *Defungitur die 7. Kal. Iunij Launus Bituricensis Archiepiscopus, cui per an. 9. succæssit Richardus I. Auarus dictus. Hugo Magnus siue Albus Dux ac Princeps Francorum potentissimus, (cuius erant tres filij ex Hadwige Ottonis Magni sorore nati, Otto natu maior, Hugo qui postea regnauit Capetus dictus, & Odo siue Henricus Ottonis fratris in Burgundiæ Ducatu successor) hoc anno obiit die 16. Kal. Iulij apud Drodingam villam, sepultúsque est in basilica S. Dionysij Marty-*

rus, vt præter Flod. fidem faciunt Fragm. Hist. Chronica Senonense, & Floriacense cum Hugone, Odoranno, &c. Caluisius in biennium falsò differt. Obierat verò die 27. Febr. Theophylactus Romani Imp. filius P. C P. pòst 23. sedis annos, succedente ad an. 14. **Polyeucto Monacho Eunucho.**

Anno Christi DCCCCLVII. *Lotharij 3. bellorum tumultus agitantur inter Brunonem ex Præsule Coloniensi Ducem, & Ragenarium Comitem, cæterósque Lotharienses. Item in Francia inter Arnulfi filium Balduinum, & Rotgarium Herluini filium, ob castrum Ambianense. Rotbertus filius Heriberti se Lothario Regi committit, qui cum matre sua Gerberga, & amita sua Hadewwige Hugonis Magni relictâ obuiam pergit auunculo suo Brunoni in pagum Cameracensem. Videns verò Ragenarius non posse se venienti resistere, ad Brunonem venit: quia verò quæsitos dare noluit obsides, cum Bruno apud Valentinianas comprehendens sub custodia secum deduxit, nec multo post trans Rhenum in exilium misit ad Sclauos. Ludouicus Othonis filius qui pænè totam obtinuerat Italiam obiit die 6. Septembris, sepeliturque Moguntiæ apud S. Albanum à Vvillelmo fratre Arch. Mortis huius nuncius patri delatus est, cùm aduersus Sclauos castra moueret. Plura Flod. App. Reg. Vvitik. Chronicon Hildensheimense, & Sigebertus, sed post biennium dumtaxat, vbi addit bonis Ragineri illius Montensis Comitis, qui Longicollus cognominabatur, ad fiscum publicatis, filios eius Raginerum & Lambertum ad Lotharium Francorum Regem confugisse. Eodem teste constat à Brunone Coloniæ constructum S. Pantaleonis cœnobium.*

Anno Christi DCCCCLVIII. *Lotharij 4. Codiciacum oppidum quidam Artaldi Arch. fideles clandestina irruptione capiunt, sed cùm Harduinus, cui Tetbaldus castrum commiserat, turrim aduersus Lotharium Regem, & Artaldum fortiter propugnaret per duas hebdomadas, ab obsidione datis obsidibus discedituir. Tetbaldi homines munitionem Fara dictam proditione capiunt, quæ iussione Tetbaldi paullo pòst redditur, cùm ad eam oppugnandam Rorico Præsul Laudunensis, & Rex ipse accurrisset. Otto Rex aduersus Sarmatas abiit, dum Bruno Archidux Lotharingiæ cum exercitu per Franciam proficiscitur in Burgundiam locuturus cum sororibus ac nepotibus suis. Hæc Flod.* At App. Reg. meminit Synodi in Octauis Paschæ habitæ ab Episcopis 16. in palatio Ingelheimensi, vbi Fridericus Viennensis Ecclesiæ Archiep. ordinatus est. Signum Crucis in vestimentis hominum apparuit, illis qui derisui illud habebant mortem

inferens, illis autem qui piè & religiosè illud venerabantur nihil mali intulit, inquit Auctor Chronici Hildensheimensis. *Ratherius Episcopatu Leodicensi deiectus in Italiam rediit, & de suis ærumnis prolixam scripsit Epistolam ad Ioannem Papam: Veronensi sede restitutum opera Brunonis Arch. Colonienſis ferunt. S. Gerardus fundator Bronienſis cœnobij, quod nunc S. Gerardi Abbatia in pago Namurcensi dicitur, moritur die 3. Octobris. Vide Surium Tomo V. Sigebertum, Ægidium, aliósque Leodienſis Historiæ Scriptores à Chapeauillá editos.*

Anno Christi DCCCCLIX. *Lotharij 5. Bruno iterum in Franciam venit, & apud Compendium cum Regina sorore ac nepotibus suis discordantibus colloquium habuit. Lotharius Rex cum matre sua Coloniam proficiscitur in diebus Paschæ moraturus hac festiuitate cum auunculo suo Brunone; datáque illi securitate de regno Lotharienſe, & quibusdam acceptis ab auunculo donis Laudunum reuertitur. Lotharienses à Brunone desciscunt, suasore quodam Immone, qui eius pridem consiliarius fuerat. Bruno reuocatis quibusdam insuetis oneribus Fredericum Comitem Ottonis Ducis filium, vice sua eis præfecit. Sunt tamen qui velint duas in partes seu Præfecturas diuisam tum fuisse Lotharingiam, & superioris quidem seu Mosellanicæ Ducem creatum à Brunone, quem Archiducem ideò vocasse videtur Sigebertus, Fridericum; Inferioris verò cuius præcipua pars fuit, quæ modò dicitur Brabantia, Ducatum suscepisse Godefridum, eóque pestilentia anno 964. sublato Godefridum filium, vsque ad ann. circiter 976. Arnulfus Flandriæ Comes Remos venit, & Ecclesiam S. Mariæ non modico argenti pondere munerauit, sanctíque Remigij monasterio dona contulit. Rotbertus Comes Heriberti frater Diuionum inuadit, expulsis Regis fidelibus. Quapropter accitus Bruno Regis ac Reginæ petitione, in Burgundiam venit cum Lotharienſibus, idémque castrum, sed & Trecas ciuitatem, quâ idem potiebatur Rotbertus, obsidione vallat. Flod.* Northumbri ab Anglis deficiunt, quibus mortuo Edwino imperare cœpit hoc anno Edgarus dictus à Willelmo Malmesburienſi ob egregias virtutes Anglorum delitiæ. De Legatis Helenæ Rugorum, siue Russorum Reginæ, missóque ad eam Episcopo, App. Reginonis, & è recent. Baronius. *Baldrico Leodienſi Ep. succedit Etacrus, siue Euraclus, qui duo in vrbe monasteria S. Pauli, & S. Martini construxit, teste Sigeberto.* Constantinus Porphyrogenetus Imp. Orientis obiit die 9. Nou. cùm regnasset omnino annos 48. & mens. 5. vixisset 54. Successit filius eius Romanus

ris, vt præter Flod. fidem faciunt Fragm. Hist. Chronica Senonense, & Floriacense cum Hugone, Odoranno, &c. Caluisius in biennium falsò differt. Obierat verò die 27. Febr. Theophylactus Romani Imp. filius P. C P. pòst 23. sedis annos, succedente ad an. 14. **Polyeucto Monacho Eunucho.**

Anno Christi DCCCCLVII. *Lotharij* 3. *bellorum tumultus agitantur inter Brunonem ex Præsule Colonicnsi Ducem, & Ragenarium Comitem, cæteróque Lotharienses. Item in Francia inter Arnulfi filium Balduinum, & Rotgarium Herluini filium, ob castrum Ambianense. Rotbertus filius Heriberti se Lothario Regi commutit, qui cum matre sua Gerberga, & amita sua Hadewwige Hugonis Magni relictâ obuiam pergit auunculo suo Brunoni in pagum Cameracensem. Videns verò Ragenarius non posse se venienti resistere, ad Brunonem venit: quia verò quæsitos dare noluit obsides, cum Bruno apud Valentinianas comprehendens sub custodia secum deduxit, nec multo post trans Rhenum in exilium misit ad Sclauos. Ludiuicus Othonis filius qui pænè totam obtinuerat Italiam obiit die 6. Septembris, sepelitúrque Moguntiæ apud S. Albanum à Vvillelmo fratre Arch. Mortis huius nuncius patri delatus est, cùm aduersus Sclauos castra moueret. Plura Flod. App. Reg. Vvitik. Chronicon Hildensheimense, & Sigebertus, sed post biennium dumtaxat, vbi addit bonis Ragineri illius Montensis Comitis, qui Longicollus cognominabatur, ad fiscum publicatis, filios eius Raginerum & Lambertum ad Lotharium Francorum Regem confugisse. Eodem teste constat à Brunone Coloniæ constructum S. Pantaleonis cœnobium.*

Anno Christi DCCCCLVIII. *Lotharij* 4. *Codiciacum oppidum quidam Artaldi Arch. fideles clandestina irruptione capiunt, sed cùm Harduinus, cui Tetbaldus castrum commiserat, turrim aduersus Lotharium Regem, & Artaldum fortiter propugnaret per duas hebdomadas, ab obsidione datis obsidibus discedutur. Tetbaldi homines munitionem Fara dictam proditione capiunt, quæ iussione Tetbaldi paullo pòst redditur, cùm ad eam oppugnandam Ronco Præsul Laudunensis, & Rex ipse accurrisset. Otto Rex aduersus Sarmatas abiit, dum Bruno Archidux Lotharingiæ cum exercitu per Franciam proficiscitur in Burgundiam locuturus cum sororibus ac nepotibus suis. Hæc Flod.* At App. Reg. meminit Synodi in Octauis Paschæ habitæ ab Episcopis 16. in palatio Ingelheimensi, vbi Fridericus Viennensis Ecclesiæ Archiep. ordinatus est. Signum Crucis in vestimentis hominum apparuit, illis qui derisui illud habebant mortem

inferens, illis autem qui piè & religiosè illud venerabantur nihil mali intulit, inquit Auctor Chronici Hildensheimensis. *Ratherius Episcopatu Leodicensi deiectus in Italiam rediit, & de suis ærumnis prolixam scripsit Epistolam ad Ioannem Papam: Veronensi sede restitutum opera Brunonis Arch. Colonienſis ferunt. S. Gerardus fundator Bronienſis cœnobij, quod nunc S. Gerardi Abbatia in pago Namurcensi dicitur, moritur die 3. Octobris. Vide Surium Tomo V. Sigebertum, Ægidium, aliósque Leodienſis Historiæ Scriptores à Chapeauillâ editos.*

Anno Christi DCCCCLIX. *Lotharij 5. Bruno iterum in Franciam venit, & apud Compendium cum Regina sorore ac nepotibus suis discordantibus colloquium habuit. Lotharius Rex cum matre sua Coloniam proficiscitur in diebus Paschæ moraturus hac festiuitate cum auunculo suo Brunone; datáque illi securitate de regno Lotharienſe, & quibusdam acceptis ab auunculo donis Laudunum reuertitur. Lotharienses à Brunone desciscunt, suasore quodam Immone, qui eius pridem consiliarius fuerat. Bruno reuocatis quibusdam insuetis oneribus Fredericum Comitem Ottonis Ducis filium, vice sua eis præfecit. Sunt tamen qui velint duas in partes seu Præfecturas diuisam tum fuisse Lotharingiam, & superioris quidem seu Mosellanicæ Ducem creatum à Brunone, quem Archiducem ideò vocasse videtur Sigebertus, Fridericum; Inferioris verò cuius præcipua pars fuit, quæ modò dicitur Brabantia, Ducatum suscepisse Godefridum, eóque pestilentia anno 964. sublato Godefridum filium, vsque ad ann. circiter 976. Arnulfus Flandriæ Comes Remos venit, & Ecclesiam S. Mariæ non modico argenti pondere munerauit, sanctíque Remigij monasterio dona contulit. Rotbertus Comes Heriberti frater Diuionum inuadit, expulsis Regis fidelibus. Quapropter accitus Bruno Regis ac Reginæ petitione, in Burgundiam venit cum Lotharienſibus, idémque castrum, sed & Trecas ciuitatem, quâ idem potiebatur Rotbertus, obsidione vallat. Flod.* Northumbri ab Anglis deficiunt, quibus mortuo Edwino imperare cœpit hoc anno Edgarus dictus à Willelmo Malmesburienſi ob egregias virtutes Anglorum delitiæ. De Legatis Helenæ Rugorum, siue Russorum Reginæ, missóque ad eam Episcopo, App. Reginonis, & è recent. Baronius. *Baldrico Leodienſi Ep. succedit Etacrus, siue Euraclus, qui duo in vrbe monasteria S. Pauli, & S. Martini construxit, teste Sigeberto.* Constantinus Porphyrogenetus Imp. Orientis obiit die 9. Nou. cùm regnasset omnino annos 48. & mens. 5. vixisset 54. Successit filius eius Romanus

Iunior, cui pater interdixisse fertur omnia connubia externorum, præterquam Francorum. Plura de iis Scylitza, Cedr. Zon. alij, ex quibus etiam constat an seq. in Paschate coronatum fuisse Imp. Constantinum Romani filium, ab eóque missum in Cretam Nicephorum Phocam, qui omnes vrbes illius insulæ sibi subiecit.

Anno Christi DCCCCLX. *Lotharij 6. Maceriæ supra Mosam redduntur Artaldo Rem. Arch. coram Frederico Lotharienſium Duce. Richardus filius Vvillelmi Princeps Normannorum filiam Hugonis trans Sequanam quondam Principis duxit vxorem. Otto & Hugo filij eiusdem Hugonis Magni mediante auunculo i[illorum] Brunone ad Regem veniunt, quorum Hugonem constituit Ducem, addito illi pago Pictauensi ad terram, quam pater ipsius tenuerat, concessa Ottoni Burgundiâ. Bruno reuersus, Namurum castrum, & Capræmontem obsidet, datisque treugis Coloniam ingreditur. Rex quoque Lotharius Diuionis munitione receptâ, intromissisque custodibus suis, Laudunum reuersus est.* Ioannes Diaconus & Azo Scriniarius ab Apostolica sede legati, aliíque plures in Saxoniam ad Ottonem veniunt, vt ad defendendam Italiam à tyrannide Berengarij se conferat. Ioannes Papa ab Ottone exegit iuramentum de iure, & honore Ecclesiæ conseruando. Ab eodem quoque hoc an. pallium accepit S. Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus. *Blandinienſe cœnobium ab Arnulfo Marchiſo Flandrenſi menſe Maio maiori elegantiâ conſtrui cæptum.* Plura de his Luitp Flod. App. Reg. Sigeb Osbertus, & ex recent. Sigonius, Baronius, *&c.* Chronicon Hildensheimense missos refert à Prussis Legatos ad Ottonem, qui sanctum Adalbertum Pragensem Episcopum ad eos transmisit.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCCLXI. *Lotharij 7. Vvido Ep. Autisiodorensis obiit. Otto Hugonis Magni filius, aliíque Burgundiæ ac Franciæ proceres ad Regem Laudunum veniunt in ipsis festi Paschalis diebus: quibus elapsis placitum Regale Sueſſionis habetur, quod cùm impedire vellet Richardus Vvillelmi Normanni filius, nonnullis suorum interemptis, in fugam versus est. Hugo filius Rotgarij Comitis defungitur, & ad S. Remigium sepelitur. Obiit quoque Artaldus Rem. Arch. pridiè Kalend. Octobris. Lotharius Rex cum matre & quibusdam Franciæ proceribus Burgundiam petiit, quò quidam ex Aquitaniâ Præsules ac Primates ad eum venerunt. Extat in Chartophylacio S. Re-*

S. Remigij Remensis diploma, in quo mentio Gerbergæ Reginæ, Roriconis Lauduni, & Gibuini Catalauni Episcoporum, Reginaldi Roceij Comitis Albradæ mariti, Gezonis Cancellarij, &c. Actum 3. Nonas Octobris Indictione 4. regnante domno Lothario Rege anno 7. in villa Condeda. Otto Rex accitus in Italiam à Papa Wormatiæ comitia celebrat, Ottonem filium septennem Aquisgrani Regem coronari curat die sancto Pentecostes, tutoréque illi assignat Brunonem Arch. Colonienſem fratrem suum, & Willelmum Moguntinum Arch. filium suum. Ex quo tempore numerari incipiunt anni Ottonis II. Eius verò genitor per Baioariam, & vallem Tridentinam cum exercitu Italiam ingressus, Papiæ substitit, Berengario & Willâ eorúmque filiis in castellis inclusis, & Hattonem Abbatem Fuldensem ad locum hospitio parandum Romam præmittit. Eclipsis Solis 17. Maij. Vide Flod. Luitpr. Witik. Sig. App. Reginonis, *&c.* Abderamen Rex Cordubensis moritur an. Hegiræ 350. regni 50. succedente filio Albacamo ad an. 16. cum 2. mensibus. Indulfo Scotiæ Rege post partam de Danis victoriam occiso regnat Duffus Malcolmi filius.

Anno Christi DCCCCLXII. *Lotharij* 8 *Gerberga Regina Brunonis colloquium petiit, qui Remense Episcopium Hugoni negandum suggessit. Synodus* 13. *Episcoporum in pago Meldensi super Matronam fluuium ex Remensi, & Senonensi diœcesibus celebratur, præside Vvidone Arch. Senonensi, in quâ Roricò Laudunensis, Gibuinus Catalaunensis, aliíque Episcopi asseruerunt, quòd Hugo à tot Episcopis excommunicatus à minore numero absolui non poterat. Itaque relinquitur vsque ad interrogationem Papæ Romani. Lotharius Rex Arnulfum Flandriæ Comitem conciliauit cum nepote suo Arnulfo, qui omnem terram suam in manu Regis dedit, eâ tamen lege, vt ipse in vitâ suâ inde honoratus existeret. Tetbaldus à Normannis victus offensum habens Hugonem seniorem suum ad Regem venit, à quo, eiúsque matre Reginâ benignè susceptus, & miti consolatione refocillatus abscessit. Vulfaldus Abbas Monasterij S. Benedicti Præsul Carnotensis efficitur. Legatio veniens à Ioanne Papa retulit Hugonem Heriberti filium, quondam Episcopum ab ipso Pontifice, Romanâ ac Papiensi Synodis excommunicatum, ideóque electus in Remensem Arch. Odalricus Hugonis cuiusdam Comitis filius, fauentibus Lothario, Gerbergâ, & Brunone, à quinque Episcopis ordinatus est Remis, vbi die Natiuitatis B. Mariæ Dæmoniacus à spiritu nequam purgatus, & cæcus illuminatus est. Hæc Flod.* Eodem

anno Otto Rex die 13. Februarij Ind. 5. diploma edidit de confirmatione iurium Romanæ Ecclesiæ, quod aureis characteribus exaratum asseruari dicitur in Castello S. Angeli: dein à Romano Pontifice Imperator coronatus est, reuersúsque Ticinum ibi Pascha celebrauit. Berengarij vxor Willa in Insula Iulij per duos menses obsessa venit in manus Ottonis, qui eam ad maritum misit in Monte Leonis inclusum. Adalbertus eorum filius ad Saracenos se contulit. Vide Appendices Reginonis & Luitprandi, Witikindum, Leonem Ostiensem, Othonem Fris. Abbatem Vrsp. similésque. Adalbertus ad Rugos missus Ep. re infecta ad Willelmum Mog. redit. *S. Guibertus, seu Gilbertus fundator Abbatiæ Gemblacensis apud Gorziam in diœcesi Metensi decessit die 4. Febr. eiúsque corpus Gemblacum postea delatum. Eodémque anno Adalbero Metensis Ep. obiit.* De Saluo Aluerdensi Abbate, & Æra 1000. vide Chr. Tech. cui mox addo eadem æra restauratum mon. S. Mariæ in territorio Magnensi feria 5. die 24. Aprilis Ordonio Rege in Legione, & Comite Ferdinando Gondisaluiz in Castella. Nicephorus Phocas Creta subacta, in qua Christianam fidem restituit S. Nicon, mittitur Alepum in Syriam, ibíque de Saracenis ingentem reportat victoriam, testibus Scylitza, Cedr. aliis. *De reliquiis S. Pauli Leonensis Ep. & SS. Martyrum Mauri, & Frotgentij Floriacum delatis, vide Fragm. Hist. Francicæ apud Duchesnium.*

Anno Christi DCCCCLXIII. *Lotharij 9. Odalricus Remensis Arch. procerès Franciæ, qui possessiones Remensis Ecclesiæ occupauerant, vocari fecit. Frodoardus anno ætatis 70. attritus infirmitate ministerio suo se abdicat coram eodem præsule in eius locum per electionem subrogato nepote. Catalaunensem vrbem egresso Gibuino præsule Heribertus & Robertus fratres obsident, atque igne succendunt. Addit Fragm. Hist. Francicæ Richardum Comitem Normannorum super Comitem Theobaldum irruisse, Carnotensi Dunensique regionibus deuastatis: ipsum verò Theobaldum Normannos fines ingressum Ebroicensem cepisse ciuitatem. Vuillelmus cognomento Caput-stupæ Comes Pictauiensis & Dux Aquitanicus obiit apud sanctum Maxentium, ex Chronico Malleacensi, vt vulgò vocari solet.* Otto Imperator post Pascha Ticini celebratum Berengarium in monte S. Leonis per totam æstatem arctissima obsidione vallauit. Ioannes Papa Adalbertum Romam intromittit, & Ottone cum copiis aduentante fugæ subsidia expetit. Romani Ottoni se submit-

tunt: In Synodo Episcoporum Italiæ mense Nouembri Romæ coactâ vocatus accusatúsq; Pontifex Ioannes, cùm adesse recusasset, depositus fuit die 6. Decembris, substituto in eius locum Leone VIII. Proscriniario, viro, vt ait Appendix Reginonis, strenuo atque industrio. Berengarius cum Willa in Bauariam mittitur. Adalbertus verò eorumdem filius in Corsicam reuertitur. Romanus iunior Imper. Or. die 15. Martij obiit, postquam imperasset annis 3. & mens. 4. Huius filius Basilio & Constantino exclusis Nicephorus Phocas die 2. Iulij proclamatus CP. Imp. seditione coërcitâ die 9. Aug. Dominica, coronatus est à Polyeucto Patriarcha die 16. eiusdem mensis pariter Dominica, misitque Duces aduersus Saracenos, quorum primus Emanuel in Cretâ cum toto exercitu cæsus est, alter Ioannes Tzimisces hostes in Cilicia concidit. Vide Scyl. Ced. Zon. *&c.*

Anno Christi DCCCCLXIV. *Lotharij* 10. *Odelricus Remensis Arch. Tetbaldum excommunicat propter Codiciacum, & quædam prædia S. Remigij, quæ pertinaciter retinebat. Heribertus Comes Sparnacum reddidit, aliásque villas Remensis Ecclesiæ teste Flod Reliquiæ SS. Sansonis, Maglorij, Macuti, Corentini, &c. Lutetiam deportatæ à Saluatore Ep. Alethensi deponuntur in Ecclesia, quæ postea S. Maglorij dicta est. Vide Fragm. Hist. Franc. pag. 343. & 345. Tomi III. Duchesnij, Sansonis verò reliquiæ Aurelias delatæ à Roberto Pio Rege in Ecclesia S. Symphoriani Martyris collocatæ sunt.* Romani die 3. Ianuarij in Ottonem Imper. seditionem mouent vincuntúrque, centum obsidibus exactis 10. eiusdem mensis Spoletum abiit, obsidésque remittit. Reuocatus interim à Romanis Ioannes Papa Concilium celebrat die 26. Februarij, in quo Leo Pontificiæ sedis declaratur inuasor, & post aliquot menses die 14. Maij vitâ decedit, à diabolo percussus, si quæ Sigeb. fides, cùm sedisset annos nouem decemve. Tunc Romani ab Imp. sibi metuentes Benedictum Romanæ Ecclesiæ Diaconum Apostolicæ sedi imponunt, cúmque fame atque obsidione oppressi tandem Imperatori cum vrbe sussque omnibus permiserunt in peruigilio sancti Præcursoris. Eundem Leo conuocatâ Synodo deposuit tanquam inuasorem, & Pontificiis insignibus exutum Hamburgum relegandum curauit. In reditu Imperatoris exercitum pestis ac mortalitas inuasit, ex quâ Henricus Arch. Treuerensis,

Godefridus Dux Lotharienſis, aliíque innumeri perierunt. Vide Luitp. Flod. App. Reginonis, Ditmarum, aliósque, qui in multis diſſentiunt, Chronicon Hildensheimenſe addit Berengarium in monte S. Leonis captum, & cum vi deductum cum Regina Willa in Baioariam ad caſtellum Bauenberg, ibíque nouiſſimum diem præſentis vitæ dimiſiſſe. *Sigebertus multa de Adalberonis Metenſis Ep. ſucceſſore Theoderico fundatore cœnobij S. Vincentij obſeruat, additque Arnulfo ſene Flandrenſium Comite mortuo die 27. Martij, Lotharium Francorum Regem grauiter Flandrias infeſtaſſe. Succeſſit auo Arnulfus Iuuenis ad annos 24. Verùm hæc in an. ſeq. Iuliano more differenda ſunt.* Nicephorus Phocas Tarſum, Mopſueſtiam, & quaſdã alias Ciliciæ ciuitates capit.

Anno Chriſti DCCCCXLV. *Lothary* 11. *Otto filius Hugonis Magni qui Burgundiæ præerat, obiit VIII. Kal. Martias, vt docet Martyrologium S. Stephani Autiſſiodorenſis, & rectores eiu'dem terræ ad Hugonem Capetum, & Odonem ſiue Henricum Clericum fratres ipſius ſeſe conuertunt. Arnulfo quoque Principe decedente terram illius Rex Lotharius ingreditur, proceréſque ipſius Prouinciæ operâ Roriconis Laudunenſis Ep. eidem ſubiiciuntur. Quo Laudunum repetente, mater eius Gerberga cum filio Karolo puero ibidem remanſit. Odelricus Arch. Sparnacum ab Heriberto, & Codiciacum à Theobaldo recipit, eóſque à vinculo excommunicationis abſoluit. Otto Imperator ex Italia reuerſus Coloniam poſt Paſcha nauigio venit, ibique matrem ſuam Mathildem, & ſororem ſuam Gerbergam, cum filio Lothario Rege & puero Karolo ad ſe venientes excepit, & cum eis ac proceribus magnum placitum habuit. Ex charta Euæ Comitiſſæ Metis data Ind. 8. 17. Kal. Sept. diſcimus in Laio villa præſentis vitæ exordium ſuſcepiſſe S. Arnulfum Metenſem Antiſtitem, de cuius germine Francorum ſtrenuiſſimi, hoc eſt Carlouingi omnes Reges Imperatoréſque, prodiere,* &c. Benedictum Papam depoſitum Adaldago Arch. Hamburgenſi cuſtodiendum commiſit Imp. duas quoque filias Berengarij cum domna Imperatrice detinuit. Burchardus Dux Alamannorum in Italiam miſſus cum Langobardis rebellibus pugnauit, Adalbertum in fugam vertit, eiúſque fratrem Widonem interemit. Eodem anno mortuos volunt Benedictum V. Hamburgi die 10. Iunij, & Leonem VIII. Antipapam die 17. Aprilis, cui à Romanis conſenſu Imperatoris ſuffectus eſt Ioannes XIII Narnienſis Eccleſiæ Epiſcopus, qui ab Vrbis Præfecto comprehenſus, & vrbe expulſus, in Campania cuſto-

diæ mancipatus est. Addit Appendicis ad Reginonem auctor I. *Henrico Treu. Arch. Theodericum eiusdem Ecclesiæ Diaconum, & Adalberoni Metensium Episcopo successisse Theodericum consobrinum Imperatoris.* II. *Obiisse Brunonem Arch. germanum Imperatoris, virum Ducatu pariter, & Episcopatu dignissimum die* 11. *Octobris, succedente Foltmaro in sede Coloniensi.* III. Geronem Marchionum sui temporis optimum defunctum esse. IV. *Lotharium Francorum Regem Heminam, siue Emmam Adelaidis Imp. ex Lothario Italiæ Rege filiam sibi coniugio copulasse, quod in an. seq. differt Flodoardus. Sed præstat Sigebertum paucis exscribere. Otto Imp. Pentecostem celebrauit Aquisgrani, concurrentibus ibi à Francia sororibus suis Gerberga, & Hathuide. Bruno Dux & Arch. in Franciam pergens ad pacificandos nepotes suos Lotharium Regem, & filios Hugonis, vbi Compendium venit, febre correptus, Remis redit: vbi quidquid habuit iure mancipij per testamentum Ecclesiis Sanctorum delegauit, & mortuus est die vndecimo Octobris. Corpus eius à Theoderico Metensi Episcopo Coloniam delatum. Petrus Rotgerus monachus coætaneus in eius vita, quam exhibet Surius.* De subacta à Nicephoro Cilicia, & capta Tripoli Phœniciæ vrbe consule Cedr. Scyl. Zon. alios. Micislaus seu Miczislaus filius Ziemomisli Dux Polonorum Christi fidem amplectitur, ducta in vxorem Dabrana Boleslai Bohemorum Ducis filia Christiana, & Episcopatus exinde in Polonia constituti. Martinum Cromerum consule, similésque Historiæ Polonicæ Scriptores. Regem die 7. Martij seq. anni baptizatum ferunt.

Anno Christi DCCCCLXVI. *Lotharij* 12. *Narratis Regis huius cum Emma nuptiis, & excommunicatione ab Odelrico Archiep. Remensi lata in Ragenoldum Comitem, Flodoardus hic Chronicon suum vitámque finiuit, mortuus, vt auctor Appendicis edocet, die* 28. *Martij an. ætatis* 76. *Presbyter, Canonicus, & Culmisciacensis Parochus, honore sanctitatis venerandus,* &c. *Literæ Raynaldi Comitis Portinensis ad Guillelmum Aquitanorum Ducem, quæ subiiciuntur in Codice Diuionensi, ad posteriora pertinent tempora.* Otto Imp. in Italiam iterum ire disponens aduersus Adalbertum turbas agentem, Assumptionem B. Mariæ Warmatiæ celebrauit, & per Alsatiam & Curiam, Alpes transcendens, Sigolfum Ep. Placentinum, & quosdam Comites sibi suspectos in Transalpinas regiones direxit. Rotfredo Capuæ Comite mortuo restituitur in sedem à Romanis Ioannes XIII. Papa. Berengarius

quondam Italiæ Rex exul moritur, & Bambergæ regio more sepelitur, eiúsque vidua Willa antequam sepeliretur, velum sibi sanctimoniale assumpsit, vt testatur Appendix Reginonis. Otto in Senatores Romanos aliósque seditionis in Pontificem reos seuerè inquirit, & pristina edicta renouat. *Gofridus Comes Andegauorum Grisagonella dictus Canonicos de canobio sancti Albini eiicit, intromissis Monachis die 14 Kal. Iulij, vt Chronicon Andegauense narrat.* Nicephori Duces Antiochiam in Syria pulsis Saracenis ceperunt, qui nuncius Imperatori dolorem, Ducibus perniciem creauit, vt docent Historiæ Byzantinæ scriptores. Sigebertus memorat Aralduin Danorum Regem abiecta penitus idololatria ad Christum conuersum fuisse, Popone Clerico ferrum ignitum manibus absque vlla læsione impositum deferente. Quod vero addit de obitu Guillelmi Arch. Moguntini is in seq. aliquem an. differendus videtur. De nece Dusth Scotiæ Regis in arce Forensi impulsu Donealdi perpetrata, vt creditur, à veneficis igni cerea ipsius imaginem admouentibus, eiúsque successore Culeno Indulfi filio libidinoso Principe consule Boëtium, Maiorem, Lesłæum, Gordonum, alios.

Anno Christi DCCCCLXVII. *Lotharij* 13. Otto Imper. Roma egressus per Spoletum Rauennam adiit, ibíque Pascha celebrauit cum Ioanne Papâ, ac plurium Episcoporum coactâ Synodo multa ad vtilitatem Ecclesiæ adinuenit, vrbémque ac terram Rauennatium, aliaque complura Pontificibus ablata reddidit, eúmque inde Romam remisit, ipse verò in partes Tusciæ secessit. Otto iunior Germaniæ Rex à Papâ ac patre vocatus Wormatiam venit, ibíque in primo suo placito plurima prudentiæ simul ac clementiæ indicia præmonstrauit, Francofurti natiuitatem S. Ioannis, & festiuitatem Apostolorum celebrauit, Saxoniáque lustrata memoriam S. Michaëlis in Augustâ ciuitate peregit: dein transcensis Alpibus Romam venit, vbi in die Natali Christi Domini à summo Pontifice Imperator coronatus est, præsente patre annum in Imperio 6. agente. Errat porrò non leuiter Caluisius, qui inaugurationem istam differt in an. seq. Willelmus Arch. Moguntinus aliquantula infirmitate detentus in breui conualuit. Eum verò defunctum scribit Marianus Scotus, & apud S. Albanum sepultum, succedente ei Hattone Fuldensi Abbate.

Legati Græcorum ad Imp. veniunt Rauennam cum muneribus, pacem postulantes: ipse verò C P. nuncium suum dirigit pro coniungenda in matrimonium filio suo Ottoni Theophania filia Romani, & priuigna Nicephori Phocæ Imp. qui eodem anno ante Natalem Domini ad Imp. reuertitur. Nec plura Appendix Reginonis, quæ hîc desinit. Legatus quoque C P. missus fuit Luitprandus, cuius Legatio extat typis edita, & in an. seq. extenditur. Sigebertus affirmat hoc tempore Bulgaribus dominatos fuisse filios Simeonis Petrum, & Baianum: quorum Baianus in arte magica adeò valebat, vt quoties vellet, lupus vel quælibet fera fieri videretur. *Lotharius Francorum Rex cœnobij S. Bauonis apud Gandanenses priuilegia confirmat, petente Balduino Comite Cameracensi Rodulfi F. Balduini Ferrei N.* Boleslao Bohemiæ Duce mortuo die 15. Iulij, anno principatus 38. successit Boleslaus filius ad an. 30. Sanctio verò Legionensi Rege veneno sublato an. regni 12. successit Ranimirus III. quinquennis puer ad an. 15. Ferdinandus Castellæ Comes cùm Saracenis resistere non valeret, mœrore animi extinguitur. Culenus Scotiæ Rex occiditur à Cadhardo, cuius filiam violauerat. Succedit Kennethus III. Malcolmi filius.

Anno Christi DCCCCLXVIII. *Lotharij* 14. Otto Imp. Adalbertum acie victum occidit, & Comites Beneuentanum & Capuanum sibi subiicit antè per aliquod tempus Græcis Impp. obnoxios. Ioannes Papa Capuam cum Ottone profectus eam dignitate Archiepiscopali auxit, primúmque Archiepiscopum instituit Ioannem Pandulfi Capuani Principis fratrem. Idem Papa Campanam Lateranensem consecrauit, & misit Legatos ad Nicephorum Phocam, quem cùm in litteris Græcorum dumtaxat, & non Romanorum, inscripsisset Imperatorem, coniecti sunt in carcerem Legati, & Luitprandus tota æstate detentus. Eundem Luitprandum consule, cum Leone Ostiensi, Curopalatâ, *&c.* De Hattonis in Arch. Moguntino Willelmi successoris à muribus ob barbaram in pauperes fame oppressos inclementiam arrosi, fabulâ à Trithemio, aliisque recitatâ, consule Nicolaum Serarium in serie Moguntinorum Præsulum. Gundisaluus Normannorum classem cremat, qui Galleciæ fines vastauerant, & Compostellanum Ep. occiderant, vt pluribus Lucas Tudensis. *De Lo-*

tharij Francorum Regis diplomate à Belgis Heda, Beka, Douza, Miræo, aliíſque praue intellecto, diximus in Chronico Technico, & de Eclipſi Solis, quam præter citatos auctores annotauit quoque Hermannus Contractus in Chronico. De fodinis ſeu venis in terra Saxonica primùm induſtria Ottonis Imp. apertis Sigebertus, Otto Friſingenſis, alij. *Gerberga Regina Marſanam in agro Falcoburgenſi ſecundo ab vrbe Traiectenſi ad Moſam lapide ſitam Remenſi monaſterio S. Remigij donat pro ſalute Giſleberti prioris ſui mariti, eiúſque parentum. Diploma à Carolo Lotharij Regis fratre, qui dicitur magnæ indolis iuuenis, Anfrido Comite Louanienſi, aliíſque ſignatum exhibuit Miræus in Notitia Eccleſiarum Belgij, cum altero Ottonis Imp. quo Vvalciodorenſe monaſterium donat Theoderico Metenſi Epiſcopo.*

Anno Chriſti DCCCCLXIX. *Lotharij* 15. Legati à Nicephoro Phoca miſſi, vt Theophaniam in Italiam ad Ottonem deducerent, multos è Latinis obuiam ab Imp. miſſos occidunt, ſpoliant, captiuóſque abducunt. Quam fraudem cùm reſciuiſſet Otto in Calabriam mouet exercitum, & in perfidos vltus iniuriam, plurimos cepit, quorum aliquos naſo abſciſſo C P. remiſit, alios in carcerem coniectos non ſine grandi lytro abire permiſit. Iis C P. auditis, omnibus exoſus Nicephorus Imp. interfectus eſt in palatio die 11. Decembris Ind. 13. anno Græcorum 6478. cùm imperaſſet annos ſex, menſes tres, & dies 26. Ioannes Tzimiſces cùm non ſuâ manu, ſed per ſatellites peractam Nicephori cædem probaſſet, à Polyeucto Patriarchâ Imperator coronatus eſt ipſo Chriſti Domini Natali. Is Chriſti Domini eiúſque ſanctiſſimæ Matris plurimùm ſtudioſus vt volunt, Auguſtam relegauit in cœnobium, eiúſque ac Romani filios Baſilium, & Conſtantinum Imperij collegas aſſumpſit. Plura de his dabunt Scylitza, Cedr. Zon. aliíque Græci, & ex Latinis Witikindus, Sigebertus, *&c.* Lepidam de iis fabulam narrat Marianus Scotus. Sigebertus idem multa præmittit de Comite quodam Imp. Ottonis, qui à dæmone arreptus admotâ collo S. Petri catenâ ſanatus eſt, *& de Theoderico Ep. Metenſi, qui annulum huius catenæ meruit, & ſeq. anno plurimas SS. reliquias in Franciam detulit, atque in Eccleſia S. Vincentij Martyris à ſe in inſula Metenſis vrbis conſtructa locauit.* De Ditmari primi Pragenſis in Bohemia Epiſcopi morte, eiúſque ſucceſſoris Alberti conſecratione vide Coſmam Pragenſem. Quod verò additur

de

de Willigiſo Arch. Moguntino hoc mihi ſuſpectam facit narrationem, cùm ex Mariano Scoto, aliiſque didicerim Hattoni ſucceſſiſſe Rotbertum, ſeu Rubbertum. De Cairi in Ægypto conſtructione in ripa Nili haud procul Antiquâ Memphi labente anno Hegiræ 358. conſule Willelmum Tyrium. Alij in annum 971. reiiciunt.

Anno Chriſti DCCCCLXX. *Lotharij 16.* Ioannes Tzimiſces Imp. Latinos anno ſuperiore per fraudem captos carcere liberatos doníſque muneratos cum Theophaniâ puellâ regiâ ad Ottonem mittit, additis loco dotis omnibus, quæ Græci in Italiâ poſſiderent. Ioannes Papa XIII. nuptiis illis maxima pompa celebratis Theophaniam Auguſtam coronauit die, vt volunt, 18. Aprilis feria 2. poſt Dominicam Cantate. Inde Otto vterque in Galliam Germaniámque rediit, inſtituto prius Campaniæ Duce Pandolfo, vt pluribus Witikindus. Quare moras quibuſdam trahere videtur Chronicon Hildensheimenſe dum poſt biennium obſeruat Ottoni Imp. iuniori veniſſe Imperatricem de Conſtantinopoli Romam 18. Kal. Maij, Octauis Paſchæ, eodémque anno eundem Iuniorem Ottonem cum ſeniore de Italia veniſſe. Mortuo Polyeucto Patr. C P. die 30. Ianuarij ſubrogatur Baſilius Monachus ad annos 4. Patriarcham quoque Antiochenum Theodorum hoc anno memorant, poſtquam Saraceni cum exercitu centum millium Antiochiam obſeſſam expugnare non potuiſſent, teſte Cedreno, aliiſque Græcis, qui à Barda duce Ruſſos etiam victos, Thraciáque, quam populati fuerant, eiectos referunt. De Roſwida Moniali Poëtria, ex Trithemio, aliiſque, Deo dante, plura dicemus Altera parte Bibliothecæ, & de Breco, qui æra 1008. opus ſuum in Apocalypſim ſignauit, teſte Alcazaro notatione 26. proœmiali in Apocalypſim ſancti Ioannis. *Euacrus Leodienſis Ep. obiit die 27. Octobris. Obiiſſe quoque hoc fermè tempore Miræus autumat Raginerum Longicollum exulem, cuius filij fuerunt Raginerus III. Hainonienſis, & Lambertus II. Louanienſis Comites, Fulco Comes Andegauenſis filius Gaufredi Griſagonnellæ dedit filiam ſuam Ermengardem Conano Duci Minoris Britanniæ, ex qua genuit Gaufredum, & Iudith vxorem Richardi II. Ducis Normanniæ, teſte Chr. S. Michaëlis in Tumbâ.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCCLXXI. *Lo-*

tharij 17. *Ioannes Papa epistolam scripsit ad Berengarium Ep. Virdunensem in confirmationem prædiorum*, &c. *Abbatiæ S. Vitoni, quæ extat in Chronico Virdunensi Hugonis Flauiniacensis. Notgerus eligitur Leodiensis Ep. cuius laudes celebrant Anselmus, aliique Scriptores rerum Leodiensium.* Otto Imperator reuersus in Germaniam fundat Archiepiscopatum Magdeburgensem, teste Adamo Bremensi, alij enim in an. seq. differunt, *amotísque Canonicis in Epternacensi cœnobio Monachos collocat, hortatu Sigefridi I. Comitis Luciliburgensis.* Bardas ὁ σκληρὸς aduersus Leonem Phocæ filium rebellem in Asiam mittitur à Tzimisce, qui cum copiis egressus CP. Russos è Bulgaria expulit. Vide Curop. Cedr. Zon. *&c.*

Anno Christi DCCCCLXXII. *Lotharij* 18. *restitutus est Ordo Monachorum in Monte Or, inquit Chronicon Remense, ex veteribus membranis vulgatum. Ioannes Papa priuilegium mense Aprili concedit cœnobio S. Remigij Remensis, cuius subscriptionem exhibuimus in Chronico Technico*, tum die 16. Septembris decedit è vitâ, post sedem ann. 6. mensium 11. & dierum 5. Donus seu Domnus aut Domninus successit à die 20. Septembris ad diem 19. Decembris, cui subrogatus est Benedictus VI. die 20. eiusdem mensis ad annum, & aliquot menses. Fraxinetum castrum à Saracenis ante multos annos occupatum à Christianis, operâ Guillelmi Ducis Arelatensis tandem recipitur, auctore Radulfo Glabro paullò ante Ottonis Magni obitum. Notkerus Abbas S. Galli creatus est ad annos sex, de quo videndus Herm. Contractus. *Adalbero Godefridi Captiui Comitis Virdunensis frater Odelrico in Arch. Remensi successit; alij, vt dicemus, in biennium vsque differunt.* Natus est hoc anno S. Henricus postea Imp. patre Henrico Rixoso Bauariæ Duce, matre Gisala Conradi Burgundiæ Transiuranæ Regis filia, auo Henrico Imp. Othonis I. fratre, Lotharienſis primum regni, tum Bauariæ Duce, auia Iuditha Arnoldi Mali eiusdem Bauariæ Ducis filia. Vitikindus Saxo hoc circiter anno scribebat suorum Annalium librum 1.

Anno Christi DCCCCLXXIII. *Lotharij* 19. *mense Maio apud Montem S. Mariæ Tardanensis congregata est Synodus, in qua firmatum decretum Adalberonis Archiep. qui pro Canonicis Monachos collocauit in Cœnobio Mosomensi.* Otto Magnus Imp. ex Chronico Hildensheimensi, venit cum filio Quidelingaburdum, ibíque celebrato Paschate 10. Kal. Aprilis, & Legatis variarum

nationum cum muneribus admiſſis Nonis menſis Maij, ſeu die 7. feria 4. ante feſtum Pentecoſtes anno Imperij Romani 12. regni Germanici 37. ſubitanea morte apud Parthenopolim, ſiue Magdeburgum obiit, & ſepultus eſt, cùm priùs Quindlimburgi comitia celebraſſet ad diem 23. Martij in Paſchate, auditis plurimarum nationum Legatis. Alij Memlebiæ ad Vnſtrum præſente filio, & vxore, vitam placidiſſimè clauſiſſe volunt, & Magdeburgi poſtea humatum. Succedit patri filius Otto II. annum iam agens regni Germanici 13. Imperij Romani ſextum, in charta Gorzienſi hic annus dicitur Othonis Imperatoris iunioris primus in regno Lotharij ſub Duce Friderico. Sed plura de iis Witikindus Monachus, quem hiſtoriam Saxonum, vſque ad hunc annum conſcripſiſſe volunt, Hermannus, Marianus, alij. *Sigebertus obſeruat Raginerum & Lambertum filios Ragineri Longicolli paullatim reſumptis viribus à Francia rediiſſe, cum Guarnero & Rainaldo, qui Comitatum patris eorum occupauerant, bello apud Peronam conflixiſſe, eóſque cum multis peremiſſe, & ſuper Hagnam fluuium caſtello Buxude munito Lotharingiam infeſtaſſe.* S. Vdalricus Auguſtanus Epiſc. anno ætatis 83. Epiſcopatus quinquageſimo, inquit idem Hermannus, 4. Nonas Iulias feria 6. migrauit ad Dominum. Sepultum à S. Wolfango, & poſt decennium à Romano Pontifice inter ſanctos relatum conſtat. S. Mathildem Ottonis Magni matrem eodem anno mortuam addit Miræus. Petrus Candianus à Venetis, quos regebat, ob tyrannidis ſuſpicionem, interfectus eſt. Petrus Orſelinus, ſiue Orſeolus ei in Ducatu ſucceſſit anno ſequenti.

Anno Chriſti DCCCCLXXIV. *Lotharij* 20. *Ratherius de quo eſt hoc monoſtichum: Veronæ Præſul, ſed ter Ratherius exul, apud Laubis moritur, inquit Sigebertus: qui duo præterea addit: I. contra Ottonem rebellaſſe patruelem eius Henricum Ducem Baioariorum. II. Ottonem eumdem caſtellum Buxudis obſediſſe, captum diruiſſe, captos in eo exilio damnaſſe, neque tamen Raginerum à rebellione deſtitiſſe.* Otto III. ex Theophania naſcitur & Ottone II. Imp. qui è Dania reuerſus Magdeburgi die 27. Sept. decreuit, ne quis turbet iuriſdictionem Eccleſiarum. Benedictus VI. Papa à Francone quodam impio homine coniectus in carcerem, ibíque ſtrangulatus eſt, poſt ſedem anni vnius, menſium trium, & dierum aliquot. Franco tyrannicè ſedem Romanam

inuasit dictus Bonifacius VII. *Cœnobium Floriacense S. Benedicti ad Ligerim combustum est octaua S. Laurentij, & triennio in meliorem statum restitutum, vt habet Chronicon Flor. Odolricus Ep. condito Testamento Remensem Ecclesiam hæredem instituit, & paullo pòst obiit 8. Idus Nouembris ibidem sepultus, postquam annis plus minus 12. præfuisset, inquit Antonius Colardus, Canonicus Remensis in Chronico, quod à morte Flodoardi vsque ad annum 1584. pertexuit. Odolrici successor Adalbero Godefridi Comitis filius, & Lotharij Regis Francorum primarius à consiliis fuisse dicitur.*

Anno Christi DCCCCLXXV. *Lotharij* 21. pulso Româ Bonifacio Antipapa, quem cum ingenti præda C P. nauigasse volunt, eligitur Pontifex Benedictus VII. die Maij vndecima, antea Sutrinus Ep. *Godefridus Captiuus Virdunensis Comes, & Arnulfus Valentinianensis Dominus, pulsis Ragineri Longicolli filiis Comitatum Hainoensem occupant. Synodus Remensis, in qua Theobaldus ante annos fere 30. ab Hugone Heriberti filio Remensis sedis inuasore Ambianis ordinatus Ep. præsidente Stephano Benedicti VII. Papæ Legato iterum excommunicatus est, vt patet ex aculeatâ Adalberonis Remensis Archiepiscopi, quæ etiamnum extat, Andreæ Duchesnij opera ex veteri libro descripta, epistolâ Vide Sirmondum extremo libro III. Conciliorum Galliæ. Dedicatio Ecclesiæ Blandinienſis in honorem S. Petri ab Adalberone Remensi Præsule apud Sigeb. ex MS. Lipsi. Idem notauit Colardus factum rogatu Arnulfi Flandriæ Comitis, & Diui Floriberti corpus de tumulo in locum insigniorem pridie Kal. Octobris repositum.* Edgaro Regi Angliæ die 8. Iulij defuncto successit filius Eduardus II. ad annos tres cum dimidio. Basilio P. C P. pulso propter scelera subrogatus est Antonius Studites ad an. 6. Ioannes Tzimisces Imperator Orientis à spadone Basilio Præfecto Vigilum, veneno sublatus est prope Damascum die 4. Decembris, postquam imperasset annos 5. menses 11. & dies 10. Succedunt Romani iunioris filij Basilius Iunior, dictus Bulgaroctonus, annos tum natus 20. eiúsque frater Constantinus Iunior Porphyrogenitus, natus annos 17. ex Scylitza, Cedreno, Zon. aliis. Theophania eorum mater ex Proconneso reuocata in aulam rediit. De Synodo Vintoricensi, in qua Christus ex Cruci affixa imagine dicitur locutus, adiudicando causam Monachis aduersus Clericos, vide Osbertum in vitâ sancti Dunstani Archiepisc. Cantuariensis, & ex eo Baronium.

Anno Christi DCCCCLXXVI. *Lotharij 22 filij Ragincri Longicolli auxilio Francorum, & maximè Caroli, postea Lotharingiæ Ducis, freti lacessunt bello Godefridum, & Arnulfum Comites: montem Castrilocum, siue Montes Hannoniæ, obsident, sed frustra; multis enim vtrimque in conflictu fusis obsidio remota est, & licet victoria fuerit anceps, palma tamen Comitibus datur, inquit Sigebertus, quem vide cum Balderico libri 1. cap. 95. Diem pugnæ assignat Appendix Flodoardi, Maioris hebdomadæ feriam quartam 13. Kal. Maij Ind. 4. addítque Godefridum lancea perfossum cecidisse in terram, & Arnulfum fugatum: Roriconem verò Laudunensem Ep. in vigilia S. Thomæ die 20. Decembris obiisse.* Bardas Sclerus aduersus Basilium rebellat, eiúsque duos Duces vincit. S. Nilus Abbas, origine Græcus, Rossani in Calabria natus, floret. *De Maiolo Abbate Cluniacensi an sup. Sigebertus.* Petrus Vrseolus, siue Orselinus relicto Ducatu Venetico, amplexus vitam Monasticam secessit in Gallias, ac deinde in Catalaniam: suffectus est in eius locum Vitalis Candianus Petri Candiani, quem à populo trucidatum ante triennium docuimus, filius. Surius ad diem 19. Iunij exhibet vitam S Romualdi à Petro Damiani scriptam, in quâ hæc aliáque plura de Vrseolo referuntur. Alhaca Cordubensis Rex obiit an. Hegiræ 366. succedente filio Hissem puero decenni, cui tutor datus est Muhammedes, dictus Almansor, de quo Rodericus Toletanus, aliíque Hispanicæ Historiæ scriptores.

Anno Christi DCCCCLXXVII. *Lotharij 23. Adalbero iuuenis ex Lotharienſi regno natus die 16. Ianuarij in natali S. Marcelli Papæ donum accepit Episcopij Laudunensis, largitione Lotharij Regis, die 24. Martij Presbyter ordinatus ab Adalberone Arch. & ab eodem Remis Episcopus ordinatus est Kal. Aprilis in sancto Palmarum die. Hadulfus Nouiomensis Episcopus paralysi à longo tempore percussus in Natiuitate S. Ioannis Bapt. quæ tum temporis dominica accidit die, spiritum exhalauit. Addit Appendix Flodoardi tantam fuisse copiam vini, vt vnus modius 5. aut 4. tantùm denariis venderetur. Mirum verò vnde Miræus suspicatus sit Hadulfi obitum anno 972. contigisse cùm eo anno Natalis S. Io. Bapt. in feriam septimam incurrerit. Roberto Arch. Moguntino succedit Villigisus, patre carpentario siue rotario natus, de cuius moribus vita atque insignibus consule Serarium nostrum in Præsulibus Moguntinis. Ducatus Lotharingiæ datur Carolo fratri Lotharij Regis Francorum, multis insuper conducto beneficiis,*

vt & ipse ab insolentiis desistat, & fratris sui motibus obsistat, inquit Sigebertus, qui & subiungit filios Ragineri Longicolli, vt pro se viriliter agerent, animatos Francorum auxilio, & affinitate (Ragnerus quippe Hadvvidam filiam Hugonis postea Regis, Lambertus verò Gerbergam filiam Caroli Ducis duxere vxores) in terra patrum suorum fuisse relocatos. Idem testantur Baldericus in Chronico Cameracensi lib. 1. cap. 95. & 100. Guillelmus Nangius, pag. 626. Tomi II. Duchesniani, & pag. 287. Collectionis Pithœanæ, aliique. Bardas Sclerus Nicæam capit, tum vincitur, & Asiâ pulsus ad Saracenos confugit.

Anno Christi DCCCCLXXVIII. *Lotharij 24. Malcallinus natione Hibernicus in vigilia S. Vincentij Leuitæ, & Martyris vitam deseruit, sepultúsque est in Ecclesia S. Michaelis Archangeli, cuius Abbatiam pio rexerat moderamine, ex App. ad Flodoardum, quæ hic desinit. Lotharius Rex, cùm pacato vndique regno Otto Imperator Aquisgrani moraretur, ex insperato ad inuadendam Lotharingiam contendit, in ciuitate Metensi Baronum recipit homagia, & cedente Imperatore ad pugnam imparato, vrbem Aquisgranensem occupat, diripítque, viciníque locis vastatis atque in ditionem redactis, in Franciam reuertitur. Otto vindictæ auidus condicto die Kal. Octobris Franciam cum ingenti exercitu ingressus fines Remensium, Laudunensium, Suessionum, & Parisiensium peruagatus, diuersâ clade vastauit, ipsúmque, vt ferunt ciuitatis Parisiensis suburbium incendit, ecclesiis tantùm Dei omni immunitate concessa. In reditu verò ad Axonam flumen in Suessionibus ab exercitu Lotharij, Hugonis, eiúsque fratris Henrici Burgundionum Ducis, Gaufridi Grisagonnellæ Comitis Andegauensis, aliorúmque maximum detrimentum passus est, amissa impedimentorum parte, neque apposuit vltra redire in Franciam, ipse verò Lotharius hostes post victoriam in Axonæ transitu reportatam, tribus diebus tribúsque noctibus prosecutus, vsque ad Mosam, qui fluit intra Ardennam cum triumpho reuersus est. Vide Guill. Nangium ista sigillatim enarrantem, Chronicon Augustanum, & Hildesheimense, Hepidannum, Herm. Lambertum, Glabrum Rodulfum lib. 1. cap. 3. Sigebertum, Hug. Flor. similésque, qui etiam obseruant à quodam Recluso prædictum, quòd omnes huius mali incentores ante septennium morerentur. Ad hunc annum meritò reuocari potest quod repræsentat epistola Diederici Metensis Episcopi ad Carolum sanguine nepotem, sed fidei violatorem, quæ 31. numeratur inter Gerberti epistolas, in qua idem Carolus dicitur fratri suo nobili Francorum Regi Laudunum ciuitatem suam dolo malo sur-*

ripuisse & Emmam, quam vocat Imperatoriam sororem regníque consortem infamasse, suísque mendaciis commaculasse, &c. *Quid in Laudunensem Episcopum feceris ipse nosti meliùs; breui tu Lothariensium regni angulo latitans, vanissimóque supercilio te toti præesse iactitans*, &c. *Certè de simultatibus inter Emmam & Carolum exortis, vix dubitare nos sinit Hugo ex Mónacho S. Vitoni Flauiniacensis Abbas, in Chronico à nobis nuper vulgato pag.* 157. *Carolum fraternæ vxoris proteruitas compulit, & inopia rei familiaris patrios fines relinquere, & Ottoni Saxonum Imperatori se dedere. Lotharius Rex ob præmium nauatæ feliciter operæ in eâ expeditione, Gaufrido Grisagonnellæ Andegauorum Comiti dicitur munus Signiferi in prælijs, & Dapiferi in coronatione Regis contulisse, tanquam insignia summi & singularis meriti. Plura de his leges in Tractatu Hugonis de Cleriis, à Sirmondo & Duchesnio iampridem edito, in quo pro Lothario Robertus Rex falsò subrogatus est.* S. Eduardus Angliæ Rex propinato à nouerca veneno, submisísque percussoribus interiit die 18. Martij, cùm regnasset annos tres cum aliquot mensibus. Successit frater eius, nouercæ illius filius, Edelredus ad annos 37. Alij in an. seq. referre cædem illam malunt, de qua consule Will. Malmesburiensem aliósque Anglos cum Card. Baronio. *In diplomate dato Nonis Februarij, Hugo Bituricensis dicitur Primorum primus Archipræsul, eiúsdémque mensis die* 22. *eleuatio facta est reliquiarum S. Hilarij in Abbatia eiusdem nominis diœcesis Carcassonensis, de qua Catellus pag.* 625.

Anno Christi DCCCCLXXIX. *Lotharij* 25. *Godefridus Comes Virdunensis atque Einhami prope Aldenardam dominus nonnulla tribuit Blandinienſi S. Petri cœnobio, approbantibus vxore Matilde, filio Hermanno, & Arnulfo Flandriæ Marchiso iuniore. Notgerus Leodij templum S. Crucis consecrat* 23. *Octobris. Ludouicus Lotharij filius adhuc puer à Francis Compendij Rex est eleuatus, inquit Chronicon Floriacense, & ab hinc nouem annos regnat, cùm post patris obitum vnum tantùm cum aliquot mensibus impleuerit. Sunt qui cum Alberico Aquitanorum dumtaxat Regem effectum velint, & iam ab anno superiori Ludouicum iussu patris coronatum asserant Regem, vt eius regni primus annus cum paterni* 24. *labente* 6. *Indictione concurrat in quibusdam diplomatis, quæ hactenus non vidi. De eo hæc habet Glaber Rodulfus lib.* 1. *cap.* 3. *Ludouicum iam adultum iuuenem, vt post se regnaret Regem constituit. Cui etiam adduxit ab Aquitanis partibus vxorem, quæ cernens iuuenem patre minus fore industrium, vt erat ingenio*

callida, elegit agere diuortium, monuítque illum fictè, vt simul de qua aduenerat redirent, Prouinciam scilicet iure hæreditario sibi subdituram. Ille quoque non intelligens mulieris astutiam, vt monitus fuerat, ire parauit. Ad quam dum veniissent relinquens eum mulier, suis adhæsit. Cúmque patri nunciatum fuisset, prosequens filium ad se reduxit. Hæc ille, sed anno non obseruato, nisi fortè quis ex adiectis certi quid existimet posse exsculpi: Qui simul deinceps degentes post aliquot annos absque vlla liberorum spe vterque obiit, &c. Basilius Imp. Saracenis mercede conductis exercitum ad inuadendam mittit Italiam, ibíque Bario & Materâ expugnatis, Apuliam Calabriámque, quæ à Ioanne Tzimisce Theophaniæ dotis loco concessæ fuerant, recipit.

Anno Christi DCCCCLXXX. *Lotharij 26. corpora SS. Landoaldi, cuius vitam tunc scripsit Notkerus Leodiensis Ep. quæ à Surio edita est, Hadriani, Amantij, & aliorum à Vventreshouo Hasbaniæ vico translata sunt Gandauum, ad S. Bauonis monasterium cum multa miraculorum gloria, inquit Sigebertus, qui etiam addit Ottonem Imp. & Lotharium Regem conuenientes super Charum fluuium Lutzeburgensis prouinciæ pacem iniisse, datis inuicem sacramentis, & Lotharium Lotharingiam abiurasse. Alij verò ea lege pacatos volunt, vt Carolus Lotharij frater Meridionalem retineret partem, relictâ Aquilonari ipsi Ottoni, qui paullo pòst euocatus à Papa, vt Ecclesiæ succurreret, & Græcis resisteret, in Italiam abiit. Verùm præ cæteris audiendus Vvillelmus Nangius: Lotharius, inquit, contra voluntatem Principum regni sui Remis pacificatus est cum Ottone Imp. dedítque Ottoni* IN BENEFICIVM *Lotharingiæ Ducatum: quod Hugonem Capucij Parisiensem Comitem, & Henricum fratrem eius Ducem Burgundiæ, aliósque Principes contristauit. Idem Lotharius Rex Brunoni ex sorore sua Albrada nepoti Remensis Ecclesiæ Clerico annos nato 24. dedit Episcopatum Lingonicæ ciuitatis, ineunte Indict. 9. quem ordinatus à Burcardo Lugdunensi Archiepiscopo, ac consobrino Matildis & Conradi, rexisse dicitur ad annos 35. & amplius, quâ de re ex Chronicis Bezuensi, Benigniano, aliísque plura aliàs.* Sunt quoque qui Camaldulensis Ordinis institutionem à S. Romualdo factam ad hoc tempus referant. Sanctio Garsiæ Nauarræ Regi æra 1018. successisse filium Sanctium Maiorem, & Ranimiro Legionensi substitutum à Comitibus aliísque subditis die 15. Octobris fratrem eius Veremundum quidam asserunt. S. Haraldus Danorum Rex in pugna aduersus Sueinum, seu Suenonem filium

lium vulneratus obiit Kal. Nouembris, cùm regnasset annos 50. vt docet Adamus Bremensis. S. Adalbertus creatur Pragensis in Bohemia Ep. *De Capræmontis castri à prædicto Notkero destructione, & possessionum Ecclesiæ Leodiensis confirmatione ab Ottone Imp. facta, plura dabit Miræus variis in locis.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCCLXXXI. *regni vigesimo septimo, Indictione nonâ die nonâ Iulij Lotharius dedit Vvifredo primo Comiti Ruscilionensi Illiberim, vt ex Zurita ostendimus in Chronico Technico. Quæ de Herberto Soliacensis castri ad Ligerim domino, necnon de Giraldo Lemouicinæ vrbis Vicecomite, eiúsque castro Bruciâ, de Argantomagensibus, ac Salensi sancti Benedicti in finibus Biturigum cœnobio, habentur capitibus septimo & decimo sexto libri II. de Miraculis sancti Benedicti, auctore Aimoino Monacho Floriacensi, huicce fermè tempori conuenire videntur. Conanus Curuus Dux Minoris Britanniæ contra Andegauenses in Concurrum optimè pugnauit, vt docet Chronicum sancti Michaëlis in Periculo maris pag. 350. Nouæ Bibliothecæ.* Nicolaus cognomento Chrysoberges hoc vel potiùs superiore anno suffectus est Patriarcha Constantinopolitanus in locum Antonij Studitæ, qui ante quatuor annos dignitati suæ renunciauerat. Vide Curopalatem, Zonaram, alios. Ottonem Imperatorem venisse Neapolim tradit Hermannus Contractus. Sigebertus verò cum Nangio conatum fuisse Apuliam, & Calabriam Italiæ prouincias ad ius regni Græcorum appendentes transferre ad Imperium Romanum, vnde arguitur Miræus, qui pulsis Græcis eas ab Ottone occupatas affirmat. Caluisius relictis antiquis ac coætaneis Scriptoribus in Fabricio suo totus versatur, atque ex eius dumtaxat iecore sapit.

Anno Christi DCCCCLXXXII. *Lotharij vigesimo octauo.* Græci infensi, inquit Sigebertus, quod Imperator Otto prouincias suas inuaderet, conducto Saracenorum auxilio Imperatori ad Bassantellum Calabriæ oppidum die 15. Iulij congrediuntur, in quo prœlio omnes Romanorum copiæ vsque ad internecionem pænè deletæ sunt. Ipse Otto natando euadere nitens à nautis ignorantibus capitur, & à quodam eorum, qui negotiator Sclauorum erat, agnitus, nec proditus, per illum re delata ad Imperatricem, & ad Theodericum Episc. Metensem, qui in ciuitate Rossanensi rei euen-

tum præstolabantur, exiguo quidem lytro, sed non sine periculo liberatur. Nautis quippe ad pecunias pro eo redimendo allatas inhiantibus, Imperator ascenso equo vix euasit. Omnibus verò pro infortunio reip. animo consternatis, sola Imperatrix fœminea & Græca leuitate insultabat eis, quòd ab exercitu suæ nationis victi essent Romani, ac per hoc cœpit Primatibus exosa haberi. Imperator verò copiarum reliquias ad redintegrandum bellum collegit. Hæc ad eundem annum retulit quoque Hermannus in Chronico, qui addit Ottonem Sueuorum Noricorúmq; Ducem obiisse. Post eum Conradus Alamanniæ Dux factus est, & Henricus Baioariæ Ducatum recepit. Aiunt cùm à Beneuentanis initium fugæ factum fuisset, Beneuentum militibus in prædam dedisse Imperatorem, vrbémque incendisse, multósque Italiæ Principes, quos suspectos habebat, Romam euocatos necari iussisse, vnde Sanguinarij cognomen reportarit. Ranimiro Legionensi Rege mortuo, succedit Veremundus iam ante à Principibus regni electus, & contra Saracenos pugnat. *Hugo Bituricensis Archiepiscopus rogatu S. Maioli Abbatis die decima quarta Februarij celeberrimi cœnobij Cluniacensis Ecclesiam consecrauit.*

Anno Christi DCCCCLXXXIII. *Lotharij* 29. Veronæ Comitiis ab Imp. habitis, missísque, qui Germaniam aduersus Slauos tutarentur, ipse paratâ classe Saracenos nauali prœlio adoritur, & cædit tantâ strage, vt inde dictus fuisse dicatur, *Pallida mors Saracenorum:* Verùm venenatâ sagittâ saucius Romam rediit, factóque testamento, tædio & angore animi contabescens, ibidem 7. Decembris feria 6. ex hac luce substractus est, cùm imperasset post patris obitum annis 10. mens. 7. cum 2. diebus. Ante Beati Petri Ecclesiam in conchâ siue tumbâ marmoreâ maximo cum honore sepultus est, imposita Saluatoris statua, quæ introeuntibus exeuntibúsque benediceret. Quo mihi magis mirum videtur, quod ex suo Fabricio Chemnicensi refert Caluisius id sepulcrum hodie deiectum factum fuisse mendicorum cloacam, sed quid aliud speres à Romanæ Ecclesiæ nefariis desertoribus? De Imperatore substituendo inter Primates dissentitur, inquit Sigebertus, aliis filio ipsius Othonis imperium deberi certantibus, aliis odio Imperatricis Theophaniæ à filio eius imperium transferre volentibus, ad Henricum Ducem filium

Henrici, qui fuit frater primi Ottonis, & filius Henrici Aucupis. Hic porrò Henricus Agrippinam ingressus ipsum Ottonem puerum ætatis 4. annum agentem factiosè raptum in custodiâ tenuit, & à quibusdam Saxonibus in Paschate die 23. Martij, apud Quidelingaburg in Regem electus: sed principes eum de illius manu extorquentes in regno sublimant, & Aquisgrani ipso Natalis Dominici die coronant. Plura Leo Ostiensis, Hepidannus, Ditmarus, lib. 3. Lambert. Schaf. Chronicum Hildesheimense, Hermannus, Marianus, Otho Frising. Albericus, Nangius, &c. *Synodus apud montem sanctæ Mariæ in pago Tardanensi mense Maio, in qua à Comprouincialibus Episcopis confirmatum est decretum Adalberonis Remensis Archiepiscopi, qui iam ante aliquot annos amotis Canonicis Monachos in cœnobio Mosomensi collocarat, vt ex Appendice ad Flodoardi Chronicon discimus, & extremo Tomo III. Conciliorum Galliæ R. P. Iacobi Sirmondi, quem V. C. Hugo Grotius paucis ante obitum annis in Sparsione Florum in totum ius Iustinianeum appellauit summarum virtutum, & raræ eruditionis virum. Qui si addidisset ea quoque Concilia, quæ ad Tertiam Regum nostrorum Dynastiam pertinent, næ gratissimam rem fecisset omnibus Gallicanæ Historiæ studiosis. Hugo Archiepisc. Bitur. Heriberto Abbati Monachisque S. Sulpitij Nauensis Monasterij restituit nonnulla, quæ Ricardus eius decessor abstulerat.*

Anno Christi DCCCCLXXXIV. *Lotharij* 30. Benedictus VII. Papa obiit die 10. Iulij, post sedem annorum nouem, vt constat ex sepulcri inscriptione, quæ adhuc extat in Basilica sanctæ Crucis, succedente Ioanne XIV. qui prius dicebatur Petrus Papiensis Episc. Ottonis II. Cancellarius. *Quoniam Lotharingi Franciam collimitantes rapinas exercebant, & plerique ex iis Henrici Ducis tyrannidi fauebant, vt ex pluribus Gerberti epistolis constat, Lotharius Rex Francorum ad inuadendam Lotharingiam rursúmque recuperandam laborans, vrbem Virdunum collecto exercitu capit, & Godefridum ipsius vrbis Comitem captiuum secum adduxit. Theodericus Mettensium Episcopus obiit, & secundùm prophetiam viri Dei, vix aliquis Principum, qui in bello Calabrico euasit, diu superuixit. Episcopatum Metensem suscipit Adalbero vir sanctus ac nobilis, filius Friderici I. Lotharingiæ Ducis, quem quidam hoc anno obiisse volunt. Hæc Sigebertus, & Nangius, quos relicto suo Fabricio laudare debuerat Caluisius. Albericus Monachus*

Trium Fontium Alberonem illum seu Adalberonem Teoderici Ducis fratrem de Beatrice matre, quæ fuit soror Hugonis de Francia, ex Virdunensi Episc. ad Metenses insulas transiisse docet, & pro eo factum esse Virdunensem Ep. alterum Adalberonem filium Godefridi Comitis Virdunensis. Viuebant tum Emeno Dominus Issolduni, & Ætherius Abbas B. Mariæ eiusdem vrbis, vt docet diploma relatum à Claudio Roberto. Ecclesia B. Martini Turonis igne cremata est, pro quâ Herueus eiusdem loci Thesaurarius fundamentum iecit illius basilicæ, quæ hodiéque cernitur, inquit Auctor Fragmenti Historiæ Francorum. Corpus verò sancti Martini interim iacuit intra claustrum annis viginti.

Anno Christi DCCCCLXXXV. *Lotharij* 31. *ipsis Kalendis Ianuariis creditur ad superos abiisse Hugo Bituricensis Archiepisc. post cuius mortem duobus tribúsve annis, incertum quam ob causam, sedes vacauit. Chronicon Malleacense de anno consentit, addítque Lotharium Regem Lemouicum adiisse, & tempus aliquantulum in Aquitania egisse, indéque reuersum anno seq. veneno à Regina sua, quam temerè adulteram vocat, extinctum fuisse.* In Conuentu Imperij Francofurti celebrato Henricus Baioariæ Dux Henrici fratris Ottonis primi Imperatoris filius Ottoni fidelitatem iurauit, páxque in Germania stabilita fuit, industriâ maximè Hermanni Saxoniæ Comitis. *Lotharius Francorum Rex, inquiunt Sigebertus, & Nangius, videns Ottonem Imp. virtute suorum militum proficere vrbem Virdunum, & Godefridum Comitem, reddit, tractatúmque concordiæ cum patre suo iam pactum cum eo stabiliuit. Sed vtrum iis fides adhibenda sit necne, perpendat Lector accuratus ex iis quæ Blondellus nuper obseruauit ex epistolis Gerberti 22. 32. 35. & 58. pag. 266. Plenioris assertionis Genealogicæ Francicæ aduersus commenta Chiffletij, quas consule. Disertè enim asserunt Reges Francorum Othoni III. Theophaniæ Augustæ filio fauisse, nihílque aliud eos conatos, nisi vt tyrannidem Henrici Regem se facere volentis, sub nomine aduocationis destruerent. Quod verò de Godefrido vinculis soluto redditóque adiungitur id pariter falsum esse, tum alia comprobant, tum epistolæ eiusdem Gerberti 72. ad Stephanum Romanæ Ecclesiæ Diaconum data ineunte Martio anni 986. & 103. Adalberonis Arch. Rem. nomine scripta die 17. Maij. Verùm quod de Godefrido addunt, id falsum multis euincitur argumentis.* Bonifacius Franco Antipapa ex Oriente Romam reuersus Ioannem XIV. Pontificem in carcerem coniectum ad molem Hadriani fame enecat, eiúsque sedem inuadit, occupátque men-

sibus 4. Succedit Ioannes XV. quem Crescentius, qui Consulatum assumpserat, vrbe eiicit, eundémque sequenti anno reuocatum honorificè excipit. Plura de iis Onufrius, Sigonius, Baronius, aliíque ex veteribus monumentis. *Otto Imperator rogatu Theophaniæ matris donationem Comitatus Huiensis factam Ecclesiæ Leodiensi, eiúsque Episcopo Notgero, ab Ansfrido Louanienſi Comite confirmat, & quædam beneficia Theoderico Hollandiæ Comiti in proprium dedit octauo Kalendas Septembris Indictione decimatertia Nouiomagi, petentibus Ecberto Treuerensi Archiepiscopo, & Henrico Baioariæ Duce. Diplomata exhibuit Miræus in Notitia.* Almansor Saracenorum Dux Barcinonem obsessam Kalendis Iulij feria quarta, cepit die 6. eiusdem mensis, Legionem verò per annum ferè integrum obsedit. Sed de his plura ex Hispanis repete. Nos Francica pro more institutóque nostro sectamur, & in iis illustrandis operam non inanem, vt sperare licet, collocamus.

Anno Christi DCCCCLXXXVI. *Lotharius Francorum Rex plenus dierum (nondum tamen quinquagesimum ætatis annum attigerat) Remis defunctus est die secunda Martij, feria tertia, cùm regnasset à morte patris annos triginta vnum cum quatuor mens. & diebus octodecim, & in Ecclesia sancti Remigij, vbi pater matérque illius requiescunt, sepultus est. Succedit filius eius* LVDOVICVS V. *iuuenis*, dictus vulgò, *Qui nihil fecit, iam ab aliquot annis Aquitanorum Rex coronatus, quem pater moriens Hugoni Capeto cognato suo vnà cum regno commendauerat. Vide Sigebertum, Nangium, Odorannum, Albericum*, &c. *sed præcipuè Gerbertum Epistola septuagesima secunda data VI. Nonas Martias, quæ sic incipit:* Exequiis domni Lotharij Regis occupati multa tibi quærenti pauca rescripsimus: Lotharienses dudum capti omnes elapsi sunt, præter Comitem Godefridum, de quo in breui meliora sperantur, & 74. Testis est beneuolentia Domnæ Augustæ nobis reddita VI. Nonas Martias, quâ die glorioſissimus Rex Lotharius Francorum clarissimum sidus mundo substractus est. *Adde 75. ex persona Hemmæ Reginæ ad matrem suam Adelaidem Imperatricem, & 103. Decimosexto Kalendas Iunij (Godefrido) de inferni tenebris liberato, quædam lux vestri honoris oriri visa est*, &c. *Regnabat tum in Burgundia Conradus pater Radulfi Ignaui, ex Mathilde sorore Lotharij Regis, vt ex Alberico diximus in Chronico Technico, vbi etiam meminimus Cartæ Niuernensis, quam*

Ludouicus V.

viri docti in annum 988. minùs accuratè retulerunt. Lothario mortuo filius eius ex concubina Arnulfus, Laudunensem vrbem occupauit, & ab Episcopis Galliæ damnatus est, quod Adalberonem Lauduni episcopum custodiæ mancipasset. Otto Imp. Bohemiam sibi subiicit, vt discès ex Dithmaro, Lamb. Schafn. similibúsque Germanis. De Terræ motu per mensem Octobrem C P. Græciámque infestante consule Cedrenum, *&c.*

FRANCORVM REGVM

ANNALES ACCVRATISSIMI.

TERTIA DYNASTIA CAPETINORVM.

Ab anno DCCCCLXXXVII. *ad noſtra tempora.*

ANno *Chriſti* DCCCLXXXVII. *Ludouicus V. Rex Francorum iuuenis, qui nihil fecit, ſine hærede moritur, inquit Vvillelmus Nangius, & apud Compendium in Eccleſia ſanctorum Martyrum Cornelij, & Cypriani ſepelitur. Tunc Francis* (ex Vermandica ſtirpe pauculíſque fortè aliis, nam Primates regni aliorſum vota ſua flexiſſe, res ipſa declarauit, docétque epiſtola Adalberonis Archiep. Remenſis ad eundem Carolum, quam per otium leges nu. 122. inter Gerberti epiſtolas) *regnum transferre volentibus ad patruum eius Karolum Ducem Lotharingiæ fratrem Lotharij Regis, dum ille rem ad conſilium defert, & accipere regnum tardat, regnum Francorum capit* HVGO *Capucij, Capetus, ſiue Cappatus dictus, Comes Pariſienſis & Dux Francorum, filius Hugonis Magni ſiue Albi ex Haouida, quæ etiam Hadivvigis dicta eſt, Othonis I. Imp. Brunonis Archiep. Colonienſis & Gerbergæ Reginæ ſorore. Hic adminiculante Richardo Duce Normanniæ, & Baronibus regni eodem anno coronatus atque vnctus*

in Regem Remis (vel vt Aimoinus cap. 1. lib. 3. de Miraculis S. Benedicti, Albericus, & quidam alij in ciuitate Nouiomensi, in quâ communi Francorum consilio post exhæredationem siue abdicationem Caroli in solio sublimatus est Regio, regnauit annis nouem. Eodem anno (more scilicet Gallis per ea tempora vsitato) Kalendis ipsis Ianuarij, vt volunt, vt regnum securiùs tenere posset & tueri, Robertum filium suum robustum iuuenem, & agilem Regem post se designauit, & coronari fecit in vrbe Aurelianensi. Odorannus S. Petri viui Senonensis Monachus à Ludouico Rege Hugoni Duci donatum, hoc est commissum, vt interpretor, regnum scribit, factúmque à Francis Hugonem Regem: nugantur enim qui cum Geruasio Tilberiensi à Ludouico Rege Blanchiæ sibi dilectæ vnicè, vxori datum fuisse regnum volunt: cum tamen alij ab eadem toxico potatum maritum scripserint: Idem Otiorum Imperialium Auctor Arelatensis regni Marescallus præter alia menda, quibus scatet, falsò asserit tum Hugonem Blanchiam sub tempore & ordine Canonico duxisse solemniter, tum eundem noluisse vngi in Regem, vt declinata sua vnctione ad vlteriorem gradum successio decurreret septena. Neque verò, vt verbis Nangij vtar, iste Hugo regni inuasor aut vsurpator aliqualiter est iudicandus, quem ad tantam dignitatem eiusdem regni Proceres elegerunt, & euexerunt: quémque & diuinum patri suo factum oraculum ad istud regnum prædixerat assumendum. In gestis enim sanctorum Richary & Vvalerici legitur, quòd Hugo Magnus Comes Parisiensis pater istius Hugonis, ipsorum SS. corpora, quæ translata ab Ecclesiis suis in Flandriam fuerant, & reposita in Ecclesia S. Bertini apud S. Audomarum, terrore Normannorum, qui tunc Franciam vastabant, per visionem admonitus ad suas fecit Ecclesias reportari. Ipsi autem Hugoni Magno post hoc factum per visionem à S. Vvalerico dictum fuit, quòd propter hoc, quod fecerat, eius generatio post ipsum in regno Francorum vsque in septimam, id est in perpetuum, regnaret. Sic Hugo iste Rex Francorum factus videtur per Domini voluntatem. Addit eundem de genere Caroli descendisse, & velut Aaronem honorem regni non sibi assumpsisse, sed ab omnibus Regni Baronibus, præcedente diuino oraculo, communíque omnium consensu ritè electum fuisse, non temerarium inuasorem. In eamdem sententiam Chron. Malleacense: Karolus Patruus Ludouici pro eo regnum Francorum accipere voluit sed non potuit, quia Deus iudicio suo meliorem elegerat. Nam Franci inito consilio eum abiiciunt. Notanda quoque verba Chronici MS. S. Petri viui Senonensis. Hic deficit regnare progenies Caroli Magni. Tamen dicitur quòd iste Hugo ex progenie descen-

derat,

derat, non ex primogenito, & habuit vxorem ex progenie sua, quæ descenderat ex progenie Magni Imp. Caroli, &c. quæ aliàs per otium expendenda. Præterea consule Fragmentum Historiæ Francicæ pag. 345. Tomi III. Duchesniani, Chronicon Senonense Incerti pag. 353. vbi rationem hanc affert, cur aduersus Karolum Lotharij fratrem insurrexerit Hugo, quòd accepisset Carolus Agnetem filiam Heriberti Comitis Trecarum, Chronicon Floriacense, Albericum vnà cum Guidone suo Basochiensi Cantore Catalaunensi, Auctorem Vita S. Genulfi libro 2. cap. 26. vbi inter cætera asserit Francorum Regum secunda deficiente linea, quæ fuit Carolinorum, regnum in tertiam, cuius caput Hugo fuit, translatum esse. Hugonem Flauiniacensem Abbatem pag. 157. Nouæ Bibliothecæ MSS. librorum, Glabrum Radulfum libri I. cap. 3. lib. 2. cap. 1. sed præcipuè epistolas Gerberti, cum Appendice Sirmondiana apud Ducbesnium, ex quibus plurima colligi possunt ad huius temporis Historiam illustrandam spectantia. Cæterùm 10. Kal. Iulias, seu diem 22. Iunij morti Ludouici Regis plerique assignant, cùm regnasset à morte patris annum vnum menses tres, & dies 20. Inaugurationi verò Hugonis diem 3. Iulij Dominicum, vix elapsis ab obitu Ludouici decem diebus, intra quos Nouiomum ad generale Regni Parlamentum collecti, qui ad solemnitatem Pentecostes more solito conuenerant Francicæ ditionis, paucis exceptis quibusdam, Optimates, abiecto Carolo, in Hugonis se clientelam fidémque tradiderunt. Ex quibus aliisque videas Lector, quàm in plerisque vacillet Sigeberti Gemblacensis auctoritas, ex quo alij hauserunt. Certè *Adalberonis epistola, inter Gerberti epistolas ordine 122. multa paucis complectitur:* Recordamini, *inquit ad Carolum ipsum Ducem*, quid vobiscum contulerim de vestra salute, cùm primùm nos adistis, quid consilij dederim super adeundis Regni Primatibus. Nam quis eram, vt solus Regem imponerem Francis? Publica sunt hæc negotia, non priuata. Odisse me putatis Regium genus. Testor Redemptorem meum, quia non odi. Quamuis enim Sanctuarium Domini peruaseritis, Reginam, cui, quæ nouimus, iurastis, comprehenderitis, Episcopum Laudunensem carceri mancipaueritis, Episcoporum anathema neglexeritis; taceo de Seniore meo, contra quem vltra vires negotium suscepistis, tamen beneficij, quo erga me vsi estis, cùm telis hostium me (sic legendum arbitror) subduxistis, immemor esse non possum, *&c. Sequens sic incipit:* Labore obsidionis in Carolum defatigatus ac vi febrium grauiter exagitatus, *&c. Præcedens verò 121. ad Archiepiscopum*

Treuerensem de obsesso ab Hugone Lauduno, ac tantumnon soluta obsidione obscuriùs loquitur in hunc modum: Necquicquam ex tanta fama aliud fuit, nisi quod post meridiem occupatis militibus Regiis vino & somno, oppidani totis viribus eruptionem fecerunt, nostrísque resistentibus, ac eos repellentibus, à mendicis cremata sunt castra, quin incendio omnis apparatus obsidionis absumptus est. Quæ damna 8. Kal. Septembris multipliciùs restauranda sunt, *&c. Idem Adalbero Rotardum consecrauit Cameracensem Episcopum, & Notgerus Leodici dedicauit Templum sancti Ioannis Euangelistæ. De Charta fundationis Ecclesiæ Doratensis à Bosone Marchiæ Comite breuiter diximus in Chronico Technico, & pag. 544. Miscellaneorum nostrorum: nec omittenda diplomatis Monasterij Gellonensis, quod sancti Guillelmi in Deserto passim dicitur, clausula:* Actum Villari Idibus Octobris in anno, quo Carolus ob leuitatem suam iudicio Francorum fuit exhæredatus, & Hugo, qui dicitur Capel, secundùm legem sublimatus. *Hic montem acutum prope Laudunum expugnauit, Suessionas vsque excurrit, & ad Siguinum Archiepisc. Senonensem epist. scripsit, quæ numeratur 107. inter Guibertinas:* Regali potentia in nullo abuti volentes, omnia negotia reipublicæ in consultatione & sententia fidelium nostrorum disponimus, vósque eorum participes fore dignissimos iudicamus. Itaque honesto ac benigno affectu vos monemus, vti ante Kalendas Nouembris eam fidem, quam cæteri nobis firmauerunt, confirmetis, ob pacem & concordiam sanctæ matris Ecclesiæ, totiúsque populi Christiani, ne si fortè, quod non optamus, persuasione quorumdam prauorum hominum diligenter vobis exequenda minùs audiatis, sententiam Domini Papæ (vnde constat impudentissimum Edmundi Dinteri, similiúmque Belgarum, quos Chiffletius exscripsit, mendacium de præcepto Romanæ Ecclesiæ, quæ omnes inuasores regni anathematizauerat) *& Comprouincialium Episcoporum duriorem perferatis nostráque omnibus vera mansuetudo iustissimum correctionis assumat zelum Regali potentiâ. Vtinam verò extaret integrum opus Anonymi illius Auctoris, qui de gestis Philippi Augusti scripsit in hunc modum Tomo V. p. 258. Collectionis Duchesnianæ.* Dicunt Caroli progeniem recuperatam fuisse per istam Isabellam, & per descendentes ab ea, quam quidem progeniem Kâroli Magni dicunt in Hugone Capucio defecisse. Verùm licèt ista Isa-

bellis de genere Karoli Magni descendit ; non oportet tamen per eam dicere progeniem Karoli recuperatam fuisse ; quia Caroli Magni progeniem supra diximus in Hugone Capet minimè defeciſſe, nam eum ibidem de eadem stirpe sufficienter probauimus descendisse. *Hæc ille.* Dux Aquitanorum Willelmus reprobans nequitiam, *sic enim appellare visum est Auctori Chronici Malleacensis Francis infenso*, Francorum, Hugoni subditus esse noluit: vnde factum est vt Hugo exercitu adunato vrbem Pictauam obsidione fatigaret, dúmq; frustratus abscessisset, cum Aquitanorum manu Willelmus insecutus est, vsque Ligerim, vbi in graui prœlio Franci decertantes multo sanguine alternâ cæde fuso superiores extiterunt, & sic reuersi sunt. Pacem postea habuit Willelmus cum Hugone & filio eius Roberto. *Chronicon S. Albini similiáque Andegauensia cum Malleacensi, aliísque, obiisse narrant die 19. vel 21. Iulij Gaufridum Grisagonellam à leucophea tunica vulgò dictum Andecauorum celeberrimum Comitem, in obsidione Marsonis facta super Odonem Ruffinum, qui mihi videtur Odo I. Carnotensium ac Blæsensium Comes filius Tetbaldi Tricatoris. Erluinus primus cœnobij Gemblacensis Abbas longo in longâ cæcitate martyrio cruciatus moritur, succedente Herivvardo.* Phocas ab exercitu aduersus Basilium, & Constantinum fratres proclamatus Imperator die 15. biennio regnasse dicitur à Scylitza, Cedreno, ac similibus.

Anno Christi DCCCCLXXXVIII. *Hugonis Capeti Francorum Regis labente primo, ipsis Kalendis Ianuariis in Aurelianensi ciuitate congregatis quibúsque Francorum ac Burgundionum regni Primatibus à Siguino Senonum Archiepiscopo* ROBERTVS, *eiusdem Hugonis, & Adelaidis Pictauensis filius, iuuenis artium liberalium studiis plurimùm eruditus, in Regem vnctus ac coronatus est, quâ de præter Glabrum Rodulfum lib. 2. cap. 1. vbi annum designat decimum tertium ante Incarnati verbi millesimum, videndi Chronicorum & Historiarum scriptores ætate suppares: nam recentiores atque imprimis nuperus Aurelianensis Historiæ Illustrator, qui ad an. 994. refert, aliíque, qui alios præscribunt, dubio procul omni aberrant Adalbero Remensis Archiepiscopus die quinto eiusdem Ianuarij mensis obiit, cui Arnulfus Lotharij Regis filius naturalis suffectus est ab Adalberone Laudunensi Episcopo reconciliatus, & ad meliorem vitæ statum à Brunone consobrino, Lingonensi Præsule, inuitatus. Hic verò sacramenti sui officíique immemor vix sex, septémve mensibus à consecratione elapsis* Robertus.

Adalgero Presbytero auctor fuit, vt ciuitatem Remensem proderet Manassæ Registetensi, & Rotgario Porcensi Comitibus, à quibus ipse in Ecclesia captus Laudunum clauatum haud inuitus abductus est, quamuis in eâ vrbe aduersus Prædones bonorum Ecclesiasticorum anathema torserit, quod postea in Siluanectensi Concilio confirmatum fuit. Gislebertus Rociacensis, & Guido Suessionensis Comites, qui se pro eo obsides Regibus obtulerant, captiuitati contraditi sunt, & Bruno Lingonensis Ep. pacis sponsor in mortis discrimine derelictus. Sed de his, qui plura volet, consulat Epistolas Gerberti, & Concilium Remense apud S. Basolum anno 991. celebratum, vt suo posteà loco monebimus. Libellus fidelitatis sub specie chirographi editus sic se habebat: Ego Arnulfus gratia Dei præueniente Remorum Archiepiscopus, promitto Regibus Francorum Hugoni, & Roberto me fidem purissimam seruaturum, consilium & auxilium secundùm meum scire & posse, in omnibus negotiis præbiturum: inimicos eorum, nec consilio, nec auxilio ad eorum infidelitatem adiuturum. Hoc in conspectu Diuinæ maiestatis, & Beatorum Spirituum, & totius Ecclesiæ assistens promitto, pro benè seruatis laturus præmia æternæ benedictionis. Si verò, quod nolo, & quod absit, ab his deuiauero, omnis benedictio mea conuertatur in maledictionem, & fiant dies mei pauci, & Episcopatum meum accipiat alter: recedant à me amici mei, sintque perpetuò inimici. Huic ego chirographo à me edito in testimonium benedictionis, vel maledictionis meæ subscribo, fratrésque & filios meos vt subscribant rogo. *De duobus diplomatibus pro Corbeiensi ac Fossatensi Ecclesiis diximus in Chronico Technico ex Miscellaneis nostris Historicis. Videndus quoque Odo Fossatensis Monachus in Vita Burcardi Comitis Corbolienſis pag. 108. Collectionis Duchesnianæ: Facto itaque testamento monogrammate firmatur, & in eo sigillum Regalis Maiestatis à Ragenaldo Cancellario filio Comitis (Burcardi) postea Parisiorum Præsule imponitur anno Incarnati Verbi 988. sub die 12. Kal. Iuliarum, &c. Aureliis in Monasterio S. Petri, quod ideo etiamnum Puellare dicitur, quòd in eo primitus fuerit sanctimonialium Virginum collegium, Imago Saluatoris Cruci affixi post aliquot dierum spatium continuò multis cernentibus riuos lacrymarum emisit, & in maiori Ecclesia honori S. Crucis dedicata, cùm custodes ipsius portas aperuissent, lupus adfuit, funémque signi, siue campanæ, ore arripiens, agitánsque, illud insonuit. Hæc Glaber lib. 2. cap. 5. Hugo Flauiniacensis, &c. Sigebertus verò*

aliíque referunt inundationem aquarum diutinam, æſtatem feruentiſſimam, fruges minoratas, &c. *Gumbaldus Archiepiſcopus Burdegalenſis cum Giſleberto Pictauenſi, Hildegario Lemouicenſi, Frotario Petrocoricenſi, Abbone Santonenſi, & Hugone Engoliſmenſi Kalendis Iunij Karrofenſe habuit Concilium, cuius extant Canones omnino tres: de quibus nihil apud Binium.* Obiiſſe hoc anno ferunt I. Theodericum II. Hollandiæ Comitem die 6. Maij, cùm an. 88. præfuiſſet, ſuccedente Arnulfo ad annos quinque. II. S. Dunſtanum Archiepiſcopum Cantuarienſem in Anglia die 19. eiuſdem menſis ex Oſberno in eius vitâ. III. Leopôldum primum Auſtriæ Marchionem per annos 55. ſucceſſore relicto filio Henrico per annos 35. Dani, quos Aiſcomannos vocabant Saxones, ab iiſdem Saxonibus ad 20. millia cæduntur.

Anno Chriſti DCCCCLXXXIX. *Hugonis & Roberti Regum 2. Arnulfus Remenſis Archiepiſcopus coniunctis cum Carolo Lotharingiæ Duce patruo ſuo copiis aduerſus Francos Hugoni Robertóque fideles arma mouit. Sigebertus, & poſt cum Nangius, aliíque aſſerunt, Karolum Ducem hoc anno Montem-acutum munitionem Lauduno proximam expugnaſſe, Sueſſionas uſque vaſtando acceſſiſſe, Remimque aggreſſum Laudunum cum multâ præda fuiſſe reuerſum. Verùm cùm anno demum ſequenti Remis captum velint Arnulfum cum quibuſdam Primatibus, eóſque Laudunum relegatos, caſtiganda omnino eſt illorum nimia cunctatio. Siccitas magna vernalis, inquit idem Sigebertus, vnde & ſatio primitiua impedita, & fames ingens ſecuta eſt. Fertur annonam pluiſſe de cælo in Haſbania. Alij etiam piſciculos paruos de cælo pluiſſe ferebant*, &c. *quæ Chronicon Remenſe non omiſit pag. 360. Nouæ Bibliothecæ. Aurelianenſis ciuitas tota igne combuſta eſt cum Eccleſiis: ſed Arnulfus venerabilis Epiſcopus inuenta pecunia in fundamentis Eccleſiæ ſanctæ Crucis, eandem Eccleſiam in melius reparauit. Hæc Hugo Flauiniacenſis ex Glabro, quem vide fuſius iſta enarrantem lib. 2. cap. 5. Arnulfus II. Flandriæ Comes die 30. Martij ſepultus in Blandinienſi S. Petri cœnobio prope Gandauum. Succeſſit filius Balduinus IV. quem à Pulchra barba cognominatum prædicant. Charta Conchenſis monaſterij in Ruthenenſi prouincia hoc anno ſub Pontio Comite ſcripta eſt, regnante piiſſimo Hugone poſt exhæredationem Caroli.* Theophania Imperatrix mater Ottonis III. Germanorum Regis Romam perrexit, ibíque celebrato Domini Natali regionem omnem filio ſubdidit, atque in eius verba iurare Italos coëgit, Chron. Hildensheimenſe, & ex eo alij.

S. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus, cùm ab annis quinque in Caſſinenſi cœnobio degeret inter Monachos, mandato ſummi Pontificis Ioannis XV. Pragam redire coactus, paullo pòſt apud Hungaros Apoſtoli officio fungitur, vt pluribus Baronius, &c. Phocas rebellis dum obſidere CP. parat ad Abydum ab Imperatore Baſilio victus eſt, & poſt breue tempus morte ſubitâ præreptus. Imperator Phœnices, Damaſcenos, & Tripolitanos ſubigit. Vide Curop. Cedrenum, & ſimiles.

Anno Chriſti DCCCCXC. *Hugonis & Roberti Regum* 3. *Arnulfus Remenſis Arch. ipſis Principibus poſt menſes à Remenſi proditione* 18. *elapſos reconciliatus, iterum ad ingenium, fraudéſque ſolitas rediit, & Guidonem Sueſſionum Epiſcopum, qui eum medio inter Sueſſionas, & Laudunum interuallo apud Cauinionem conuenerat, ludificatus eſt. Hugo Rex Remenſíſque prouinciæ Epiſcopi Iulio menſe Romam Legatos aduerſus Arnulfum miſerunt, ſed ij re infecta redierunt, quod Heriberti Veromanduorum Comitis Legatis Pontifex aures nimiùm credulas præbuiſſet. Idem Pontifex labente Indictione* 3. *fundatum in Valle Burgulienſi apud Andegauos S. Pauli cœnobium confirmauit. Epiſcopi Galliæ iuſſu Hugonis indictâ Synodo conueniunt Siluanecti, & Carolum quòd Adalberonem Epiſcopum in vincula coniecerat, & cæde ruiníſque omnia deuaſtaſſet, anathemati ſubiiciunt, vnà cum Adalgario proditore, & à piorum cœtu remouent. Laudunenſis obſidio præterita pace ſequeſtra* 10. *Kal. Nouembris repetenda erat, ſed quia ciuitas vi aſſultuum inexpugnabilis videbatur, aliis armis pugnandum fuit. Bruno Lingonum Epiſcopus Vuillelmum Monachum Cluniacenſem ſibi à B. Maiolo conceſſum conſecrat in Abbatem S. Benigni Diuionenſis, vt diſcimus ex Chronicis Bezuenſi & Benignianis tum prolixiori, tum breui ad Paſchales Cyclos edito pag.* 294. *Nouæ Bibliothecæ. De eo plura Glaber Rodulfus in eius vitâ, quam ediderunt Surius, & Bollandus, necnon Petrus Rouerius in Reomaenſis Cœnobij Hiſtoria. Folcuinus Abbas, & Chronographus Laubienſis ad Sabim in Leodienſi diœceſi obiit, ſuccedente Harigero rerum Leodienſium Scriptore. Folcuini Chronicon MS. habuiſſe Miræus dicitur. Notgerus Leodienſium Epiſcopus templum S. Dionyſij à ſe conſtructum, & Canonicorum collegio decoratum conſecrat. Ricardus Dux Normannorum Edelredum Angliæ Regem aggreditur, teſte Vuillelmo Malmeſburienſi,* &c. S. Adalbertus Pragenſis Archiep. cùm Bohemorum licentiam ferre non poſſet, iterum in Italiam proficiſcitur. Me-

diolani inter nobiles & plebem excitata hoc ferme tempore seditio ad multos annos propagata fuit, teste Sigonio. Eclipsis Solis 12. Kal. Nou. notatur in Chronico Hildensheimensi, quam subsecuta est non modica mortalitas hominum atque iumentorum. Ibidem multa de Saxonum aduersus Abotritos victoria, & de Ducum Sclauorum grauibus inter se odiis.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCCCXCI. *Hugonis & Roberti Regum 4. Langiacum castellum ad Ligerim in Turonibus obsidebatur die 12. Februarij Indictione 4. vt discimus ex charta Burgulienſi, de quâ in Chronico Technico. Ascelinus Episcopus, quem plerique eumdem cum Adalberone Laudunensi Præsule faciunt, feria quinta in Cœna Domini die mensis Aprilis 2. Hugoni Regi Laudunum tradidit, vbi Carolus Dux cum Agnete secundâ vxore, Arnulfus Remensis Archiepisc. aliique plures capti, Aureliam ad Ligerim ducti, variisque carceribus mancipati. Consultus ab Hugone Romanus Pontifex, cùm nihil responderet, de communi Francorum consilio, Remensis Synodus coacta est in Basilica S. Basoli mense Iunio, cui interfuerunt Archiepiscopi Daimbertus Bituricensis, & Siguinus Senonensis, cum Episcopis Guidone Suessionensi, Adalberone Laudunensi, Herueo Beluacensi, Gotesmano Ambianensi, Ratbodo Nouiomensi, Odone Siluanectensi, Gualtero Augustodunensi, Brunone Lingonensi Caroli Ducis ex Albrada sorore nepote, Milone Matiscensi, Arnulfo Aurelianensi, & Herberto Antissiodorensi. Die 18. eiusdem mensis abdicauit Arnulfus dato libello pœnitentiæ & abdicationis, vt olim fecerat Ebbo similiter Remensis Archiepiscopus sub Ludouico Pio anno 835.* Cúmque in modum Crucis prostratus, pro vita & membris eiulatu, quo poterat, supplicasset, in lacrymas & suspiria Synodum totam conuertit. Móxque Daibertus Bituricensis Archiep. ad genua Principum obuolutus humillimas preces omnium pro salute viri obtulit, *&c. Seguinus Senonensis, Abbo Floriacensis Abbas, & quidam alij repugnasse dicuntur, tum exauctorationi Arnulfi, tum consecrationi Gerberti doctissimi Monachi, qui in alterius locum suffectus est. Extant Concilij Remensis Acta seorsim edita, atque ex iis collecta fragmenta Historica Tomo IV. Collectionis Duchesnianæ, Electio ac Professio Fidei Gerberti, epistola Hugonis quâ inuitat Papam, vt Gratianopolim veniat, &c. Vide præterea Gerberti ipsius epistolas, Aimoinum in vita Abbonis, Sigebertum, qui Carolo hoc ipso anno in carcere defuncto successisse ait in Ducatu Inferioris Lotharingiæ Otho-*

nem eius filium ex priori coniuge, & in annum seq. malè Synodum prædictam differt, Hugonem Flauiniacensem pag. 158. Nouæ Bibliothecæ, Vvill. Nangium, Ademarum, Auctorem vitæ S. Genulfi in Bibl. Floriacensi, Chronicon Malleacense, Historiæ Aquitanicæ fragmentum, Aimoini Continuatorem, &c. quorum aliqui testantur Carolum ex Agnete Heriberti Trecensis Comitis filia genuisse in carcere duos filios Ludouicum & Carolum. Eos à Francis expulsos, & ad Imperatorem Romanum in Germaniam profectos cum eo habitauisse, & Ludouicum natu maiorem, cum Barbâ dictum, originem dedisse Landgrauiis Thuringiæ. Dauid Blondellus accerrimè pugnat ex Fragmento Floriacensi, Historiæ Landgrauicæ Scriptoribus, aliisque productis in medium sententiæ suæ firmamentis. Nos in Tabellis nostris Genealogicis II. editionis p. 309. nonnihil diximus. Caroli filias, Ermengardim duxit Albertus I. Comes Namurcensis, Gerbergam verò Lambertus huius nominis II. Louanienſium Comes. De iisdem multa idem Blondellus cum Dominicyo, Tenneurio, aliisque Chifletianarum Vindiciarum eruditissimis debellatoribus. Obierunt Heriwardus Gemblacensis Abbas, succedente Erluino minore, & Aso Deruensis Abbas auctor Passionis S. Bercharij Altiuillarensis. Guillelmus IV. Aquitaniæ Dux Angeriacense S. Ioannis cœnobium instaurat, ditátque, vt docet Besslyus. Richardus verò Normannorum Dux Emmam filiam suam coniugem tribuit Elfredo Anglorum Regi, si quæ fides Anonymo Tomo III. Hist. Franc. pag. 360 Renouatum à fundamentis Monasterium Dolense in Biturigibus tradit eiusdem Chronicon. Theophania Ottonis III. mater cùm ad filium ex Italia rediisset, anno nono viduitatis suæ defuncta est, cum multis Regni sui nobilibus. Corpus eius Nouiomagum à filio deductum volunt exequiis magnificè celebratis. Consule Ditmarum, Hermannum, Chronicon Hildensheimense, Hepidannum, cuius rationes hoc loco turbatæ, similésque Germaniæ Historiæ scriptores. *S. Odilo venit ad conuersionem Cluniaci, inquit Hugo Flauiniacensis pag. 158. Nouæ Bibliothecæ.* Eodem quoque teste ea tempestate, hoc est post biennium, quantum ex Glabro colligi potest, Roma maxima ex parte igne consumpta est. Templum etiam S. Petri accensum est, & iam trabes ferro & laminis æreis coopertæ ardebant, cùm omnis plebs Romana ad sepulcrum Apostoli concurrens, vbi humana nihil prævalebant auxilia, Diuinum & Apostolicum expetebat suffragium, & statim ignis, qui iam trabes lambebat, extinctus est, &c.

Anno

Anno Christi DCCCCXCII. *Hugonis & Roberti Regum* 5. *commissum est prælium Conquæretium, siue Conquerentium aut Concreticum à loco, qui Concretus dicitur, in quo Fulco Comes Andegauensis victor extitit, & Conanus Britonum Princeps truncatus dextera viuus victori traditus, tum occisus est à filiis Iubelli Berengarij, vt præter Glabrum lib.* 2. *cap.* 3. *testantur Chronica S. Michaëlis in periculo maris, & Andegauensia edita pagg.* 275. *&* 350. *Nouæ Bibliothecæ. Consulendæ quoque priuatæ Britonum Aremoricorum Historiæ. Obiit Arnaldus Manzer dictus Engolismensis Comes in habitu monachico sepultus apud sanctum Eparchium, succedente filio Guillelmo Sectoreferri. Ausfridus post Lambertum patrem Louanienſis Comes Monasticem professus, ex qua postea ad Insulas Vltraiectenses euectus est, Lamberto consanguineo Ragineri III. filio & Gerbergæ Carolo Duce natæ marito Comitatum illum reliquit. Hilsiendis Comitissa Striensis Ausfridi illius relicta Thorense cœnobium Canonicarum ad Mosam in diœcesi Leodiensi fundauit, vt compertum est ex Notitia Miræi cap.* 73. *Otto Germanorum Rex Niuellensem Canonicorum S. Pauli Ecclesiam dotat, & die* 17. *Iulij Venetis priuilegia concedit, si quæ fides habenda Constitutionum Imperialium collectori non omni ex parte probato.* Huic anno competit mors Oswaldi Wigornienſis in Anglia Episcopi die 17. Februarij. Hoc quoque aut potius seq. an. ante millesimum ab Incarn. Verbi septimo, Vesuuus mons, qui & Wlcani olla dicitur, solito hiatu permixtam igne sulphureo grandium saxorum multitudinem euomuit ad tertium vsque milliarium. Glaber lib. 2. cap. 7. Misacho Boemanorum Princeps obiit, succedente filio Bolizlao, ex Chronico Hildensheimensi.

Anno Christi DCCCCXCIII. *Hugonis & Roberti Regum* 6. *die* 3. *Febr. obiit Guillelmus IV. Aquitaniæ Dux, & Pictauorum Comes, cùm apud S. Maxentium Monachi se veste texissent: Ferabrachius vulgò dictus successit Guill. V. Harigerus hoc tempore scribebat acta Pontificum Leodiensium, impulsu Notgeri Episcopi. Arnulfus Hollandiæ Comes occiditur à Frisiis Kal. Octob. succedente filio Theoderico III. ad annos* 46. *Sigefridus Luxeburgensis Comes cum vxore sua Hadeuiga dotat Treuerense S. Maximini monasterium.* Obierunt quoque Borellus Comes Barcinonenſis, ex Chronico S. Victoris Massilienſis edito pag. 339. Nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum, & Sanctius Garsias Nauarræ Rex, cùm annis 27. regnasset, succedente filio Sãctio Garsia cui Tremulus cognomen, ad an. 7. *Errant verò, qui*

cum Sigeberto mortem S. Maioli huic anno illigant, cùm sit in sequentem differenda. Conradus Burgundiæ Iuranæ Rex Rudolfi II. & Bertæ filius obiit die 19. Octob. apud S. Mauricium sepultus, relicto filio Rudolfo, qui Ignauus dictus est. Saraceni Compostellam capiunt, incendúntque. S. Vdalricus Augustanus Episc. à Papa Ioanne XV. inter sanctos relatus fuit mense Februario, qua de re plura, vt assolet Baronius, aliique ex eo. *Hugo Francorum Rex vt erga se Baronum, & Principum regni inuestigaret animos, inquit Vvillelmus Nangius in codice nostro MS. & tentaret quid mente gererent, solemnitatem Pentecostes Parisius celebrans, nuncios longè latéque per regnum direxit iubens, vt ibi conuenientes super quibusdam arduis eorum opiniones audiret. Edicto Regio Dux Normanniæ Ricardus eius amicus intimus, necnon Duces & Comites, qui regimen ciuitatum Franciæ possidebant iure hæreditario, affuerunt, & solemnitate peracta eorum omnium recepit fidelitatis homagium. Solus ex euocatis defuit Comes Flandriæ Arnulfus filius Balduini (vnde meritò colligas errasse Nangium, atque ista ad an. 988. omnino referenda) quapropter concione militum conuocata, cùm Rex quæreret quid esset agendum, omnes vnanimiter concluserunt, vt scisciteretur causam, quare non comparuisset, in cunctis arduis eidem spondentes subsidium, & iuuamen, & sic Regi valedicto ad propria redierunt, cùm fidelitatem filio eius Roberto etiam promisissent.* Tum sub anni seq. periocha hæc adiungit: *Hugo Rex Franciæ, vt audiuit Comitem Flandriæ sub se nolle militare, arma mouens cum valida manu hostica Atrabatum oppidum famosum illi abstulit, & cuncta municipia, quæ citra flumen, quod Lis dicitur, continentur, cuius infortunij dolore mœstus Arnulfus petiit Ricardum Ducem Normanniæ supplex & deuotus, vt pacificaret eum cum Rege, & Francorum Principibus. Cúmque Rex in palatio ordinasset dictum Comitem tanquam inobedientem à Comitatu pellere, ad placitum venit, & non modò Regi pacificatus est, sed & cuncta ablata Dux Normanniæ precibus restitui procurauit.* Hæc ille.

Anno Christi DCCCCXCIV. *Hugonis & Roberti Regum 7. Remensis Ecclesiæ Archidiaconus ad Ioannem Papam XV. Regis Præsulúmque nomine, quos ob depositum Arnulfum à sacris remouerat, missus Apologiam pro Remensi apud S. Basolum Synodo detulit, cum Hugonis Regis Epistola, quâ Pontificem ad colloquium Gratianopoli habendum inuitabat. S. Gerardus Tullensis Episcopus obiit die 23. Aprilis, cùm à die 29. Martij anni 963. annis 31. mense vno & diebus 25. præfuisset. S. Maiolus Cluniacensis Abbas quartus obiit Siluiniaci*

die 11. Maij: Successit ex Aruernis oriundus atque ex Canonico Briuatensi Monachus S. Odilo, qui sancto cuius vitam scripsit in cœnobij Præfecturam suffectus per annos 56. miro illud religionis feruore rexit, & prouexit. Qui egregiè, inquit Sigebertus, *præter cætera pietatis insignia non solùm vitæ exemplis sed etiam miraculis in vita sua claruit; qui cùm reprehenderetur quòd in peccantes misericordior iusto esse videretur*, Si damnandus sum, *inquit*, malo damnari de misericordia, quàm de duritia: *Idem inter eos, qui in scientia litterarum florebant cum Fulberto, Harigero, & Abbone, qui super Calculum Victorij commentatus est, numerat Adelboldum Episcopum Vltraiectensem: Ex Miræi tamen Notitia Ecclesiarum Belgij cap. 76. constat hoc anno Auffridum ex Comite Louanienſi Ep. Vltraiectinum dedisse eidem Ecclesiæ quasdam villas in pago Rienſi.* Ad hunc proximósque annos pertinent verba Glabri Radulfi lib. 2. cap. 7. quibus asserit per idem tempus obiisse præcipuos quosque in Italia & Galliis, Hugonem Marchionum optimum, *Odonem Turonorum & Carnoti Comitem, Heribertum Meldorum atque Trecorum Comitem; Episcopos Manassem Trecorum, Engelbertum Parisiorum, Geboinum Catalaunorum, nam de Vvillelmo Pictauenſi iam dictum est, & de S. Maiolo*, de Ioanne Papa, *& Ricardo Rotomagorum Duce* posthea dicetur à nobis. Addit desæuiisse eodem tempore cladem pessimam in hominibus ignis occulti, qui quodcúmque membrorum arripuisset exurendo truncabat à corpore, maximúmque ægrorum concursum factum fuisse ad Ecclesias SS. *Martini*, & Vdalrici *Turonorum* ac Baioariorum Præsulum, & *S. Maioli in Siluiniaco cœnobio tumulati*, ibíque optatæ salutis inuenisse beneficia. Kennethus Scotiæ Rex legem, quâ Regum filij ante maturam ætatem arcebantur à successione, antiquauit. Huic dolo Fenellæ interempto successit Constantinus IV. Culeni filius. Dani Angliam vastant, ab Edelredo stipendium exigunt, in eáque hiemant. Crescentius Romæ Consulatum gerens omnia turbat, ab eóque pulsus vrbe Ioannes Papa, Ottonem Germaniæ Regem de re tota facit certiorem.

Anno Christi DCCCCXCV. *Hugonis & Roberti Regum 8. datæ sunt duæ Burgulienſes chartæ, de quibus in Chronico Technico. Leo S. Bonifacij Abbas à summo Pontifice in Gallias missus Remos proficiscitur, & Mosomi in Ecclesia B. Mariæ Synodum indicit ad quartum Nonas Iunias, ad quam conuenerunt Luitolfus Treuirenſis, Aimo Vir-*

dunenſis, Notgarius Leodienſis, & Sigefridus ciuitatis Minigardienſis, &c. Venit ad dictam diem Gerbertus, cauſámque cur ad Epiſcopatum Remenſem loco Arnulfi vocatus ſit, exponit. Quo audito acceptáque in ſcriptis eius oratione apologetica, Legatus Pontificis aliam Synodum Remis cogi iubet, conuocatis ad Kalendas Iulij Epiſcopis Galliæ. Interea Ioannem Monachum ſuum ad Reges Hugonem Robertúmque delegat, Gerbertóque imperat, vt à diuino officio vſque ad denunciatam Synodum abſtineat. Ineunte verò Iulio, auditis ab Apoſtolico Legato Galliarum Epiſcopis, peruicit tandem Leo, vt Gerbertus gradu ſuo deiiceretur, Arnulfo ad ſedem ſuam, vnde abſque Romani Præſulis aſcenſu exciderat, redire iuſſo. Quod tamen non eodem ipſo peractum eſt anno, ſed poſt Papæ Ioannis obitum, cuius ſucceſſor Gregorius pallium opera atque interuentu Abbatis Floriacenſis poſtea miſit. Expendenda verò moneo verba Gerberti in epiſt. 159. ad Adelaidem Reginam Roberti matrem. Me vrbe Remorum præſidente, quando non licuit licet, vel licebit veſtris vti conſiliis, & rebus mihi commiſſis? An meliùs licuit Arnulfo eam obtinente? Sed ille eam vobis dolo & fraude abſtulit, ego contra multorum dolos, & fraudes vobis eam multis vigiliis, multóque labore conſeruaui. Mirum nimis eſt veſtrorum hoſtium, vos non ſentire inſidias. Qui enim Arnulfum ad veſtri Regni confuſionem ſuæ ſedi reſtituere quærunt, non ſibi hoc tutum fore putant, niſi me priùs qualibet occaſione perdant. Quod multum veriſimile eſſe duplici capimus argumento, quia me Remis nuper poſito, eum abſoluere decreuiſtis; & quia Leo Romanus Abbas, vt abſoluatur, obtinuit, ob confirmandum Senioris mei Regis Roberti nouum coniugium, vt mihi à Remenſibus per litteras ſignificatum eſt. Peto ergo, ô Domina mea ſemper Auguſta, item à fratribus meis Coëpiſcopis, qui pro cauſa traditoris Arnulfi, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, ſub anathemate poſiti ſunt, vt me iudicium Eccleſiæ expectantem patienter ferant. Neque enim Eccleſiam quam Epiſcoporum iudicio regendam accepi, ſine Epiſcoporum iudicio relinquere volo. Nec rurſus contra Epiſcoporum iudicium, vbi maior auctoritas adſit, eam quaſi per vim retinere diſpono. Quæ iudicia dum expecto, exilium, quod à multis felix putatur, non ſine multo dolore tolero.* *Ex his verò iam ab hoc anno coaluiſſe videtur inceſtum Roberti Regis coniugium, cum Bertha commatre, & conſanguinea, Odonis I. Carnotenſium Comitis anno ſuperiore defuncti vi-*

dua, Conradi Burgundionum Regis, & Mathildis Francicæ filia. Sed de restitutione Arnulfi videndi Aimoinus in vita S. Abbonis, Aimoini Continuator lib. 5. cap. 45. Hugonis Floriacensis, & Flauiniacensis Chronica, &c. Ex Ademaro quoque constat hoc circiter tempore iussu Hugonis Regis clementissimi Ecclesiarum Defensoris Monasterium S. Dionysij Parisiensis, quod iam pristinam viuendi normam corruperat, per Odilonem Cluniaci Abbatem fuisse restauratum. Verba Chronici Maxentiani, quod vulgò Malleacense dicitur, non pigebit hic adscribere: Rex Hugo cogitans erga se gratiam Dei quasi rependens vicem defensor extitit clementissimus Ecclesiæ Dei: Nam ob hanc causam creditur progenies Karoli reprobata, quia iamdudum gratiam Dei negligens Ecclesiarum potiùs neglectrix quàm erectrix videbatur. B. ergo Dionysij cœnobium, quod iam pristinam normam monasticam corripuerat, Rex Hugo regulari honestate restaurauit per manus V. Odilonis Abbatis, & alia monasteria in decorem pristinæ disciplinæ reuocauit, *&c.* Apostolicæ Sedis Legati Ottonem Regem cum vnanimi Romanorum, & Langobardorum consensu in Italiam inuitant. Is conuentu ad Natalitia Domini Coloniæ celebrato suis omnibus mandat, vt se ad iter sequentis anni mense Martio suscipiendum præparent. Idem Abodritis ope Bohemanorum vastatis, Ioannem Placentium, & Bernardum Wirziburgensem Episcopos misit C P. vt inde sibi sponsam peterent. Bernardus inter maris pericula obiit. Henricus potentissimus Baioariorum Dux dum germanam suam Gerbergam Gandeshermij diuturno languore probatam inuiseret 5 Kal. Septembris, cum graui omnium dolore obiit, succedente Henrico eius & Giselæ Conrado Burgundiæ Rege, & Mathilde Francicâ genitæ filio, postea Imperatore. Addit Chronicon Hildensheimense mortem Baldrici Vltraiectensis Episcopi, cui successit Ansfridus Comes bonæ famæ, & vitæ honestæ. Verùm ab aliis iam creditur fuisse ab aliquot annis ad Episcopalem sedem euectus: Sigebertus verò eius meminit post biennium dumtaxat cum Heriberto Colonienſium Episcopo multa sanctitate claro. S. Adalbertus Pragensis Ep. impetratâ à Romano Pontifice potestate Polonis fidem annuntiat, & seq. an. transit ad Borussos. Samuel Bulgarus Duces Basilij Imp. ex insidiis trucidat, & postea ipse simili arte deceptus à Græcis vincitur. Nicolaus Chrysoberges Patr. C P.

obiit, ſubſtituto Siſinnio, qui litem Græcorum de quartis nuptiis compoſuiſſe dicitur.

Anno Chriſti DCCCCXCVI. *Hugonis & Roberti Regum 9. Ricardus I. Normannorum Dux Guillelmi filius, poſtquam annis 54. præfuiſſet, obiit, ſuccedente Ricardo II. eius filio, qui à matre Gunnorides dictus eſt, conſule Vvillelmum Calculum Gemmeticenſem Monachum extremo libro 4. Hiſtoriæ Normannicæ, ſimiléſque. Ordericus Vitalis libro 3. aſſerit inter alia bona Ricardum I. conſtruxiſſe tria cœnobia: Vnum Fiſcanni in honore S. Trinitatis, aliud Monte Tumba in honore S. Michaëlis, tertium Rotomagi in honore S. Petri Apoſtoli, ſanctique Audoëni Archiepiſcopi. Ricardum verò II. Ducatum Normanniæ 30. annis religioſè tenuiſſe, & Fontanellenſe cœnobium ab Haſtingo diſſipatum reædificaſſe; Iuditham autem vxorem eius ſororem Gaufredi Britonum Comitis cœnobium apud Bernaicum in honore B. Virginis condidiſſe. Chronicon Prius S. Michaëlis de Tumba ſiue in Periculo maris editum pag. 348. Nouæ Bibl. docet ex Iuditha illa ſorore Gaufredi Comitis Britanniæ, non verò filia, vt quidam ſcripſerunt, genuiſſe duos filios Ricardum III. & Robertum qui ei ſucceſſit. Gaufredum verò ex Hadeuiſa ſorore prædicti Ricardi ſuſcepiſſe duos etiam filios Alanum & Eudonem. Poſterius addit pag. 350. eos Ducatum Britanniæ poſt patris mortem anno 1008. partitos fuiſſe.* Anno quarto de milleſimo viſus eſt cetus miræ magnitudinis deſcendiſſe per mare in loco, qui Bernouallis nuncupatur, inquit Glaber lib. 2. cap. 2. vbi de Anglorum, Britonum, Scotorúmque diſſidiis ac prœliis multa ſubiungit, quæ per otium conſules. Otto III. Germanorum Rex menſe Martio per Alpes Iulias tendit in Italiam, & Venetias inuitatus, eorum Duci Petro Arſedo trabem auream donat, inde Rauennam petiit, Ticinum, ac Romam, vbi obierat Ioannes Papa XV. die 7. Maij, cùm ſediſſet annis decem, menſibus 4. & diebus 12. Subſtitutus fuit in defuncti locum die 13. Iulij ab Ottone conſanguineus eius Bruno, natione Saxo, Ottonis Ducis filius, Numaga doctus in vrbe, vt habet eius Epitaphium, dictúſque eſt Gregorius V. conſecratus die 16. Iunij Dominica. Idem paullo poſt Ottonem Imperiali donauit corona, Patriciúmque nuncupauit ipſo ſolemni Pentecoſtes die, qui cùm peregrinatum abiiſſet Româ in Apuliam ad Templum S. Michaëlis Archangeli, Præfecturáſque Venuſinam ac Beneuentanam Italis tradidiſſet, in Germaniam rediit. Vide Ditmarum lib. 4. Ada-

mum Brem. lib. 2. capp. 29. & 30. Lambertum Schafnab. Hermannum, similéſque. Chronicon Hildensheimenſe obſeruat habito cum Romanis placito Imperatorem exilio ſtatuiſſe deportari Creſcentium, qui priorem Papam iniuriis ſæpè lacerauerat: cúmque ad preces noui Apoſtolici omnia remiſiſſet, non multo poſt Imperatore Roma exceden-te eundem Creſcentium Romana vrbe Papam nudum expuliſſe. *Antequam verò eiiceretur Erluinum conſecrarat in Epiſcopum Cameracenſem, vt ex Baldrico lib. 1. cap. 110. colligimus.* Sunt qui Gerbertum rebus ſuis apud Francos diffidentem velint hoc anno in Italiam ad Ottonem Imp. acceſſiſſe, eiuſdémque precibus Rauennatenſem Archiepiſcopatum à Romano Pontifice impetraſſe. Verùm hoc in biennium differendum ſuadet Gerberti Epitaphium, in quo perhibetur ſediſſe tantùm in Rauennatenſi Præſulatu per annum. Sunt qui putent in Synodo tunc Romæ celebrata ſtabilitam eſſe eligendi deinceps Imperatoris Romani rationem, de qua & de Electorum munere ac ſimilibus prolixè in Annalibus ſuis Eccleſiaſticis Baronius ad hunc annum, Bellarminus initio libri III. de Tranſlatione Imperij, aliíque, quibus multa opponunt Caluiſius ad annum 998. Goldaſtus, Boxhornius, *&c.*

Anno Chriſti DCCCCXCVII. *Hugonis & Roberti Franciæ Regum* 10. Gregorius Papa Ticini adunato plurium Epiſcoporum Concilio Creſcentium anathemate percellit: cuius factione Ioannes Placentinus Epiſcopus natione Græcus remeans C P. Apoſtolicam ſedem inuaſerat ab vniuerſis Italiæ, *Franciæ*, Germaniæque Præſulibus excommunicatus. Imperator quoque vt Romanorum ſentinam purgaret, verba ſunt Chronici Hildensheimenſis, in Italiam perrexit, ſumma rerum Mathildæ amitæ ſuæ Quidlingaburgenſi Abbatiſſæ delegata, in qua vltra ſexum mira prudentia enituit. Gerbertum ex Germania, vbi Magdeburgi ſolarium ad horas diſcriminandas conſtituiſſe dicitur, cùm per fiſtulam ſtellam nautarum ducem obſeruaſſet, vt ex Ditmaro diſces, duxit ſecum in Italiam Imperator, eíque à Papa Rauennatenſem Archiepiſcopatum impetrauit. Pallium eidem conceſſum volunt die Martij 28. Indictione non 10. ſed vt arbitror 12. *Obiiſſe Hugonem Regem hoc anno die 24. Octobris, cùm regnaſſet annis 10. menſibus 4. & 21. diebus multi docent ex fragmento Hiſtoriæ Francicæ à*

Pithœo, & Ducheſnio edito, aliiſque. Non deſunt tamen vetera diplomata, ex quibus confirmari poſſit ſententia Sigeberti, Nangij, &c. qui Hugonis mortem ſuperiori anno illigant, quod modò obiter attigiſſe ſufficiat. Chronicon Maxentianum, vulgò dictum Malleacenſe, quod Deo dante vulgabitur Tomo II. Nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum, vtrumque Regem debito cohoneſtat elogio: Hugo Rex Francorum amator ſanctæ Eccleſiæ, & ſeruantiſſimus æqui mortuus eſt, & regnum pro eo filius eius Robertus vir claræ honeſtatis, & magnæ pietatis, ornamentum Clericorum, nutritor Monachorum, pauperúmque pater aſſiduus, verè cultor Dei, Rex non tantùm populorum, ſed etiam morum ſuorum. *In Concilio Ticinenſi à Gregorio Papa intentatam arbitror toti Francorum regno anathematis ſententiam, niſi Arnulfus in ſuam Remenſem ſedem reſtitueretur. Hinc permittente Roberto Arnulfus ex Aurelianenſi cuſtodia, vbi ſine ferro & vinculis degebat, eductus, Remos reuerſus eſt, annitente maximè Abbone Floriacenſi Abbate, qui directum à Papa Pallium eidem reddidit. Vitam Abbonis ab Aimoino ſumptam, eiuſdemque ad Pontificem literas conſule. Idem Pontifex agnoſcens à Roberto Rege Bertam Odonis I. Carnotenſis Comitis viduam commatrem, cognatámque ſuam in vxorem ductam, totam Franciam anathemate percuſſit. Porrò Rex amore eiuſdem mulieris plus iuſto detentus, nequaquam eam dimittere voluit, donec omnipotens per ſe corrigere eumdem Regem ſtuduit. Dum enim de eodem Rege eadem concepiſſet, credens ſe parituram filium, peperit monſtrum anſerini colli deformitate horrendum. Quæ res Regem perterruit, & libellum repudij eidem mulieri dare compulit. Quo facto abſolui cum toto meruit regno. Hæc Petrus Damiani Oſtienſis Ep. libri II. epiſtola 15. ad Deſiderium Caſſinenſis Monaſterij Abbatem, cui adde Fragmentum Anonymi Tomo IV. Hiſtoricorum Franciæ pag. 85. & quæ ex epiſtola Leonis IX. Papæ refert Iuo Parte IX. cap. 8. pag. 145. Verùm hæc in annum vſque ſequentem proroganda cenſeo.* Adalbertus Pragenſis Epiſcopus à Boruſſis palo alligatus, ſeptémque confixus haſtis occiditur die 23. Aprilis. Corpus eius in Poloniam, dein Pragam poſt annos 30. delatum dicitur. De eo Petrus Damianus, Æneas Siluius, Sigebertus, Coſmas, Martinus Polonus, alij. In eius locum ſubſtitutus Theodatus genere Saxo à Willigiſo Moguntino Archiepiſcopo dicitur fuiſſe conſecratus. Geiſa primus Hungarorum Rex Chriſtianus obiit, ſuccedente S. Stephano eius nominis primo, qui Giſelam Henrici Imp. ſororem duxit, &

per

per an. 41. regnum sanctissimis legibus administrauit. Conradus quoque obiit Alemannorum Dux, succedente filio Herimanno, qui ex filia Conradi Burgundiæ Regis Conradum, qui postea imperauit, & tres filias reliquit. Post Constantinum Scotis imperat Grimus ex Hectore, Maiore, Lesslæo, aliis.

Anno Christi DCCCCXCVIII. *Roberti Francorum Regis* 11. *Monarchæ primo*, quidam religiosus ab Hierosolymis rediens in Sicilia Recluſi cuiusdam humanitate aliquamdiu recreatus didicit ab eo, quòd in illa vicinia essent loca eructantia flammarum incendia, quæ loca vocantur ab incolis Ollæ Vulcani, in quibus animæ luant diuersa pro meritorum qualitate supplicia, ad ea exequenda deputatis ibi dæmonibus: quorum se crebrò voces, iras, & terrores, sæpè etiam eiulatus, audisse dicebat, plangentium, quòd animæ eriperentur de manibus eorum per eleemosynas, & preces fidelium, & hoc tempore magis per orationes Cluniacensium orantium indefessè pro Defunctorum requie. Hoc per ipsum Abbas Odilo comperto constituit per omnia monasteria sibi subiecta, vt sicut primo die Nouembris solemnitas Omnium Sanctorum agitur, ita sequenti die memoria omnium in Christo quiescentium celebretur. Qui ritus ad Ecclesias transiens fidelium Defunctorum memoriam solemnizari facit. Hæc Sigeb. Plura in eandem rem ex Petro Damiani aliisque suppeditabunt curiosis Baronius, Bell. aliique aduersus Nouatores fortissimi Ecclesiasticorum dogmatum defensores. Ioannes Apostolicæ sedis inuasor ab Imperatore cæcatus, & truncatus deponitur, & Crescentius decollatus cum 12. suis ante vrbem suspenditur, inquit Chron. Hildensheimense, quæ Glaber lib. 1. c. 4. & alij pluribus exponunt, nos breuitatis amore prætermittimus, vt plura de Concilio Romano in Basilica S. Petri à Gregorio Papa præsente Ottone III. Imp. celebrato referamus. Huius enim Canones 8. I. *vt Robertus Rex Bertam vxorem consanguineam dimittat.* II. *Excommunicentur Episcopi qui tale coniugium consecrarunt.* III. Episcopatus Merseburgensis in pristinum statum restituatur. IV. de Giselario Episcopo, qui à minore sede ad maiorem migrauit. V. *Stephani Vallauensis Episcopi contra canones Vvidone auunculo viuente electi, & ordinati depositio.* VI. *Excommunicentur Episcopi, qui Stephanum ordinarant, Dagbertus scilicet Bituricensis Archiepiscopus, & Rodenus Ni-*

uernensis Antistes. VII. *Vt in Stephani locum alius eligatur, & à Papa consecretur.* VIII. *Vt Robertus Rex Stephano deposito non faueat.* Gerbertus Rauennensis Archiepiscopus cum aliis subscriptus reperitur. *Inde verò patet hoc demum anno Bertam monstrum peperisse, solutóque cum ea coniugio Roberti celebratas fuisse nuptias cum Constantia cognomine Blanca siue Candida, Guillelmi Arelatensis Comitis filia, ex Blanca sorore Gaufridi Grisagonellæ Comitis Andegauensis, cuius Hugo primogenitus anno seq. natus, cùm obiit die Sept. 10. anni 1026. natus erat annos præterpropter 28. ex Glabro, vt suo postea tempore monebimus.* Sunt qui hoc circiter anno Berardum, quem Saxoniæ Ducis filium & Ottonis II. Imp. nepotem asserunt, obtinuisse velint à Radulfo Ignauo Burgundionum Rege Comitatum Mauriennatem cum Marchionatu Taurinensi. Verùm certiora expectamus de Origine Serenissimorum Sabaudiæ Ducum à clarissimo Samuele Guichenonio. *De chartis Fossatensibus diximus in Chron. Technico.* Apud Sandouallium occurrit confirmatio cuiusdam diplomatis Era 1036. die 24. Maij feria 3. Hispani collectis in vnum viribus Almansorem vincunt, trucidatis 70. Saracenorum millibus, & sua recuperant, vt ex Ambrosio Morale, aliisque discces Hispanicæ Historiæ scriptoribus.

Anno Christi DCCCCXCIX. *Roberti Regis* 12. *Mon.* 2. *Venerabilis Seuuinus Senonensis Archiepiscopus ab imo cœpit instaurare cœnobium sancti Petri Miledunensis, & Monachos ibi mittens Abbatem Vualtherium eis præfecit. In ipso anno tradidit Vualterus miles, & eius vxor castrum Miledunum Odoni II. Comiti Carnotensi. Congregans verò Robertus Rex exercitum copiosum valdè, & Burcardus Comes Corbolienses, conuocatíque Normannis cum Duce suo Ricardo, obsedit castrum Miledunum: quo capto suspensi sunt Vualterius eiusque vxor in patibulo. Burcardus autem Comes recepit castrum Miledunum, sicuti ante possederat. Rainaldus quoque Vetulus Comes Senonum post multa mala perpetrata defunctus est, & sepultus in Basilica S. Columbæ Virginis, cui successit Frotmundus filius eius habens in coniugio filiam Rainaldi Comitis Remorum. Hæc Chr. breue ab an. 688. ad 1015. ex Petauiana Biblioth. editum p. 354. Tomi IV. Hist. Franciæ, Aimoini Continuator extremo cap. 45. lib. V. & Hugo Floriacensis Monachus in Chron. iisdem omnino verbis.* Gregorius V. Papa obiit 18. Februarij feria 4. eíque annitente plurimùm Ottone III. Imp. suffectus est Gerbertus ex Remensi Rauennatensis Archiep.

natione, non Belga sed Aquitanus, Monachus non vt multi recentiores vt plurimum scripserunt, Floriacensis, sed Auriliacensis in Aruernia, dictúsque est Siluester II. die 2. Aprilis Dominica electus. De eo Glaber Rodulfus lib. 1. cap. 4. vbi dicitur ingenio acerrimus, artiúmque liberalium studiis plenissimè instructus, Helgaldus Floriacensis in vita Roberti Regis, qui asserit in Apostolica sede multa virtutum operatum fuisse insignia, & præcipuè in eleemosyna sancta, Lambertus, Hermannus, Marianus, ac similes coætanei Scriptores. Primus insulsa quædam de eius magia, morte, ac sepulcro, confinxit, iactauítque in vulgus Benno Gregorij VII. Romanorúmque Pontificum hostis acerrimus, ex quo auidè hauserunt Sigebertus Henricianæ factioni addictissimus, aliíque. Plura in eius defensionem leges apud Papirium Massonum, Vignerium, Baronium, Naudæum, *&c.* quæ non est opus pluribus explanare, cùm doctiores quique Hæretici eas fabulas explodant, & dupondiis Ministellis ebuccinandas relinquant. Otto Imp. Vercellensi Ecclesiæ dedit Vercellensem Comitatum, & S. Agathæ die 7. Maij Ind. 12. ac minus idoneo vsus consilio, vt docet Glaber, Crescentij vxorem assumpsit in suam, quam etiam paulò pòst diuortium agens dimisit. Ibidem quoque leges monitum ab Apostolo Paulo Imperatorem non expellendos Monachos, quamuis prauè degentes, sed in melius informandos: Non enim omninò expedit, aiebat Paulus, cuiusque Ecclesiastici Ordinis quamuis ex parte deprauati proprium vmquam abiici seu immutari propositum. *In eo namque vnusquisque iudicandus est Ordine, in quo se primitus Deo vouit seruire. Reemendari tamen licet corrupto cuique in eadem propriæ vocationis sorte.* Adelheid seu Adelais Imperatrix Ottonis I. coniux obiit, cuius vitam scripsit S. Odilo Abbas, Consule pag. 361. Bibliothecæ Cluniacensis ab Andrea Duchesnio editæ, *Instante anno millesimo Incarnationis Dominicæ*, &c. vnde reformatum memini ante aliquot annos Calendarium Ianseniſticum Horis Portu-Regiensibus Latino-Gallicis præfixum sexcentis erroribus aduersus Historiam Chronologiámque deformatum. Vrbs Paderbornensis incensa est cum Bibliotheca, & monasterio à Carolo Magno exstructo. Tuitiense cœnobium ex aduerso Coloniæ ab Antistite Euergero ædificatum. Veremundo post 17. annos mortuo succedit Al-

fonsus puer quinquennis, & Mieciſlao Poloniæ Duci filius Boleſlaus.

Anno Chriſti Milleſimo. Roberti regni 13. mon. 3 ſuperſtitem adhuc fuiſſe matrem eius Adelaidem Reginam, & Bertam eiuſdem Regis antea vxorem docet Odo Foſſatenſis Monachus in vita Burcardi Comitis, cuius verba citantur in Chronico Technico. Glaber in proœmio libri primi ad S. Odilonem Cluniacenſem Abbatem annum Incarnati Verbi milleſimum comparat cum anno Roberti Regis 13. idemque extremo cap. 9. libri 3. hæc habet: Circa annum milleſimum cùm Rex Robertus accepiſſet ſibi Reginam Conſtantiam à partibus Aquitaniæ in coniugium, cœperunt confluere gratia eiuſdem Reginæ in Franciam atque Burgundiam ab Aruernia, & Aquitania homines omni leuitate vaniſſimi, moribus & veſte diſtorti, *&c.* ſed vir integerrimæ fidei ac conſtantiæ pater Willelmus Diuionenſis Abbas ſumpta ſpiritali inuectione Regem pariter ac Reginam, cur talia in ſuo regno permitterent fieri, acerrimè increpauit, quippè quod cæterorum honeſtiſſimum honore, & religioſitate diutiùs claruerat Regnorum. Cereros quoque ita redarguens comminabatur, vt pleríque monitionibus illius coërciti relicta ſuperſtitioſa vanitate in priſtinum ſe reformarent vſum. *Hugo Flauiniacenſis aſſerit Vvillelmum illum à rigore feruentioris propoſiti ſupra regulam, Odilonem Cluniacenſem ab ingenita pietate Pium, Richardum verò S. Victoris Virdunenſis Abbatem ab inolita ſibi benignitate, & non affectata elegantia gratia-Dei cognominatos. Vide pag. 173. Nouæ Bibliothecæ. Idem Glaber lib. 2. capp. 11. & 12. agit de duobus hæret cis Leutardo plebeio homine apud vicum Virtutis in pago Catalaunico, quem vocat Sathanæ Legatum, qui Crucem & Imaginem Saluatoris in Eccleſia contriuerit, decimas dare dixerit omnimodis ſuperfluum,* &c. Vilgardo apud Rauennam Grammatico quem dæmones Poëtarum Virgilij, Horatij, atque Iuuenalis ſpecie aſſumpta deceperunt. Plures quoque per Italiam & ex Sardinia emerſiſſe narrat ex præſagio prophetiæ S. Ioannis, quâ dixit Sathanam ſoluendum expletis mille annis. *Aimoini Continuator, lib. 5 cap. 46. Hugo Floriacenſis & quidam alius Anonymus pag. 354. Tomi III. Hiſt. Franciæ docent Indict. 13. Pontificiam intelligunt, die 6 Kal. Nouemb. tranſiiſſe ad Chriſtum venerabilem Seguinum Metropolitanum Senonenſem, eiúſque Eccleſiam ſtetiſſe abſque benedictione Epiſcopali vno anno. Acclamabat quidem populus omnis ſibi ordinari dominum Leothericum*

nobilissimis ortum parentibus tunc Archidiaconum, resistente Frotmundo Comite filio Renardi vetuli, qui filium Clericum Brunonem nomine fieri volebat Episcopum: sed prævaluit Leothericus anno seq. in sede Pontificali ab Episcopis Senonicæ Ecclesiæ Suffraganeis cum voluntate, & auctoritate Apostolica ordinatus. Massilienſe S. Victoris monasterium restaurat Vvifredus Abbas, vt docet breue eiusdem Abbatiæ Chronicon pag. 339. Nouæ Bibliothecæ. Notgerus Leodiensis Ep. in templo S. Rumoldi Mechliniæ 12. statuit Canonicos, quibus duos postea addidisse dicitur Geila Comes Mechlinienſis. Multa prodigia visa sunt, inquit Sigebertus, Terræ motus factus est maximus, Cometes apparuit, *&c. Prima incensio vrbis Andegauensis, quæ euenit paucis diebus post combustionem Comitissæ Elisabeth pag. 275. eiusdem Bibliothecæ.* Garsiæ Sanctio dicto Tremulo post septem regni annos succedit Sanctius ad an. 34. vt quidam volunt. Otto III. Imp. orationis causa ad sancti Adalberti Pragensis Ep. & Martyris sepulcrum profectus, Sclauiam siue Poloniam tempore Quadragesimæ intrauit, ibíque coadunata Synodo Episcopia 7. disposuit, & Gaudentium fratrem Beati Adalberti Pragæ ordinari fecit Episcopum, licentia Romani Pontificis petente Bolizlauone Boëmorum Duce. Inde reuertens Palmarum solemnitatem Parthenopoli festiuè peregit, Paschalia tempora Quidlingaburgi celebrauit, Pentecostem verò Aquisgrani, vbi Caroli Magni Imp. ossa contra diuinæ Religionis Ecclesiastica effodere præcepit, & in eius sepulturæ abdito mirificas rerum varietates inuenit. Nec abfuit æterni Vindicis vltio, nam apparens ei prædictus Imperator, obitum celeriùs affuturum prædixit, teste Auctore Chronici Hildensh. aliísque Germanis. Inde Romam profectus Adalberti martyris manum auro inclusam, & corpus S. Bartholomæi condi iussit in Tiberina Insula vbi Ecclesiam construxerat. Consule Annales Ecclesiasticos qui pluribus disputant an ab Ottone Imp. an potiùs ab ipso Rom. Pontifice Poloniæ Principi tradita sit Corona Regia. Basilius Græcorum Imperator exercitum mittit trans Æmum aduersus Bulgaros, & aliquot vrbes capit.

VNDECIMVM
ÆRÆ CHRISTIANÆ
SÆCVLVM,
ROBERTI PII, EIVSQVE POSTERORVM.

Ab anno Domini IESV 1001. *M.* 5054. *Romæ* 1754.
ad annum Christi 5100. *M.* 1153 *Romæ* 1853.

MILLESIMO PRIMO *Æræ Christianæ anno, Roberti Regis* 14. *Monarchæ* 5 *Henricus Burgundiæ Dux Hugonis Capeti frater ab que legitimis liberis obiit, rebellauerúntque Burgundiones contra Regem Robertum nolentes eum recipere. Landricus quoque Niuernensis Comes ingressus Antissiodorum tenuit ciuitatem, vt Aimoini Continuator lib.* 5. *cap.* 46. *Hugo Floriacensis, Anonymus, alíque docent. Ideóque verba Glabri lib.* 2. *cap.* 8. *corrupta arbitror :* Itaque anno tertio de supradicto millesimo moritur in Burgundia Dux Henricus apud castrum Pulliacum, seu Poliacum, aut Poliniacum super Ararim fluuium, sepulturæque Antissiodori apud eximium Confessorem Germanum traditur Octobrio mense. Sequenti denique anno ascendit Robertus Rex, &c. quæ postrema ad annum 1003. referenda iudicamus. *Chronicon Vezeliacense editum pag* 375. *Nouæ Bibliothecæ huic anno inserit mortem Henrici Ducis, seq. verò obsessum Antissiodorum à Rege Roberto cum sorore datum Rainaldo filio Comitis Niuernensis Landrici. Verùm hæ nuptiæ in posteriora tempora videntur referendæ, vt cætera omittam. Nangius in Chronico MS fusiùs rebellionem Burgundionum exequitur, qui Landrico euocato eidem se regioné que suas submiserunt, vt prouinciam contra quoscunque defensaret. S. Michaëlis in periculo maris Ecclesiam incendio crematam docent Chronicon Abbatum eiusdem Abbatiæ pag.* 351. *Nouæ Bibliothecæ, & Glaber Radulfus lib.* 3. *cap.* 3. *Vuillelmus S. Benigni Diuionensis Abbas regimen Fiscanensis monasterij sumpsit, ex Chronicis Rothomagensi, & Fiscanensi pag.* 325. & 366. *eiusdem Bibliothecæ. Extat in Chartulario S. Petri Vsarchiensis donum Eboli, & Beatricis eius vxoris factum hoc anno Ind.* 14. *in mense Aprili, tenente apud Francorum gentem Roberto Rege, qui æqua*

lance trutinat omnia, Monarchiæ sceptra. Otto Imp. dedit Erluino Cameracensi Episcopo licentiam statuendi mercatum cum moneta, teloneo, & banno in castello S. Andreæ in pago Cameracensi, teste Baldrico lib. 1. cap. 113. Idem Papiæ die 22. Iunij dedit priuilegium Ecclesiæ Nouariensi, inde Rauennam proficiscitur, vbi à S. Romualdo admonetur, vt imperio depositio Monachus fiat, teste Petro Damiani in eius vita 19. Iunij, Capuam pulsis Saracenis recipit, tum Romam ingressus obsidetur à Romanis, duce quodam Gregorio Principe ciuitatis, & ab Henrico Duce Baioariæ, Hugone Marchione Tusciæ simulato pacto ægrè liberatus Roma decedit cum Siluestro Papa. De his consule Ditmarum, Sigebertum, alios. Chronicon Hildensheimense memorat dumtaxat expostulationem Bernwardi Ep. aduersus Willigisum Moguntinum Archiep. & mortem Gerbergæ Gandesmensis Abbatissæ Idibus Nouembris. Basilius Græcorum Imp. Seruiam occupat, electis inde Bulgaris, & Thessaliæ vrbes recuperat.

Anno Christi MII. *Roberti regni 15. Mon. 6. Balduinus IV. Barbatus dictus Flandriæ Comes Arnulfum Valentianensem Comitem pellit, & Valentianas occupat, ex Baldrici Chron. Camer. lib. 1. cap 114. Iacta sunt fundamenta Monasterij S. Benigni Diuionensis 12. Kalend. Martij in mense Februario, ex Chronico Breui illius Abbatiæ ad Cyclos Paschales adiecto. Normani numero 40. redeuntes ex peregrinatione Hierosolymitana casu Salernum veniunt, quæ vrbs obsidebatur à Saracenis, audacissimè irruunt in Christiani nominis hostes, eósque profligant. Princeps Salernitanus cum iis iungit amicitiam. In patriam deinde reuersi post 16. dumtaxat annos rediisse dicuntur. Vide Chronicon Cassinense Leonis Ostiensis lib. 2. cap. 38. Expeditionem Roberti in Burgundiam huic anno tribuit Nangius, nos in seq. referemus. Ecclesia S. Gengulfi in Florinis cepit per Arnulfum militem de Ruminiaco, inquit Albericus.* Crescentij vxor Ioanna ab Imp. repudium passa, de eius ex Italia discessu sollicita, & amore vindictæ Chirothecas veneno infectas ei misisse traditur, quo ille breui consumptus, inter remeandum ex Italia obiit, die 23. Ianuarij ad Paternum, cùm Tuderti cum domno Apostolico Natalem Domini celebrasset. Febre & Italico morbo cum generali omnium contristatione immatura morte discessisse, alij aiunt, corpúsque eius Aquasgrani delatum fuisse, atque intestina Augustæ Vindelicorum in Templo S. Afræ tumulata.

Plura Ditmarus qui in vrbe Paterna puſtullis interiora prementibus infirmatum exiuiſſe ab hoc ſæculo refert, Rupertus Tuitienſis Abbas in vita S. Heriberti Colonienſis Archiep. 16. Martij, qui veneno intra cubiculum cùm dormiret infectum fuiſſe teſtatur Glaber lib. 1. c. 4. Chron. Hildensh. Sigebertus, qui addit I. Milites tranſalpinos corpus defuncti cum inſignibus Imperij deferentes crebris Italorum incurſibus laceſſitos armis ſibi viam paraſſe. II. Henricum Baioariæ Ducem Henrici Ducis filium atque Othonis I. Imp. ex fratre Henrico nepotem iniuriato Heriberto Colonienſium Archiepiſcopo, à cuius ore omnes pendebant, inſignia regni ab eo violenter extorſiſſe quaſi hæreditario iure ſibi competentia. III. Ducem illum, conciliatis ſibi animis, quorumdam Principum regni, vnctum fuiſſe in Regem à Wiligiſo Moguntino Archiepiſcopo, & imperaſſe annos 22. Dies conſecrationis præſcribitur, aut 3. Idus Iunij, aut 7. qui in Dominicam incurrit. Is verò Cunegundæ vxori die 10. Auguſti ſabbato in Natali B. Laurentij coronam imponi Paderbornæ curauit. *Adelbodus Traiectenſis Ep. in Imp. illius Vita aſſerit à Carolo Magno ex parte patris ſeptimam propagationis lineam tenuiſſe, quòd Hadvvigis Henrici Aucupis mater filia fuerit Ludouici Germaniæ Regis, Lud. Pij Imp. filij.* Boleſlaus Poloniæ Rex Boleſlao Bohemiæ Duci eripit Cracouiam, tum pace cum eo initâ inuitatum ad conuiuium capit, oculis priuat, & Pragam per duos annos occupat. Baſilius Imp. Samuelem Bulgariæ Principem vincit. Edelredus die 9. Iunij Danos miſſis ad ſuos litteris occidi iuſſit. Almanſor cum annis 26. Cordubenſe regnum adminiſtraſſet, obiit anno Hegiræ 393. ſuccedente filio ad annos ſex, ſub quo multi ſe Reges proclamarunt.

Anno Chriſti MIII. *Robertus Regni 16. Monarchiæ 7. aſſumptis Nortmannis cum Duce ſuo Richardo II. & exercitu copioſo valdè vaſtauit Burgundiam, obſidens Antiſſiodorum multis diebus. Burgundiones autem nullo modo ei ſe ſubdere volentes, vnanimiter ei reſiſtebant. Obſedit etiam Auallonem caſtrum tribus ferè menſibus, & famis neceſſitate illud cepit: túncque reuerſus eſt in Franciam. Hæc Continuator Aimoini, Hugo Floriacenſis, & Anonymus iam citatus. Glaber verò lib. 2. cap 8. multa refert de ciuitatis Antiſſiodorenſis, & caſtri S. Germani obſidione, quæ apud eum leges, & in Chronico Roberti Monachi S. Ma-*

S. Mariani Præmonſtratenſis Ord. quod vulgauit Camuzatius, aut in Geſtis Abbatum eiuſdem S. Germani à Guidone ſcriptis, & in noſtra Noua Bibliotheca editis. Idem Glaber lib. 3. cap. 4. docet tertio iam ferè imminente anno infra milleſimum contigiſſe in vniuerſo penè terrarum orbe, præcipuè verò in Italia, & in Galliis innouari Eccleſiarum baſilicas. Erat enim inſtar ac ſi mundus ipſe reiecta vetuſtate paſſim candidam Eccleſiarum veſtem indueret. Tunc denique Epiſcopalium ſedium Eccleſias penè vniuerſas (proindéque Patriarchalis Baſilicæ S. Stephani Bituricenſis, omnium quæ tota Gallia viſuntur haud dubiè pulcherrimæ, iacta tum fuiſſe fundamenta arbitror, eductámque ſequentibus huius vndecimi ſæculi annis ingentem illam molem, ſumma pace fruentibus Gallis, ac nominatim Biturigibus ſub Gauzlino & Aymone Antiſtitibus Gaufrido, aliiſque eiuſdem nominis Vicecomitibus, &c.) ac monaſteria, minoráque villarum oratoria in meliora quique permutauere fideles. De Heriueo deinde S. Martini Turonenſis Archiclauo, & Templi eiuſdem reparatione mira refert otioſis conſulenda. Aimoinus libro III. de Miraculis S. Benedicti cap. 9. teſtatur Ligerim maximum fluuiorum, qui per Galliam aluei ſui curſus in Oceanum propriis inuehunt nominibus, antiquos exceſſiſſe terminos hoc anno Domini, quem rectè aſſerit Roberti Regis, ex quo cum patre regnare cœpit 16. Monarchiæ verò 7. támque repentinam eius fuiſſe profuſionem, vt agrarios laborantes, & equites iter agentes ſubita inuoluerit ruina, &c. De eadem inundatione & de phantaſtica ciuitate apud Porcariam conſpecta haud procul Aurelianenſi vrbe plura congerit Chron. Floriacenſe pag. 356. Tomi III. Coll. Hiſt. Franciæ. Silueſter II. ſeu Gerbertus Sapiens, Romanus Pontifex obiit die 12. Maij, vt ex eius epitaphio diſcimus, quod in Lateranenſi Baſilica à Sergio Papa appoſitum, integrum ad hæc vſque tempora permanſit, cùm ſediſſet annis 4. & menſ. 2. aut 3. Huic dediſſe dicitur Otto III. Imp. Piſaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Forum Sempronij, Galeſium, Auximum, & alias vrbes. Is verò primus creditur Belli Sacri aduerſus Saracenos auctor, ſcripta breui ad omnes Chriſtianos epiſtola nomine Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, quam in Annalibus deſcripſit Baronius. Succeſſit factione Comitum Tuſculanorum Ioannes XVII. cognomento Siccus die 7. Iunij ad menſes 5. tum Ioannes XVIII. dictus Faſanus die 20. Nouembris ad annos 5. & menſes 7. Circa hoc tempus Tangrolipix Turcarum Dux è Scythia à Perſis Saracenis euocatus, primùm occupata Perſide, in Meſopotamiam deinde,

aliásque prouincias sese effudit, de quo Curop. Cedr. Zon. & similes. Henricus Germaniæ Rex Herimannum Alemannorum Ducem, qui electioni aliquamdiu restiterat, Reginæ & Principum interuentu reconciliatum in pristino honore manere permisit. Bruno Augustanus Ep. Regis ipsius frater, ab eo deficit, cum Henrico Bertaldi Comitis filio & ambobus Bolizlauonibus Polanico & Boëmico: eò referre licet verba Lamberti Schafnaburgensis. Plerique Principes à Rege deficiunt, sed post modicum correcti in gratiam recipiuntur. Stephanus Rex Hungariæ super auunculum suum Regem Iulium cum exercitu venit, eóque cum vxore & duobus filiis comprehenso, regnum illius vi ad Christianitatem compulit. Ex Chr. Hildensheimensi. Grimo Scotiæ Regi post annos 9. defuncto successit Milcolumbus II. ad an. 30. Post Giselarium die 25. Ianuarij mortuum creatur Magdeburgensis Archiep. Tagmo Henrici Regis Sacellanus. *Rosellam siue Rozalam dictam alio quoque nomine Susannam Berengarij Regis Italiæ filiam, & Arnulfi Flandriæ Comitis relictam Compendij hoc anno obiisse volunt, & Gandaui iuxta maritum sepultam. Quod verò addunt secundis nuptiis Roberto Francorum Regi nupsisse, nullámque ex eo suscepisse prolem, hoc falsissimum est, quidquid dicat Anonymus auctor vitæ S. Bertulfi pag. 144. Tomi IV. Ducheſn. Collect. ex Tomo I. Surij.*

Anno Christi MIV. *Roberti Regis* 17. *Monarchæ* 8. *quidam celebratas volunt Synodos in Galliis, de quibus meminit Glaber lib. 3. cap 3. Verùm hæ aliquot ante annos videntur habitæ. Idem ibidem agit de cæde S. Abbonis Floriacensis, siue S. Benedicti super Ligerim Abbatis doctissimi, qui cyclos decemnouales scripsit. Hunc in Monasterio ad Regulam Garumnæ imposito prope Kassinogilum palatium quondam Regium Vascones interfecerunt, die* 13. *Nou. feria* 2. *vt pluribus qui præsens aderat, & itineris comes fuerat Aimoinus Monachus in eius vita ad Herueum Clericum S. Martini Turonensis Thesaurarium. Sigebertus malè anno præcedenti necem illam collocauit, aliísque fraudi fuit. Gauzlinus Hugonis Capeti naturalis filius Roberti Regis frater suffectus est, ad eúmque anno sequenti de Miraculis sancti Benedicti commentarios à se elucubratos obtulit idem, qui supra Aimoinus auctor librorum 4. Historiæ siue Rerum à Francorum Regibus gestarum Abboni prædicto Abbati ante aliquot annos oblatorum, quem falsò plurimi Monachum S. Germani Pratensis ad Parisienses muros extitisse somniarunt. Richardus Gratia-Dei dictus S. Vitoni Abbas consecratur, teste Hugone Flauiniacensi, qui*

vitam illius fusè descripsit, quam habes p. 163. & seqq. Nouæ Bibliothecæ. S. Adraldus Trecassinæ vrbis Archidiaconus obiit, & in Ecclesia S. Sepulcri eiusdem vrbis, quam fundauerat sepultus est, ex Chronico MS. S. Petri viui Senonensis, & Chronologia Roberti Monachi S. Mariani Antissiodorensis. Henricus Rex, teste Sigeberto, Babenbergensem Ecclesiam Episcopalis sedis honore sublimat, & quia liberis carebat, eam omnium suarum rerum hæredem facit. Vnde Theodericus siue Diedericus Mettensium Episcopus dolens dotem, & patrimonium sororis suæ Cunegundis delegari Ecclesiæ Babenbergensi, rebellat. Verùm hæc postea videntur contigisse. *Alij verò ex Baldrico lib. 1. Cam. Chron. c. p. 115. Henricum volunt contra Balduinum Flandriæ Comitem mouisse, Valentinianas frustra obsedisse, quamuis subnixum auxiliis Roberti Francorum Regis, & Ricardi Normannorum Ducis: demum assumpto secum Notgero Leodiensi Ep. Flandriam vastasse, Gandanum inuasisse, Balduinum cepisse, eique tandem dedisse in beneficium, &c. quæ in annos 1006. & seq. differt Sigebertus in Chronico, vt dicemus infrà.* Chron. Hildensh. Auctor tradit ad Henricum Regem venisse cum Regiis muneribus Veronensem Episcopum, & alios quosdam primores Italici regni, ac Brunonem Ep. fratrem Regis, obtentu Gislæ matris, eius gratiam acquisiuisse. Idem quoque memorat incendium mirabile Papiensis ciuitatis, de quo etiam Lambertus Schafn. Edelredus Anglorum Rex Danos regnum fœdè ab anno populantes deleuit, ex Rogerio Houedeno, aliisque Anglicanæ Historiæ Scriptoribus. Stephanus Hungarorum Rex Bulgaros vincit, vt docet cum aliis Bonfinius. De ægris verò Romæ meritis SS. Bonifacij & Alexij sanatis, consule Annales Ecclesiasticos.

Anno Christi M V. *Roberti regni* 18. *Monarchiæ* 9. *Ottone Caroli filio Duce Lotharingiæ Inferioris mortuo absque liberis, ab Henrico Rege Ducatus ille traditus fuit Godefrido Improli dicto filio Godefridi Captiui Virdunensis, siue Ardennensis Comitis, qui dictus etiam est Einhamensis, vt pluribus Sigebertus à Miræo editus ex codice Lipsiano MS. Idem addit Cometem visum esse, & Chilpericum siue Hilpericum scripsisse librum de ratione Computi, vt apparet ex argumento inueniendi annos Domini per Indictiones. In Chronico breui Antissiodorensi edito pag. 292. Nouæ Bibliothecæ hoc anno habetur Robertum Regem obsedisse ciuitatem Antissiodori in Vigilia S. Martini 4. Idus Nouembris. Extat Charta Abbatiæ S. Benigni Diuionensis data 8. Kal. Septembris Indi-*

ctione 3. Epacta 7. regnante Roberto Rege anno 18. apud Aualonem castrum in obsidione: de qua nostrates Historici illud referunt miraculo proximum, quòd cùm piissimus Princeps rebus Diuinis in Ecclesia cum Clericis vacaret, Aualonenses muri sponte corruerunt. Glaber libri III. cap. 2. hæc de Burgundionum Comite refert ad hocce tempus spectantia. Vvillelmus Henrici Ducis Burgundiæ priuignus, & Alberti Langobardorum Ducis filius eidem Regi aliquando rebellis extitit, fauente ei Landrico Neuernus Comite, qui eius filiam vxorem duxerat, & Brunone Lingonensi Episcopo, cuius habebat in matrimonio sororem, ex qua suscepit filios & filias, de quibus priùs natam Landricus, reliquas vterque Vvillelmus scilicet Pictauensis, & Arelatensis, duxere vxores. Vnusque filiorum eius Rainaldus duxit filiam Ricardi Rotomagensis Ducis Adeledam nomine. Qui licèt aduena puer etiam furtim sublatus à Langobardorum patria matríque astutè per quemdam Monachum redditus, in Burgundia intantum conualuit, vt in diuitiis & in militia non inueniretur secundus in patria. Sed huic plurimum aduersatus est Hugo filius Lamberti Cabillonensis Comitis viri honestissimi, qui inter cætera, quæ gessit optima, Monasterium etiam construxit in pago Augustodunensi, Paredum dictum, in quo etiam sepultus est. Is etsi Antissiodorensis esset Episcopus, Comitatum paternum ex Regis imperio rexit, cui fidelissimus extitit. De eodem Hugone vide Gesta Antissiodorensium Præsulum à nobis edita Nouæ Bibliothecæ Tomo I. Adalbero Friderici Lotharingiæ superioris seu Mosellanæ Ducis, ex Beatrice Hugone Magno genita filius, Metensis Episcopus laudatissimus, obiit hoc anno Indictione 3 Henrici Regis quarto non sexto, die verò XIX. Kalendarum Ianuariarum seu 14. Decembris feria 6. cùm anno 984. 17. Kal. Nouembris suscepto Episcopatu ordinatus fuisset quinto Kal. Ianuarias: vt pluribus Auctor Synchronus ab eo in Abbatem benedictus in eius vita, quam in calce Tomi I. Nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum vulgabimus, ex codice optimæ notæ V. C. Claudij Hardy in Præfectura Parisiensi Senatoris doctissimi. Synodus Tremonienſis in Germania habita fuit Nonis Iulij anno Henrici Regis labente 4. quem Chronicon Hildensheimense asserit in partibus Saxoniæ, vsque ad tempus Quadragesimæ habitasse, & Pascha Aquisgrani celebrasse. Quæ si vera sunt, nutant profectò, quæ alij referunt, Henricum superasse Alpes ante Paschales ferias, Veronenses, Brixianos, reliquósque Italos relicto Arduino, quem ad regnum promouerant, ad obsequium redire compulisse, dein Papiam venisse, quæ tumultu inter

ciues ac milites exorto penè omnis incensa fuerit atque direpta. Peragrata deinde mense Iunio Hetruria rediisse in Germaniam, ac Iarimirum, fugato Boleslao fratre, Bohemorum Principem constituisse. Sed videndus atque expendendus diligenter Dithmarus Merseburgensis Ep. *MS. Vuillelmi Nangij Chronicon hoc anno refert Frotmundum Comitem Senonensem mortuum esse, qui toto vitæ suæ tempore ab infestatione subditorum, & Ecclesiarum non cessauerat, nec minis Franciæ Regum, nec Ecclesiastica monitione potuerat cohiberi. Huic successit Raynardus filius eius infidelium nequissimus, qui paterna sequens vestigia persecutionem excitauit in Clericos, qualis non fuerat audita à tempore paganorum, inquit Auctor. Leothericus Archiepiscopus cum Burcardo Comite Melodunensi iussu Roberti Regis Senonas obsedit, & quorumdam ciuium qui Regi faucbant operâ intromissis militibus occupauit, Rainaldoque metu mortis nudo fugiente, Frotmundus frater eius in Turrim munitam, quam Rex Robertus collecto nouo exercitu crebris assultibus cepit, ac Frotmundum duxit in carcerem Aurelianæ vrbis, vbi & defunctus est. Continuator Aimoini, Hugo Floriacensis, & Anonymus quidam cum iisdem supra laudatus non semel, memorant captam Senonensem vrbem fuisse per consilium Raynaldi Parisiensis Episcopi die X. Kal. Maij sed pro anno 1015. & Indictione 13. sublato vtrobique decussi, legendum fortè quis arbitrabitur annum præsentem 1005. & Indict. 3. De iisdem Frotmundo & Rainardo consule Chronologiam Roberti Monachi sancti Mariani O. P. vnde discet ab eodem Rainardo è custodia emisso munitum fuisse ope atque auxilio Odonis Comitis Monasteriolum super Sequanam*, &c.

Anno Christi MVI. *Roberti Regis* 19. *Monarchæ* 10. *Gaufridus Martellus Fulconis Hierosolymitani Comitis Andegauensis filius, natus est pridie Idus Octobris, vt docent Chronica Andegauensia Tomo I. Nouæ Bibliothecæ, quidam tamen an. præcedenti, quidam seq. illigant, atque Idus Octobris in Aprilis mutant.* Sigebertus, Nangius, ac fermè omnes Chronologi hoc anno inchoasse scribunt famem ac mortalitatem, quæ tam grauiter per totam orbem inualuerit, vt tædio sepelientium viui adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Occasione huius famis Nangius narrat pauperculam iuuenculam à Normanniæ Duce in concubinam electam, quæ alij ad patrem eius referre malunt. Idem de Sueno Danorum Rege cum classe magna Angliam repetente aduersus Edelredum multa narrat, quæ tutiùs, vt ar-

bitror, repetere licet ex Rogerio aliísque Anglicis ſcriptoribus, ac Willelmo Calculo. *Sigebertus verò teſtatur caſtrum Valentinianas, ſitum in marca Franciæ & Lotharienſis regni, quod Balduinus Flandrorum Comes inuaſerat, ab Henrico Germaniæ Rege obſeſſum, concurrentibus ad auxilium eius Roberto Rege Francorum, & Richardo Comite Normannorum.* Idem Imperator ab aliis dicitur Poſnaniam vſque progreſſus vaſtaſſe Poloniam, ac pace inita rediiſſe. Glaber cap. 9. lib. 2. poſtquam præmiſit tantam fuiſſe famem, vt in quibuſdam locis iam adulti filij conſumerent matres, ipſæque in paruulos remota pietate materna idem exercerent, ſubiicit gentem Saracenorum cum Rege ſuo Almanzor nomine plurimas Chriſtianis dediſſe ſtrages, & Willermum Ducem Nauarræ, cognomento Sanctum, licèt imparem exercitu, ſæpiùs tamen cum iis iniiſſe prœlia, tunc ob raritatem exercitus compulſos fuiſſe Monachos ſumere arma bellica, tandémque conceſſa Chriſtianis victoriâ Saracenos, qui ſuperfuerant, ad Africam feciſſe confugium. Hic verò fuit Sancius Vaſconum Rex, cognomento Magnus, qui filiam Sancij III. Caſtellæ hæredem duxit vxorem.

Anno Chriſti MVII. *Roberti Regis* 20. *Monarchæ* 11. *Fulbertus vir per ea tempora doctiſſimus Carnotenſis Epiſcopus conſecratur: Glaber lib.* 4. *cap.* 4. *vocat eum incomparabilem ac ſapientiſſimum: Chronicon verò Malleacenſe teſtatur à Gerberto edoctum Fulbertum, qui poſt Leobinum Carnotenſis extitit Præſul, de quo multa ſcripta, vel in pagina, vel in cantu ſanctæ Eccleſiæ remanſerunt: Fulbertum verò doctorem fuiſſe Berengarij Canonici S. Martini qui item Brunonem Remenſem, & alios multos hæredes philoſophiæ reliquerit: Brunonem verò perfectum Philoſophum Monachum factum atque Eremitam apud Calabriam obiiſſe in Chriſto multorum Monachorum patrem. Ex Sigeberto diſcimus I. Henricum Regem, quia de obſidione Valentianenſi inefficax redierat, contra Balduinum Flandriæ Comitem profectum caſtrum Gandauenſe inuaſiſſe, vaſtatáque regione aliquot Flandrenſium primores cepiſſe. II. Baldricum perterritum Henrico ſatisfeciſſe, Valentianas reddidiſſe, datiſque obſidibus cum ſacramento fidelitatis manus ei dediſſe. III. Poſtea eundem Regem ſuorum ſeditione coactum Valentianas Balduino beneficiaſſe, vt ſibi contra motus ſuorum auxilio eſſet, tum etiam Vvalachras, hoc eſt Vvalachriam inſulam Zelandiæ, in qua ſitum eſt Mildeburgum, addidiſſe. IV. S. Liuini Hibernenſis Archiepiſcopi, & Martyris corpus ex villâ Holthem Gandanum adue-*

nisse 16. Kal. Sept. Idem Rex Henricus Cameracensi Ep. Erluino dedit Comitatum Cameracensem, qua de re consulendum Balduini Chronicon lib. 1. cap. 115. & Notitia Miræi cap. 78. Notkerus Leodiensis Episcopus obiit non 4. Idus Aprilis, sed tertio Nonas eiusdem mensis, scilicet die Iouis in Cœna Domini, succedente Baldrico, cuius ordinationem in an. seq. differt Sigebertus. Obiit S. Romualdus Abbas S. Emmerammi, de quo Baronius ex Tomo II. Antiquarum Lectionum Henrici Canisij. S. Stephanus Hungariæ Rex Romæ, CP. aliisque in locis varia condit oratoria, de quibus Inchoferus.

Anno Christi MVIII. *Roberti Regis* 21. *Monarchæ* 12. *quem vocat Glaber lib. 3. cap. 6. octauum infra millesimum humanati Saluatoris annum, candidato innouatis Ecclesiarum basilicis vniuerso mundo, reuelata sunt diuersorum argumentorum indiciis, quæ diu latuerant plurimorum Sanctorum pignora. Primam reuelationem in Senonicâ vrbe factam refert apud Ecclesiam S. Stephani, tum subdit de Frotmundo, & Rainardo eius filio plura, quæ Lector per ocium consulet, & de Heriberto Tricensium Comite. De Kalensi Synodo 16. Kalendas Iunij celebrata videndum diploma Roberti Regis cum subscriptionibus Præsulum in Historia San-Dionysiana. In Chartulario Abbatiæ S. Petri Vsarchiensis in Lemouicibus dicitur cum pluribus aliis reperiri charta Ademari Clerici (quem Blondellus putat eundem esse, qui ex Cabanensium Dynastarum exortus familia Chronicon scripsit de rebus ad Engolij mensès, & Aquitanos præsertim pertinentibus in annum* 1028. *desinens) cuius clausula multorum exercuit ingenia. Ea sic se habet:* facta est donatio illa in mense Maio anno ab Incarn. D. N. I. C. millesimo octauo, regnante Roberto, & Ludoico & Charloino, *cùm tamen diplomata annis* 1006. *&* 1009. *in eodem monasterio edita solius Roberti Regis meminerint. Ex quo vel vnico argumento labefactantur omnia, quæ de regno Ludouici & Caroli filiorum Caroli Lotharingiæ Ducis in medium possent adduci. In Collectione rerum Leodiensium, & Notitiæ Ecclesiarum Miræi cap. 79. mentio fit diplomatum Kal. Iulij, & pridie Idus Sept. datorum Indictione 6. Henrici Germaniæ Regis anno septimo, quibus Baldrico Leodiensi Ep. & Balduino Comiti dedit bannum bestiarum, quas possidebant in Comitatu Gothelonis Magni, tunc Marchionis de Antverpio, postea Ducis Lotharingiæ.* Chronicon Hildensh. testatur Henricum Regem Pascha Merseburgi, Pentecostem Agrippinæ feriasse, Luidolfum Treuirensem Archiepiscopum obiisse, eique à Rege suffectum Meinzozum seu Meingardum Primiscrinium suum, cùm à ple-

risque Clericis electus fuisset Adelbero frater Cunegundis Reginæ adhuc adolescens, quam ob causam exortum est bellum Baioariæ Ducibus aduersus Henricum Adalberoni patrocinantibus. Sigeberto verò Burchardus hoc anno fit Wormarienſium Ep. qui in scripturis studiosus magnum illud Canonum volumen edidit, collaborante sibi in hoc magistro suo Olberto viro vndecumque doctissimo, qui postea factus est Abbas Gemblacensis, vt dicemus postea. S. Bruno Ruthenorum Episcopus, & Borussorum Apostolus die 14. Februarij sabbato martyrio coronatur, vt docet Ditmarus lib. 6. Sigebertus differt in annum 1010. Translatio autem eius incidit in 15. Octobris, quo die fit eius mentio in Romano Martyrologio, vbi dicitur pedibus manibúsque præcisis capite truncatus in Prussia. Edelredi classis, vt Danis obsisteret magnis sumptibus parata, tempestate periit. Boleslaus Bohemorum Dux collectis Sclauorum Saxonúmque auxiliis Budissinam vrbem deditione accipit. Saraceni ex Africâ Capuam, & Barium obsidentes repelluntur à Gregorio præfecto exercitus Imp. C P. & Venetorum Duce. *Obiit Gaufredus Dux Britanniæ*, inquit Auctor Chronici S. Michaëlis pag. 350. Nouæ Bibliothecæ, *filius Conani filij Iuhelli Berengarij, dum pergeret Romam causâ orationis.*

Anno Christi MIX. *Roberti Regis* 22. *Mon.* 13. *Nordmanni Frisiam infestantes Thile oppidum incendunt. Henricus Imperator Mettim vrbem obsidet propter Deodericum fratrem vxoris suæ contra se rebellantem, qui Episcopatum ipsius vrbis vsurpauerat. Dux enim Mosellanorum Deodericus post fratrem suum Alberonem dato Episcopatu Mettensium filio suo adhuc puero, tutorem ei substituit ipsum Deodericum, qui puero vrbe excluso, & Episcopatu vsurpato, ipsum etiam Deodericum Ducem bello cepit. Vrbe ergo per obsidionem pænè desolata tandem pax conuenit*, inquit Sigebertus, qui in duobus peccauit, tum quod Eclipsim Solis hoc anno accidisse, tum quod Leonem Romanæ Ecclesiæ præfediſſe commemoret. Nam mortuo Ioanne XVIII. Papâ 18. Iulij, postquam sedisset annos 5. mens. 7. & dies 28. Sergius IV. pridie Kal. Septembris electus est, antea dictus Bucca Porci, ex Ditmaro, vir sanctæ vitæ & iustus, ex Nangio, qui multa hîc vt assolet de Danis Angliam vastantibus, quæ tu ex Rogerio ac similibus tutiùs repetes. *Chronicon Belgicum testatur ab Henrico obsessam fuisse Treue-*

Treuerensem vrbem Dom. in Octauis Paschæ quæ dicitur Quasimodo, &c. nec tamen captam, reluctante Adalberone, iisque qui ipsi fauebant. Luna Eclipsim passa est die 6. Oct. hora vna ante mediam noctem, vt monuimus in Chr. Tech. *Mathildis vxor quondam Balduini III. Flandriæ Comitis obiit, & in Blandinien si S. Petri cœnobio apud Gandauum sepulta est iuxta Godefridum Captiuum Virdunensem Comitem, & dominum Einhamensem, maritum suum posteriorem, vt disces ex Notitia Miræi capitibus 68. & 99.* Mogontiæ monasterium S. Martini à Willigiso Archiep. constructum incendio periit. 3. Kal. Sept. Anno 9. post millesimum, inquit Glaber lib. 3. c. 7. Ecclesia quæ apud Hierosolymam sepulchrum continebat Domini ac Saluatoris nostri, euersa est funditus, iussu Principis Babylonis, necnon in Ramulo Ecclesia S. Georgij Mart. Occasionem huic euersioni dedisse subiungit Iudæos, quorum *apud Aurelianensem vrbem non modica erat multitudo.* Vt verò hoc diuulgatum est per orbem Christianum, Iudæi, partim ciuitatibus expulsi, partim gladiis trucidati, partim fluminibus necati, &c. Eodem nihilominus anno diuina propitiante clementia cœpit mater ipsius Ammirati Babylonici mulier Christianissima, nomine Maria, reædificare Christi templum iussu eius filij euersum, politis & quadris lapidibus. Tunc quoque de vniuerso terrarum orbe incredibilis hominum multitudo exultanter Hierosolymam pergentes domui Dei restaurandæ plurima detulerunt munera. Hæc ille, quo referas velim, quæ ex Chronico Lemouicensi edidimus p. 334. Nouæ Bibl. M I X. Sic enim legendum non M X. Eclipsis Lunæ facta est Nonis Oct. hora 3. (matutina scilicet, circa quam in quibusdam locis finis Eclipseos contigit) Ipso denique anno confractum est Sepulcrum Domini à Paganis tertio Oct. quæ verba desumpta videntur ex Historia Ademari Chabanensis Engolismensis Monachi, quæ Tomo II. Nouæ Bibliothecæ Deo dante vulgabitur.

Anno Christi M X. *Roberti Regis* 23. *Monarchæ* 14. *Vuillermus Dux Aquitanorum construi præcepit Cœnobium in honore Apostolorum Petri & Pauli, quod vocatur Malleacum, quod ditauit multis redditibus, & quod maius est, excellentibus reliquiis Sanctorum. Dehinc pluribus adunatis fratribus regulariter viuentibus præfecit eis Abbatem, nomine Theodelinum: dedítque sancto Maxentio quandam villam, quæ vocatur Celesium, quando corpus S. Maxentij delatum est Pictauos ad*

Concilium 6. Idus Martij, tempore Bernardi Abbatis, & Gisleberti Episcopi Pictauensium, inquit Auctor Chronici Maxentiani, quod passim dicitur Malleacense Tomo II. Nouæ Bibliothecæ Deo Dante cum pleríque ad Aquitaniam spectantibus euulgandum. Robertum Regem, Guillelmum Ducem Angeliaci hoc anno in Santonibus inuisisse quidam referunt. Sigebertus tria refert I. Nortmannos Frisiam repetiisse, & multis cæsis Vltraiectum incensum fuisse. II. Gentem Hungarorum hactenus idololatriæ deditam ad Christi fidem conuersam per Gislam sororem Imperatoris, quæ nupta Hungarorum Regi ad hoc sua instantia Regem adduxit, vt se & totam gentem baptizari expeteret, qui in baptismo Stephanus est vocatus. Verùm ea de re consulendos moneo Annales Hungariæ à P. Melchiore Inchofero è nostrâ Societate ad annum vsque huiusce sæculi 59. deductos. III. *In cœnobio Florinensi pro Clericis Monachos constitutos.* De Solis defectu 18. Martij in Chr. Tech. *Apud Valentianas in Basilica S. Ioannis Clerici Regulares, amotis sæcularibus, sunt pariter collocati.* Henricus Rex Pascha Ratisbonæ celebrauit, inquit Chr. Hildensh, & Ansfrido Vltraiectensis Ecclesiæ Episcopo mortuo successit Adelboldus, quam in rem videndus quoque Lamb. Schafnaburg. Florentini Fesulis occupatis nomen sibi aliquod in Italia facere incipiunt. In arce Romulea, referente Ditmaro, in vna Ecclesia ab vno pauimenti foramine per integrum diem oleum emanauit, cuius partem Ioannes Crescentij filius in ampulla quadam S. Henrico Regi transmisit.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MXI. *Roberti Regis* 24. *Monarchæ* 15. *in Hannonia iuxta Montem Castrilocum, inquit Sigebertus, fonticulus aquæ multis saluberrimus in sanguinem conuersus est. Guillelmus V. Aquitaniæ Dux cum Alduino Lemouicensi Episcopo Romam petiit.* Henricus Rex in Capite Ieiunij Corbeiam Nouam ad Visurgim sitam venit, vbi Bernardus Pius Dux 5. Idus Februarij obiit, & in Luniburgensi S. Michaëlis cœnobio, quod fundauerat, sepultus, post quem filius eius Benno Ducatum Saxoniæ obtinuit. Willegisus quoque Moguntinus Archiepiscopus ad Christum migrauit, substituto in eius locum Erkambaldo Fuldensium Abbate, quem Rottildensheimensis Episcopus Kal. Aprilis consecrauit. Multi hoc anno volunt Henricum Leodij Pascha celebrasse, deinde Bam-

bergam se contulisse ad dedicationem Ecclesiæ in honorem S. Georgij Martyris erectæ factam ab Episcopis 46. pridie Nonas Maij feria 1. & Chronicon Cameracense ac Ditmarum in testes aduocant. De Danorum incursionibus consule Rogerium, aliósque Anglos, cum Nangio, de Regibus Nauarræ, & Legionis, ac Comitibus Castellæ circa ea tempora Rodericum ac Marianam: de Mele verò ciuitatem Barium inuito Græcorum Imperatore sibi retinente ac Calabriam Apuliámque ad rebellionem excitante, Leonem Ostiensem lib. 2. c. 38. 40. & 42. vt omittam Curopalatem, aliósque Græcos, qui obseruant huius seditionis indicio, CP. crebro terræ motu à Ianuario ad Martium concussam fuisse.

Anno Christi MXII. *Roberti Regis 25. Monarchæ 16. viuente adhuc Daimberto Bituricensium Archiepiscopo, & vacante post eius obitum sede, multa contigerunt Auarici Biturigum, quæ ad Ecclesiarum ac Monasteriorum S. Petri Puellaris, B. Virginis Salensis, S. Vrsini, &c. instaurationem spectant, de quibus pluribus agendum in Promptuario Bituricensium Antiquitatum, vbi de Gaufrido Nobili Biturigum Vicecomite, aliisque Prouinciæ Proceribus, è quorum numero Radulfus Caluus tertius Dolensis Princeps, & Dominus Castri-Radulfi obiisse hoc anno dicitur in Chronico Dolensi, & de Gauzlino qui ex Abbate Fioriacensi, Roberti Regis fratris sui fauore, in Archiepiscopum anno seq. electus, sedit annis 17. & mensibus quinque. Quam ob causam per quinquennium ei restiterint Bituricenses docet Ademarus Cabanensis in Chronico. Idem de morte agit Alduini Lemouicensis Ep. cui successit Geraldus nepos eius, qui Pictauij consecratus fuit in æde S. Hilarij à Seguino Archiepiscopo Burdegalensi, Gisleberto Pictauiensi, Arnaldo Petracoricensi, Islone Santonensi, & Grimoaldo Engolismensi Episcopis.* Sergius IV. Papa obiisse creditur 13. Maij, post sedem annorum duorum, mensium octo, dierúmque tredecim. Benedictum VIII. ex Portuensi Episcopo eius successorem alij hoc anno in Romana sede collocant, alij in seq. differunt. Illud certè omnino constat à Gregorio quodam Antipapa contra canones electo eiectum Benedictum ad Henricum Germaniæ Regem confugisse, vt narrat libro sexto Dithmarus huius temporis scriptor. Idem verò Princeps celebrato Leodici Paschate, vt verbis vtar Chronici Hildensheimensis, cui adstipulatur Lambertus Schafnaburgensis, inde cum summa regali reuerentia Babenberg profectus est. Ibi venerabile

monaſterium ipſius domni Regis nobile ac ſpeciale ſtudium, ab Eberardo primo eius ſedis Epiſcopo cum conſenſu, & conuentu omnium Ciſalpinorum Præſulum pridie Nonas Maij conſecratum eſt ad laudem, & honorem D. N. I. C. & pretioſiſſimi eius Martyris Georgij (ſic enim legendum non Gedrij, vt edidit Ducheſnius) & ad patrocinium omnium Sanctorum Dei. Dagano Parthenopolitanæ vrbis Archipræſul obiit, ſuccedente ad 7. tantùm hebdomadas Waltardo, cui ſuffectus eſt Gero, vir perfectus in omni Eccleſiaſtico ſtudio. Slaui in Saxonia & Dania excuſſo fidei Catholicæ iugo templa exurunt euertuntque, multóſque è clero ac præcipuè ſacerdotes diris ſuppliciis necant, teſte Adamo Bremenſi Chronographo lib. 2. c. 32. Sigeb. docet I. *Erluino ſucceſſiſſe in Gemmelacenſi Abbatia Olbertum virum moribus religione, gemina ſcientia, bonis docti que viris aut conferendum, aut præferendum. II. Henricum Regem Godefridum Ducem cum exercitu in fines Bratuſpantium, qui poſtea dicti ſunt dicuntúrque etiamnum Brabanti, ad obſidendum Louanienſe caſtrum, vnde redierit inefficax.* Ex Hermanno verò diſcimus I. Conradum Carentanorum Ducem Othonis Ducis filium, ac Brunonis ſiue Gregorij V. Papæ fratrem obiiſſe, eiúſque Ducatum Adalberoni datum, excluſo Conrado Conradi filio: Herimanno quoque Alamaniæ Duci Erneſtum ſucceſſiſſe. *S. Macarius Ep. Antiochenus, de cuius depoſitione agit Sigebertus anno ſeq. Gandaui in S. Bauonis monaſterio peſte correptus obiit die 9. Maij, quem vt patronum aduerſus epidemicam luem multi colunt. Baldricus lib. 3. cap. 18 refert mortem Erluini Cameracenſis Ep. cui ſucceſſit Gerardus I. Arnulfi Florinenſis Dynaſtæ filius. De S. Guidonis Deiparæ ſeruientis in Eccleſia Lacenſi haud procul Bruxella felici ad Chriſtum tranſitu, & in Anderlacenſi S. Petri Baſilica ſepultura, vide Miræum, cui cum Molano, Baronio, aliíſque non conuenit.* Baronius meminit S. Colmanni Scoti Regis Malcolmi ex Margaritâ filij in Auſtriâ ſex milliaribus ſupra Viennam dum Hieroſolymis rediret, à Paganis quibuſdam interempti ac Martyris, quem alij referunt ad an. 646. Idem de Legionenſi Concilio agit, quod ad æram 1050. ſub Adelfonſo alligatur, ſed ſubeſt fortaſſe mendum.

Anno Chriſti MXIII. *Roberti Regis* 26. *Monarchæ* 17. naſcitur Hermannus, Contractus vulgò dictus, ex nobiliſſima Comitum Veringenſium familia, qui ditionem olim amplam in

Alpibus Sueuiæ, & ad Danubium possediſſe perhibentur. Huius Chronicon desinit in annum 1054. quo obiisse dicitur. *Bellum in Huard 6. Idus Octobris ex Chronico Leodiensi, quod pluribus narrat Sigebertus in hunc modum:* Baldricus Episcopus cùm in villa Hugardis dicta castellum muniret, Lantbertus Comes Louanienſium eum aggreditur, & Episcopus Lantberto vincente, multis suorum captis & occisis, graui atteritur infortunio. Henricus Rex cùm Purgationem B. Mariæ Parthenopoli egisset venit Wetlam, vbi graui languore correptus hebdomadum quinque spatio decubuit. Dein Italiam petens, vt subueniret suis, quos Græci premebant, circa Beneuentum, Salernum, & Capuam debacchantes, Troiam ciuitatem capit, tandémque Papiæ Natalem Domini celebrat, inchoatâ iam Indictione 14. vnde patet erraſſe eos, qui hoc anno Romæ coronatum in Imp. scripsere, nisi eis Gallicana supputatio in subsidium veniat. Sigonius, aliíque ad hunc annum referunt, quæ Glaber Radulfus in Præfatione lib. 3. Hugo Flauiniacensis, aliíque narrant de Arduino à quibusdam Langobardis in Regem electo, & ab Henrico fusis eius copiis superato, de palatio miri operis ab iisdem Langobardis in Papiensi ciuitate in gratiam Henrici extructo, quæ alij ab aliquot annis contigisse contendunt. Coronatum ab Archiepiscopo Mediolanensi Langobardorum Regem Henricum idem testatur Sigonius. De Sueno Anglorum debellatore, & Edelredi Regis fuga, consule Rogerium, *&c.* De Basilij verò Græcorum Imperatoris aduersus Bulgaros victoriâ, ac dira in captiuos immanitate, quos ad 15. millia oculis erutis excæcauit, centeno quoque monoculo relicto, Scylitzam, Cedrenum, *&c.* qui addunt biduo post cladem illam Samuelem Bulgarorum Regem obiisse, succedente filio Gabriele, quem sequens quoque abstulit annus.

Anno Christi MXIV. *Roberti Regis* 27. *Monarchæ* 18. *Theodelinus Abbas Malleacum transtulit ossa S. Rigomeri Presbyteri à pago Cenomanico, temporibus Comitum Fulconis Nerræ dicti Andegauensis, & Hugonis Cenomanensis, vt pluribus exponetur Tomo II. Nouæ Bibliothecæ. Ecclesia S. Martini Turonensis dedicatur ab Hugone Turonensi Archiepiscopo, vt docent Excerpta Chronici Veteris ab anno 988. ad 1109. à Ducheſniis edita. Obiit Morardus piæ Abbas memoriæ, inquit Aimoini Continuator Pratensis Monachus, qui Ecclesiam Beati*

Germani à paganis ter incensam euertens à fundamentis nouam reædificauit: turrim quoque cum signo, multáque alia ibi construxit. Cui successit Ingo (Masciacensem in Bituricensi prouincia Abbatem fuisse, & Roberti Regis in addiscendis artibus collegam docuit Helgaldus Floriacensis Monachus in Epitome pag. 64. Tomi IV. Historicorum Franciæ) *magnæ nobilitatis in sæculo, qui post annum decedens 12. dum Monachi sapè fati cœnobij sæculari modò vitam ducerent, piissimus Robertus Rex vnà cum sua vxore Constantia Regina, accersens domnum Guillelmum Abbatem Diuionensis cœnobij, dedit ei Abbatiam B. Germani, qui eam regulariter instituens anno Domini* 1030. *vita decessit. Post quem prædictus Rex cum Regina Adraldum Abbatem constituit. Hæc ille Anonymus, qui de Genealogia Dominorum de Monte-forti, de Monte-Lehérici, de Braya, de Curtiniaco vetere, &c. multa subiungit, quæ diligentiùs enucleare nostri non est instituti. Sigebertus tria congerit. I. Baldricum Episcopum in Leodiensi insula cœnobium S. Iacobi Apostoli fundasse, vbi Olbertus primus Abbas præfuit. II. Ducem Godefridum Gerardum Comitem multis modis regnum Lothariense inquietantem bello vicisse, filióque eius in eo cum multis occiso, complices eiusdem deterruisse.* III. magnam inundationem maris accidisse 7. Kal. Octobris. S. Henricus Germaniæ Rex Papia digressus comitatu regio Romam pergens Imperialis coronæ Diadema à S. Petri successore Benedicto 16. Kalendas Martias die Dominica, vt habet Ditmarus αὐτόπτης scriptor, sic enim apud eum legendum Libri VII. exordium: Decursis à Dominica Incarnatione post millenarij plenitudinem numeri annis 13. & in subsequentis anni secundo mense ac hebdomada tertia, anno autem regni eius 13. & die Dominica XVI. Cal. Martij (pro quo excusum fuit mendosè ac VI.) Henricus Dei gratia Rex inclytus à Senatoribus 12. vallatus, &c. vel 6. Kalendas eiusdem mensis, vt editum est in Chronico Hildensheimens. & alibi, cùm dies hæc Apostolo Matthiæ sacra in feriam quartam hoc anno inciderit litera Dominicali C. non verò in Dominicam (vnde patet error Inchoferi, qui diem 24. disertè docet fuisse Dominicam, subdítque eundem Henricum anno millesimo Moguntiæ die 6. Iunij Regem Romanorum dictum coronatúmque fuisse) cum generali Romanorum electione suscepit, eiúsque contectalis domna Kunegonda idem Deo annuente promeruit. Sic Imperator Dei gratia factus Papiam rediit, ibíq; sanctum Pascha

feriauit (ideóque explodendam censeo vulgarem sententiam cui in Chronico Technico subscripseram, quæ inaugurationem illam differt in Paschales vsque ferias) Inde in Germaniam regressus Pentecostem in Bambergensi vrbe festiuè peregit, eiusdémque loci priuilegia iussit scribere firmata sigillo suæ auctoritatis, & roborata Apostolico iure Romani Pontificis. Vide Ditmarum lib. 7. Chron. Hild. Leonem Marsicanum lib. 2. cap. 31. aliósque, ex recentioribus verò Sigonium ac Baronium præ cæteris, qui obseruant ab eo confirmata dona ab Imperatoribus iam olim Romanæ Ecclesiæ concessa. Glaber lib. 1. cap. 5. cùm monuisset nimiùm condecens videri, atque ad pacis tutelam optimum decretum, vt ne quisquam audacter Romani Imperij Sceptrum gestare atque Imperator dici, aut esse valeat, nisi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum reipublicæ, eíque commiserit insigne Imperiale, subdit iussu Benedicti Papæ fabricatum pomum aureum pretiosissimis quibúsque gemmis distinctum, Cruce aurea desuper insertâ, atque Henrico Imp. oblatum, qui illud ad Cluniacense monasterium misit, &c. quæ per otium consules. Suenus Danorum Rex deuictis Anglis, fugatóque in Normanniam Rege Etelredo die 3. Februarij subita morte defunctus est, à S. Edmundo, vt aiunt, percussus. Successor eius Knutus seu Canutus filius ab Etelredo in Angliam cum multis nauibus reduce pulsus in Daniam rediit. Plura Glaber lib. 2. cap. 2. Gemeticensis, Malmesburiensis, Rogerius, similésque, qui istas turbas ex professo repræsentant.

Anno Christi MXV. *Roberti Regis* 28. *Monarchæ* 19. *ab Aimoini Continuatore & quibusdam aliis consignatur Senonensis obsidio, de qua diximus supra ad annum* 1005. *Bruno Lingonensis Episcopus, eximius pauperum Christi tutor, & defensor piissimus obiit ætatis* 60. *Episcop.* 36. *de quo vide Chronica Bezuense, & Benigniana tum prolixiùs, tum Paschale editum pag.* 294. *Nouæ Bibliothecæ, & Galliam Christianam Claudij Roberti in Lingonensibus, cum Elogio ex veteri Martyrologio Ecclesiæ eiusdem S. Benigni Diuionensis. Godefridus Dux Comitatum Montensem depopulatus cum Raginero Montensi eiusque patruo Lantberto Louaniensi apud Florinas pugnam conserit, vbi plusquam quadringenti viri occisi sunt, & ipse Lantbertus occubuit. Vbi res mira contigit, inquit Sigebertus in Chronico:* Cum Lantbertus

ſpem victoriæ iam haberet, habebat quippe phylacterium à collo vſque ad pectus pendens, Sanctorum reliquiis refertum, quorum patrocinio ſe in periculis tutum fore credebat, inſtante ei termino vitæ, cùm illud ex collo eius exiens ſuper trunculum campi exiluiſſet, mox Comes, antea inuictus, perimitur. *Addit I. quemdam militum phylacterium illud in caliga abſcondiſſe, ſed coxa eius, & crure intumeſcentibus rem prodidiſſe, & domino ſuo Hetheloni fratri Ducis Godefridi phylacterium illud dediſſe. II. Florinenſem Abbatiam à Baldrico acquiſitam ei cui præerat Epiſcopatui Leodienſi.* Quod verò præmittit S. Guichtheth, ſiue Adalberti Pragenſis Epiſcopi apud Bructios ſeu Boruſſos martyrium grauiter allucinatus in errorem ipſum quoque Miræum pertraxit. *Caterùm Florinenſis prælij diem 12. Septembris adſignat Leodienſe Chronicon pag. 337. Nouæ Bibliothecæ. Videndum quoque Baldrici Nouiomenſis Ep. Cameracenſe Chronicon libri III. cap. 12. cum Leodienſibus Hiſtoricis, ex quibus diſces Templum Cathedrale ſancti Lamberti præſente S. Heriberto Colonienſi Archiep. 5. Kal. Nouembris, & tertio poſt die Templum S. Bartolomæi à Baldrico Leodicenſi Ep. conſecrata. Lantbertus Niuellis ſepultus ex Gerberga Caroli Lotharingiæ Ducis ſecundogenita filia reliquit liberos Henricum, Baldricum, Ragineruum, & Matildem. Rodulfus Ignauus poſtremus Burgundiæ Tranſiuranæ Rex S. Henricum Imp. ex ſorore nepotem hæredem inſtituiſſe dicitur auctore Ditmaro.* Is de Polonis victoriam retulit die 3. Auguſti, & à Miſnæ quam paulo poſt aggreſſi fuerant, obſidione coëgit recedere. Ex Hermanno verò diſcimus Erneſtum Alemaniæ Ducem in venatione ab Adalberone feram petente ſagitta vulneratum interiiſſe, Ducatum eius Erneſto filio datum; viduam autem Giſalam Conrado Salico Henrici Ducis filio, qui poſtea imperauit, nuptam; Poppone nem quoque Erneſti Ducis fratrem Megingaudo Treuirenſi Archiepiſcopo mortuo ſucceſſiſſe. Arduinus, qui in Italia poſt diſceſſum Imperatoris bellum redintegrare fuerat auſus, ab Archiepiſcopi Mediolanenſis aliorúmque Henrico fidelium exercitu pulſus abdidit ſe in Fructerienſe monaſterium in agro Taurinatium ſitum. Muſactus Saracenorum Rex Sardiniam à Piſanis iam triennio poſſeſſam ſibi vindicat, eamdem tamen haud multo pòſt Genuenſium auxilio recuperarunt. Baſilius Imperator Saracenos in Media profligat, & ſub Autumnum profectus in Bulgariam Petricum caſtrum tota hieme

hieme oppugnat infelici ſucceſſu. De Canuto è Dania cum claſſe in Angliam reduce, & Edelredi infirma apud Londonium valetudine lege ſis Willelmum Malmeſburienſem, Rogerium Houedenum, alióſque Anglos.

Anno Chriſti MXVI. *Roberti Regis* 29. *Monarchæ* 20. *prælium Pontelcuenſe factum eſt pridie nonas Iulij inter Fulconem Andegauenſem, & Odonem Carnotenſem Comites, & victoria penes Fulconem fuit, inquiunt Chronica Andegauenſia edita in Noua Bibliotheca, & Anonymus pag.* 361. *Tomi III. Collect. Ducheſnianæ. Malleacenſe Chronicon MS. pro Nonis Kalendas Iulij ſubſtituit, & pro Odone Hugonem, quem quidam Cenomanenſem Comitem interpretantur.* Simeon Syracuſis Siciliæ oriundus, & poſtea Monachus in monte Sina, hoc tempore clarebat, inquit Sigebertus, qui Hieroſolymam veniens longam pro Chriſto peregrinationem ſuſcepit, & cum Poppone Treuirorum Arch. ad Gallias veniens Treueris in altitudine turris incluſus eſt, ibíque beato fine quieuit. De eodem plura Hugo Flauiniacenſis Abbas. Benedictus Papa coëgit milites misitque aduerſus Saracenos, qui Lunam ciuitatem in Liguria diripuerant. Illi fugatis barbaris eorúmque Rege, Reginam captam capite truncarunt, vt pluribus leges apud Ditmarum, qui nec ſaccum caſtaneis plenum à Rege Saraceno miſſum nec remiſſum à Papa marſupium milio plenum omiſit. Ethelredo mortuo die 23. Aprilis regnum Angliæ ſuſcipit Edmundus eius filius, qui poſt varia prœlia, & monomachiam cum Canuto Danorum Rege, tandem ad pacem coactus, mediam regni partem Danis conceſſit, ac paullò poſt moritur die vltimo Nouembris, eiúſque frater Eduardus cum liberis Anglia pellitur, ſolo dominante Canuto, qui Magnus dici ſolet. Vide Glabrum lib. 2. cap. 2. Malmeſb. Weſtmon. Rogerium, Adamum Bremenſem, *&c.* Idem Glaber lib. 3. cap. primo refert cùm Baſilius Imp. Græcorum præcepiſſet Satrapæ τῷ κ τ. πόντου, vt ex Italicis ciuitatibus, quæ C P. ſubiacebant Imperio tributa exigerent, & ab iis non parua pars Beneuentanæ prouinciæ ſubiugata eſſet, contigiſſe, *vt quidam Normannorum audaciſſimus, nomine Rodulfus, metuens iram Richardi Ducis, cui diſplicuerat,* Romam pergeret, cauſámque propriam Benedicto Papæ exponeret. Qui eum ad Beneuentanos Primates miſit, vt aduerſus Græcos prœliaturis ſemper præeſſet, illiúſque iuſſioni vna-

nimes obedirent. *Frequentes de Græcis Rodulfi victorias, vt audierunt Normanni, innumerabilis eorum multitudo cum vxoribus, & liberis prosecuta est, non solùm permittente, sed etiam compellente, vt irent, Ricardo Duce.* Cætera quæ subdit de Troade ab Henrico Imp. obsessa ad seq. annos pertinent. De iisdem Normannis in Italiam profectis consule Chronicon Cassinense, auctore Leone Ostiensi lib. 3. cap. 38. De Othone Orselino post Petrum Duce Venetorum plura Sabellicus, aliíque Venetorum Historici. Basilius multis vrbibus, castellísque Bulgariæ expugnatis in eâ totam contriuit hyemen. Stephanus Hungariæ Rex Leges condit capp. 55. distinctas, quas vide apud Inchoferum.

Anno Christi MXVII. *Robertus anno regni* 30. *Mon.* 21. *in festo Pentecostes die* 9. *Iunij ascitu Francorum Primoribus, Regio in Compendio coronam, vt decreuerat, ex more à Pontificibus fecit Hugoni primogenito suo imponi, vt ait Glaber lib.* 3. *cap.* 9. *in quo loco, pro decennis legendum arbitror pag.* 36. *Tomi IV. Historicorum Franciæ octodecennis: falsa enim alioquin essent, quæ alibi de eius ætate pronuntiat. Eamdem coronationem referunt quoque Helgaldus pag.* 69. *& alij Chronologi. Baronius ex corrupto haud dubiè eiusdem Glabri textu lib.* 3. *cap.* 8. *detectam hoc anno docuit in Aurelianensi vrbe Manichæorum hæresim, de qua dicemus anno* 1022. *Obierunt Iuditha Comitissa Normannorum, ex Chronico Rothomagensi pag.* 366. *& Raimundus Barcinonensis Comes filius Borelli Comitis, ex Chronico S. Victoris Massilienſis pag.* 339. *Nouæ Bibliothecæ. Extant Roberti Regis optimi, & Fulberti Carnotensis Ep. mutuæ Epistolæ de portento mirabili, quod hoc anno, vt volunt, tribus diebus ante solemnitatem S. Ioannis Baptistæ in quibusdam Aquitaniæ partibus contigit iuxta plagam maritimam: pluisse nimirum, verba sunt Epistolæ Regiæ, talis naturæ sanguinem, vt cùm fortuitu cadebat super carnem hominis, aut super vestimentum, aut super petram, non posset auferri lauando. Si verò cadebat super lignum tum benè lauabatur. Addit petiisse Guillelmum Comitem Pictauiensem, vt requireret à sui regni sapientibus, quid hoc portentum significaret. Quare consultus respondit Fulbertus ep. quæ est* 96. *inter editas, quam etiam reperies cum aliis pluribus Tomo IV. Duchesnianæ Collectionis. Godefridus Improlis dictus Dux Inferioris Lotharingiæ Gerardum Comitem Conradi Salici auunculum prælio vincit, vt docet Hermannus. Cometa teste Sigeberto solito mirabilior in modum trabis maximæ per* 4. *menses apparuit.* Henricus Imperator rur-

sum cum exercitu Poloniam intrauit, ex Chron. Hildensheimensi. De Iudæorum scelere qui Romæ nacti imaginem Crucifixi Saluatoris in Parasceue Paschali, eam, vt maiores olim ipsum Christum flagellarunt, crucíque affixerunt, ac de eorum supplicio, & terræ motu consule Baronium: vt Scylitzam, Cedrenum, similésque Græcos de reditu Basilij ex Bulgaria C P. de morte Ioannis in obsidione Dyrrachiensi, cùm annis duobus præfuisset, de subactis à Basilio Bulgaris, & Regum illorum thesauris in milites distributis, *&c.* Canutus Anglorum Danorúmque Rex coronatus est ad annos 20. Emmam Edelredi viduam ducit vxorem, & Angliam in quatuor partes diuidit, vt docent Rogerius, Malmesb. Gemetic. aliíque.

Anno Christi M XVIII. *Roberti Regis* 31. *Monarchæ* 22. *Hugonis filij eius primo, Pictauensis, Beluacensis, aliæque ciuitates incendio flagrant. Theodericus III. Hollandiæ Comes filius Arnulfi Gandauensis, cùm Frisones in vindictam patris sui ab eis occisi debellaret, missus est aduersus eum ab Imperatore exercitus, consertóque prælio in vico Merwed dicto prope Dordracum, repentè voce, ne citur vnde emissa, Fugite, fugite, cunctis fugientibus, multi à paucis Frisonibus perimuntur. Godefridus Improlis Dux Lotharingiæ capitur, móxque impetrata Frisonibus ab Imp. totius iniustitiæ impunitate, demittitur. In eadem expeditione cum eo erant Baldricus Leodiensis Ep. cui paulo pòst mortuo successit Vulbodo, à quo Monasterium S. Iacobi perfectum. Adelbodus Vltraiectinus, Heribertus Coloniensis, aliíque, de quibus consule Sigebertum in Chronico, Baldricum lib. 3. cap. 19. & Leodienses Historias, Henricus Imp. Aquisgrani Collegium Canonicorum S. Adalberti fundat, & petentibus Gerardo I. Cameracensi Ep. ac Ragnero IV. Hannoniæ Comite possessiones Abbatiæ S. Gisleni confirmat, tabulis Nouiomagi datis, quas in Notitia Miræi reperies cap.* 80. Obiit Kalendis Decembris Ditmarus Merseburgensis Episcopus ætatis anno 41. cuius Chronicon in lib. 7. distinctum desinit in hunc annum. Canutus Daniam aduersus Suecos, Boleslaus Poloniam aduersus Iaroslaum Russorum Ducem auxilio Saxonum ab Imp. Henrico submissorum defendit. Henricus Marchio Baioariæ, Austriæ Ducem quidam appellant cum Cuspiniano, subitanea morte præuentus obiit, inquit Auctor Chronici Hildensheimensis. Successit filius Albertus, quem Austriam ab Hungaris occupatam recuperasse volunt. De Nor-

mannis aduerſus Græcos in Apulia, & Calabria decertantibus dictum eſt ante biennium. Tu, ſi placet, adi Libros quinque Guillelmi Apulienſis huius temporis Poëtæ atque Hiſtorici non vulgaris.

Anno Chriſti MXIX. *Roberti Regis* 32. *Monarchæ* 23. *Hugonis filij eius* 2. *Carnotum, Rothomagus, aliæque vrbes exuſtæ, necnon caſtrum Corboili, ex Chronico Antiſſiodorenſi pag.* 292. *Nouæ Bibliothecæ. Diploma Regium pro Abbatia Latiniacenſi ad Matronam vulgauimus pag.* 591. *Tomi I. noſtrorum Miſcellaneorum, cui ſubſcripſiſſe Balduinum ſubcancellarium vice Arnulſi Archiepiſcopi Remenſis primíque Cancellarij iam aliàs notauimus, vt refellatur eorum ſententia, qui iam à pluribus annis Arnulfum ad ſuperos tranſiiſſe docuerunt. Aliud Diploma dabit Leodienſis Collectio, in quo Hugonis Roberti filij annus* 3. *pro ſecundo irrepſit* 16. *Kal. Maij*, &c. Conradus Conradi quondam Ducis filius auxiliante patruele ſuo Conrado poſtea Imperatore Adalberonem tunc Carentaniæ Ducem commiſſo apud Vlmam prœlio victum fugat, ex Hermanni Contracti Chronico. Hildensheimenſe verò refert Henricum Imp. exercitum mouiſſe contra Bernardum Ducem ad caſtrum Scalcaburg, ibíque omnia in pace conſtituiſſe, tum in Paſcha Benedictum Papam de Roma venientem Bambergæ hoſpitio ſuſcepiſſe. De dedicatione Bambergenſis Epiſcopatus, quem Henricus Romanæ donauit Eccleſiæ, & conſtituto annuo cenſu vnius optimi equi albi, cum ornamentis ac phaleris, & centum marcarum argenti, ac dato pro Bamberga ab Henrico III. Beneuentano Principatu, ſimilibuſq; eodem pertinentibus conſule Baronium ex Chronico Caſſinenſi aliiſque antiquitatis monumentis pro more ſuo fuſiùs omnia ediſſerentem. Vulgò tamen, vt id obiter dicam, *Leodij* celebraſſe Paſcha dicitur Henricus Imp. qui Hamerſtemij Natalem Domini egit. Babo Abenſpergenſis Baro hoc tempore vixiſſe perhibetur, qui ex legitimis duabus vxoribus ſuſcepit 32. filios & filias 8. teſte Beato Rhenano. Libellum S. Stephani Paræneticum ad Emericum Ducem filium ſuum prudentiæ Chriſtianæ regulis tanquam clariſſimis ſideribus radiantem edidit in Annalibus Eccleſiaſticis Hungariæ noſter Melchior Inchoferus. Sergio Patriarchæ Conſtantinopolitano ſuccedit Euſtathius ad an. 6. dum Baſilius ex Bulgariâ reuerſus expeditionem aduerſus Saracenos meditatur. De Marochienſi

regno in Africa sub primo Rege Iosepho inchoato plura Leo Africanus.

Anno Christi MXX. *Roberti Regis* 33. *Monarchæ* 24. *Hugonis* 3. *Monasterium S. Nicolai Kal. Decembris apud Andegauos dedicatum est sub Huberto Ep. & Fulcone Nerrâ Comite, vt docent Kalendarium S. Sergij, & Chronicon Malleacense, aliáque. De Ricardo II. Normanniæ Duce plura Albericus. Hoc circiter anno celebratum creditur præsente Rege Roberto, & Archiepiscopis Gauzlino Bituricensi & Leotherico Senonensi Concilium apud villam Airiacum siue Ayreyas in pago Antissiodorensi, in quo statuta sunt multa Ecclesiarum statui profutura: vbi de singulis locis, inquit Robertus S. Mariani Monachus, pro more illius æui delata sunt Sanctorum Martyrum Confessorum, & Virginum pretiosa pignora,* &c. *De eodem vide Historiam S. Berchárij Deruensis Abbatis in Promptuario Trecensium Antiquitatum Nicolai Camusatij, & pag.* 145. *Tomi IV. Historicorum Franciæ.* Benedictus Papa inuitatus ab Imp. Bambergam hoc demum anno venisse dicendus est, siquidem Aprilis 14. die feria 5. in Cœna Domini (Pascha incidit in diem 17. eiusdem mensis Literâ Dominicali B.) S. Stephani basilicam dedicarit, ex Mariano Scoto, & Hermanno, qui se hoc anno ad scholas missum tradit in Chronico ab Henrico Canisio vulgato Tomo I. Ant. Lectionis. Quare in Sigeberti Chronico legendum arbitror, Benedictus Papa in Germaniam ad Henricum Imp. venit. Idem duo annotat. I. *Rodulfum Regem Burgundiæ insolentiis Burgundionum irritatum regnum Burgundiæ Henrico Imp. darè tractauisse: sed eum ab hac intentione reuocasse simulatam Burgundionum satisfactionem. II. ex MS. Lipsiensi secundam incursionem hostilis exercitus Henrici Regis in Gandauum Nonis Augusti. Vvlbodo Leodiensis Episcopus obiit* 11. *Kal. Maij feria* 5. *mense Episcopatus sui* 30. *cui Sigebertus anno sequenti dumtaxat successorem assignat Durandum, quem quasi fabulam in mundo fuisse asserit, quòd vir ex humillimo & pauperrimo seruilis conditionis genere, dominis suis carnalibus dominabatur. De eo vide Chapeauillam, Baronium, Miræum,* &c. vt de Bernone Augiæ Maioris Abbate doctissimo Trithemium, ac de Capuani Principis ad Græcos defectione, eorúmque rebus in Italia prosperis Sigonium aliósque.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MXXI. *Roberti Regis* 34. *Monarchæ* 25. *Hugonis* 4. *obiit Vvisfredus Abbas, & restaurator eo-*

nobij S. Victoris Massilienſis, vt docet eiuſdem loci Chronicon ad Cyclos Paſchales pag. 339. Nouæ Bibliothecæ. Henricus Imp. Coloniæ natalem Domini celebrans, inquit Sigebertus, S. Heribertum Archiepiſcopum olim à ſe iniuriosè tractatum humili ſatisfactione placat, cui reconciliatus Arch. prædixit ſe propediem morituum, & non multò poſt mortuus (die 16. Martij; ideóque anno ſequenti, quod ex Ruperto Tuitienſi Abbate in vita eiuſdem Heriberti Tomo III. Surij, aliíſque colligimus) Piligrinus ſiue Pilegrinus ei in Epiſcopatu ſuccedit. Chronicon Hildensheimenſe poſtquam monuit Imp. Regeneſburgi ſeu Ratiſponæ feriaſſe Incarnationem Domini, ſubdit ingentem terræ motum in Baioariæ partibus 4. Idus Maij, hora 10. feria 6. poſt Aſcenſionem Domini contigiſſe, qui omnes characteres in hunc annum belliſſimè quadrant. Addunt alij Imp. Comitiis celebratis Quidlinburgum abiiſſe, & præſentem adfuiſſe cum Epiſcopis dedicationi Epiſcopatus die 24. Septembris Dominica. Erchambaldo Archiep. Moguntino ſuccedit Aribo.

Anno Chriſti MXXII. *Roberti Regis* 35. *Monarchæ* 26. *Hugonis filij eius* 5. *in Aurelianenſi vrbe detecta ſimul atque extincta eſt ſtudio Roberti Regis ac Conſtantiæ Reginæ Manichæorum hæreſis. Annum diſertè exhibent non ſolum diplomata Miciacenſis S. Maximini Abbatiæ data Indictione* 5. *quando Stephanus Hæreſiarches, & complices eius damnati ſunt, & arſi Aurelianis, &c. quorum meminimus in Chronico Technico, ſed etiam Antiſſiodorenſe breue Chronicon editum pag.* 292. *Nouæ Bibliothecæ: Aurelianis igne cremantur Clerici diabolica ſuggeſtione à fide Catholica exorbitantes effecti, ac ſi denuò Manichæi hæretici. Rem omnem pluribus narrant cum Glaber lib.* 3. *cap.* 8. *vbi pro Tertio de vigeſimo infra iam dictum milleſimum, (quod Baronium & pleróſque alios in fraudem impulit, vt ad annum* 1017. *reuocarent) legendum Secundo, & vigeſimo reperta eſt apud Aurelianenſem vrbem cruda nimium atque inſolens hæreſis, &c. tum præcipuè Anonymus quidam in Cartulario Abbatiæ S. Petri in Valle prope Carnotenſem vrbem, qui Liber Aganonis vulgò dicitur, cuius fragmentum editum vide cum fragmento epiſtolæ Ioannis Monachi Floriacenſis ad Oliuam Abbatem Auſanenſem pag.* 562. *Partis II. noſtrorum Miſcellaneorum, & Tomo II. Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ pag.* 1087. *Editionis anni* 1651. *quò Lectorem amandamus, neque enim omnia hæc, quamuis ad Hiſtoriam horum temporum perneceſſaria, vacat exſcribere,*

neque id patitur præscripta nobis breuitas. De Vicecomite Marciliacensi, Guillelmo, eiusque fratribus Odolrico & Alduino, quem alij duo excæcarunt, &c. plura Ademarus Chabanensis, & de Rogerij Cantoris, Aldeberti Armarij, & Hugonis Abbatis S. Martialis, cui suffectus est Odolricus, felici ad superos migratione. Aquisgrani conuentu Regali, & Synodali per aliquot dies celebrato, tanta siccitas, & intemperies aëris incanduit, vt multi præ nimio ardore deficerent, pauimento & marmoreis columnis tanto madore sudantibus, vt aqua esse respersa crederetur à nescientibus, inquit Sigebertus. S. Henricus Imperator tendit in Italiam cum copioso exercitu. S. Romualdum in Sytriæ montibus cum Monachis suis vni Deo vacantem accersit, cum eóque collocutus Græcos fugat, Beneuentum, Troiam, Neapolim, Capuam, Salernum, aliásque vrbes in deditionem accipit, & Normannis, quorum auxilio ac virtute egregia facinora fuerant ab aliquot annis aduersus eosdem Græcos patrata, territorium quoddam in illo tractu concessit. Inde per vrbem transiens victor in Germaniam anno seq. rediit. Abbas Cassinensis naue conscensa fugiens ad Imperatorem Basilium naufragio cum suis periit: Princeps Capuanus, qui cum Abbate illo fœdus cum Græcis inierat, captiuus deductus est in Germaniam, substituto Pandulfo. Vide Glabrum, lib. 3. cap. 1. Leonem Cassin. Hermannum, *&c.* neque tamen fidem merentur, quæ Itali quidam finxerunt occasione sanati precibus sancti Benedicti in Cassino monte ægrotantis Imp. Henrici, *vt veritatem Translationis reliquiarum eiusdem sancti Monachorum Patriarchæ in Gallias ad Floriacense cœnobium, quoquo modo infirmare viderentur: vt præter Carolum Sausseium in Annalibus Aurelianensibus, Miletus, Menardus, aliique Benedictini Galli egregiè docuerunt.* Basilius Cherbatorum gentem sibi subiicit, Siruicóque potitur arte Diogenis ex Cedreno, *&c.* Ferdinandus regnum occupat Garsiæ fratris Nauarræ Regis, vide Vasæum, Marianam, aliósque. Dani domita Anglia Scotiam inuadunt, ac repetitis prœliis à Rege Milcolumbo vincuntur tantâ clade, vt Scotia dicta sit Danorum sepulcrum, si quæ fides Hectori, Lesiæo, ac similibus Scotorum Historicis. Guidonem Aretinum Musicum insignem annum ætatis 28. agentem hac æstate volunt ad Papam Benedictum eius vocatu venisse. De Polonis nobilibus, qui seditionem aduersus Episcopos mouerant à Bo-

lezlao repreſſis, & de Concilio Salingſtadienſi præſide Aribone Moguntino die 13. Auguſti celebrato, adi Baronium, Binium, *&c.* Notkerus Magiſter, & alij præſtantes fratres apud S. Gallum obierunt, inquit Hermannus.

Anno Chriſti MXXIII. *Roberti Regis 36. Monarchæ 27. Hugonis 6. Arnulfus Remenſis Archiepiſcopus Lotharij Regis filius, quem plerique anno 1009. perperam ſcripſerunt fuiſſe defunctum, obiit die Martij 5. ex S. Remigij Cartulario, Alberici Monachi Trium fontium Chronico, aliiſque. Succeſſit Ebalus Comes de Roccio annus 12.* Eclipſim Sol paſſus eſt circa horam 6. die 24. Ianuarij, cuius meminit Ademarus Chabanenſis in Chronico, qui etiam addit Lunam frequentius laborem paſſam, nunc ſanguineam, nunc cæruleam, duas quoque ſtellas viſas fuiſſe in ſigno Leonis inter ſe pugnare per totum Autumnum, *&c.* Troiæ ciuitatis in Apuliâ expugnationem atque Henrici Imp. in partes Tranſalpinas reditum meritò tribuemus, authoribus Glabro, Hepidanno, *&c.* quare cenſemus non Ianuario menſe, cuius die 24. verè contigit Eclipſis Solis, contra quam ſcripſit Sigebertus, qui in Paſcha poſuit, niſi fortè legendum, Ante Paſcha, ſed verno æſtiuoue tempore conueniſſe *apud Euoſium Reges Henricum atque Robertum*, reiicimúſque coniecturam Caluiſij, qui erranti Sigeberto nimiùm videtur fuiſſe credulus: cuius hæc ſunt congeſta illa verba: *Henricus Imp. & Rotbertus Rex Francorum ſuper Charum fluuium apud Euoſium conueniunt, de ſtatu Eccleſiæ Regni, & Imperij tractaturi: & condicto, vt ſuper his confirmandis etiam Papam Romanum ſimul ambo Papiæ opportunè conuenirent. Imperator Regem & ſuos, multos etiam, qui tantùm ad demirandam Imperatoriam maieſtatem conuenerant, tanta liberalitate donauit, vt opibus Regum Perſarum aut Arabum poſſet comparari eius munificentia. Hæc ille, quæ prolixiùs diſtinctiúſque referuntur à Glabro Radulfo lib. 3. cap. 2. I. enim ait ſuper Moſam fluuium conueniſſe, qui limes eſt vtriuſque regni, Francici ſcilicet, & Lotharienſis. II. Imperatorem primo mane tranſiiſſe cum paucis ad Regem Francorum, nimióque amplexu ſemet deoſculantes, ſacramentíſque Miſſarum decenter ab Epiſcopis in conſpectu illorum celebratis prandere vtriſque ſimul congruiſſe. III. expleto prandio à Roberto oblata munera Henrico, ex quibus tantùm librum Euangelij auro, & lapidibus pretioſis inſertum cum Phylacterio continente dentem S. Vincentij Leuitæ & Martyris, elegerit: vxor verò illius pares auri tantùm naues*

accepit.

accepit. IV. sequenti die Robertum cum Episcopis ad Imp. tentoria transiisse, & ex muneribus ab eo oblatis pares tantùm auri naues sumpsisse. V. firmato pacto amicitiæ vtrumque ad propria rediisse. Interfuerat paullo antea Synodo Aquisgrani habitæ Imperator, in qua memorantur Piligrinus Arch. Colonienſis, Durandus Leodienſis, & Gerardus I. Cameracenſis Præſules, Godefridus Improlis Lotharingiæ Inferioris Dux, &c. Vide Baldricum lib. 3. Chronici capp. 35. & ſeqq. Inde Virdunum ac Metas ſe contulit Henricus, eodémque præſente celebratum dicitur Moguntiæ Concilium, imò & Cathedralis S. Martini apud Vltraiectum Baſilica die 26. Iunij à 12. Epiſcopis coram eo conſecrata ex Chronico illius vrbis, cuius Epiſcopus Adelbodus Drentam prouinciam ſuæ Eccleſiæ acquiſiuit. Pactum Societatis inter Beluacenſes Clericos & Monachos S. Vedaſti Atrebatenſis edidit Miræus cap. 81. Notitiæ. Obiit Hugo Archiep. Turonenſium 4. Idus Maij, cui ſucceſſit Arnulfus nepos eius 7. Kal. Dec. ex Chronicis Malleacenſi MS. & Andegauenſi pag. 286. N. B. Wernherus Argentinenſium Epiſcopus Radebotonis Altemburgici germanus caſtrum Habſpurgum ab accipitre dictum condidit, moriénſque an. 1029. hæredem reliquit Wernherum I. Radebotonis filium. Hepidannus aſſerit cum aliis multis obiiſſe Notkerum, quem vocat hominum ſuæ memoriæ doctiſſimum, & benigniſſimum, de quo an. ſup. ex Hermanno.

Anno Chriſti MXXIV. *Roberti Regis 37. Monarchæ 28. Hugonis 7. Godefridus Improlis dictus, Lotharingiæ Inferioris Dux obiit paullò ante mortem S. Henrici, non anno 1019. aut 1023. vt alij, auctore Sigeberto ex MS. Lipſiano, Alberico, &c. In eius locum ab Imp. ſuffectus dicitur à quibuſdam Gozelo ſeu Gothelo Magnus dictus Antuerpienſis Marchio, & vtriuſque demum Lotharingiæ Dux poſt mortem Theoderici I. Friderici I. filij. Sed de Lotharienſium Ducum ſerie, & nos & alij plura enucleatius ſuo tempore expendenda.* Benedictus Papa obiit die 27. Februarij, cùm ſediſſet decem vndecimve annis. Suffectus eſt die 30. Aprilis, vel vt alij 19. Ioannes XX. vel XIX. vt quibuſdam vocatur, frater Benedicti, ac filius Gregorij Comitis Tuſculani. De iis videndi Petrus Damiani in vita S. Odilonis, & in epiſtola ad Nicolaum II. Pontificem, Leo Oſtienſis lib. 2. capp. 27. & 58. Glaber lib. 4. cap. 1. & Hugo Flauiniacenſis pag. 172. Nouæ Bibl. qui etiam referunt epiſtolam S. Willelmi Diuionenſis Abbatis ad Pontificem aduerſus Græcos Primatum affectantes: quam etiam in rem conſulen-

dus Baronius,& de cruciatibus Benedicti post obitum. S. Henricus Imp. cùm Natalem Domini Bambergæ, Pascha Parthenopoli, & Pentecosten Goslariæ celebrasset, postea Grunam venit, ibíque, alij Groningam scribunt, prope Halberstadium languore correptus decubuit, & cum totius regni mœrore die 13. Iulij, cùm annis 22. hebdomadis 5. & die vno regnasset, inquit Chr. Hildensh. vel potius an. 23. m. 5. & dies 16. imperasset verò annos decem, & quinque menses vno die minus, sícque restituendum in Chr. Tech. Moriens commendasse amicis dicitur S. Cunegundem, Recipite, inquiens, quam mihi tradidistis virginem vestram. Bambergæ sepultus in Templo S. Petri quod exædificarat. De successore consulentibus Principibus designasse fertur Cunonem, seu Chuonradum è Franconia Ducem Vormacienſem, virum Regij Sanguinis, Henrici Ducis, & Adheleidæ filium, egregiæ libertatis, quippe qui numquam se submiserat alicui seruituti, inquit Sigebertus: qui etiam addit: Cononem Ducem præpotentem, cùm ad Imperium aspirare vellet repudiatum fuisse instinctu Aribonis Moguntini Arch. & aliquorum regni Primatum. Conradus verò die 8. mensis Sept. Moguntiæ Rex Germanorum consecratus est: eius verò vxor Gisala à Pelegrino Archiep. Colonienſi 11. vel vt alij pridie Kal. Octob. benedicta. Extat datum Durando Legiæ Episcopo priuilegium à Conrado die 6. Nonas Octobris an. 1. regni sui Ind. 8. Sed de his plura Glaber (qui in Præf. l. 4. multa de Conrado refert scitu digna ipsis indicta Germanis) Wippo, Hermannus, Marian. Lamb. Otho Frisingæ Ep. Chr. Hildensh. *&c. Italos post Henrici Imp. obitum Hugoni Regi Roberti filio obtulisse coronam sceptrumque Langobardiæ discimus ex Glabro lib. 3. cap. 9. Huiusmodi fama vbique Prouinciarum penitus peroptabatur à multis, præcipuè ab Italicis, vt sibi imperaret, in Imperium sublimari; & paullo post in Nænia Iambicis versibus decurrente.*

Omnis quem prona poscebat Italia
Cæsar vt iura promeret Regalia.

Girardus quoque Aurelianenſis in Epitaphio eiusdem:

Celtiberi lacrymant, te Regem Roma petebat, &c.

Ademari Chabanenſis Breuiator auctor est Langobardos auditâ morte Henrici palatium, quod in Papiâ ædificauerat, destruxisse, & iugum Imperatorium à se excutere volentes Guillelmum Aquitaniæ Ducem super se Regem erigere sategisse, cúmque cognita eorum perfidia tantam

dignitatem prudenter recusasset, ad Hugonem primogenitum Roberti Regis se conuertisse, quia Robertus ex Adelaide Itala natus esset. Addit Giraldo Episcopo Lemouicensi apud Carosum mortuo sepultóque decertasse Principes ciuitatis pro Episcopatu, Guillelmum verò Ducem suasu Guillemi Engolismensis sui Consiliarij placitum suum apud S. Viuianum habuisse, ibique Iordanum Ecclesiæ S. Leonardi Præpositum Episcopum Lemouicæ eligi atque ordinari fecisse. Archiepiscopum verò Bituricensem Gauzlinum (ad cuius diœcesim Lemouica pertinet) quia sine sua auctoritate consecratus fuerat Iordanus, totum Lemouicum excommunicasse, præter locum S. Martialis, ipsúmque Episcopum ab officio suo prohibuisse, qui satisfacere suo volens Archiepiscopo, nudis pedibus cum centum Clericis, & Monachis, omnibus similiter pedibus nudis Bituricam sedem adiisse, vbi absolutus est ab excommunicatione, & totum territorium Lemouicense simul. Sed hæc ad anteriora tempora pertinere, & an. circiter 1020. series narrationis edocet, quam integram suo tempore, si Deus voluerit, exhibebimus.

Anno Christi MXXV. *Roberti Regis* 38. *Monarchæ* 29. *Hugonis* 8. *obiit Odo seu potius Guido Lemouicensis Vicecomes* 6. *Kalendas Nouembris apud S. Martialem Lemouicis sepultus, inquit Auctor Chronici Aquitanici pag.* 292. *Nouæ Bibliothecæ. Addit Ademarus Chabanensis successisse ei filium Ademarum intercessione Guillelmi Comitis Engolismensis apud Guillelmum Ducem Aquitaniæ, pag. vero* 286. *hæc Monachus quidam Andegauensis seu Vindocinensis scripsit: Robertus Rex, imò Regina eius Constantia, pacem fecerunt cum Carnotensium Comite Odone, & Fulconem Andecauorum Comitem solum reliquerunt in guerra, quam cum illis & pro ipsis sumptam gerebat. Odo itaque Montis-Budelli castellum, quod à decennio contra ciuitatem Turonicam firmauerat Fulco, obsedit, & turrem ligneam miræ altitudinis super dongionem ipsius castri erexit, sed infelici successu, vt dicemus anno seq. Obiit Vvillelmus Monachus filius Richardi Comitis, ex Chronico Rotomagensi pag.* 366. *eiusdem Bibliothecæ. Caput S. Ioannis Baptistæ in basilica Angeriacensis cœnobij in theca saxeâ repertum à Rege Roberto, à Sancio Rege Nauarræ, Sancio Duce Vasconiæ, & aliis multis Principibus adoratur, inquit idem qui supra Ademarus Chabanensis, quam in rem ex variis plura collegit diligentissimus Ioannes Beslyus in Historia Comitum Pictauensium. Ansanum Concilium in Ecclesia S. Romani habitum à tribus Archiepiscopis, & 9. Episcopis in quo aduersus S. Odilonem priuilegio Pontificio munitum conquerente Gausleno Matisconensi Ep. iudicatum fuit non licuisse Burcardo Arch. Vien-*

nenſi apud Cluniacum Monachos ordinare ſine permiſſu ciuſdem Ep. Matiſconenſis. Rebellio excitatur contra Conradum Regem à patruele eius Conrado Conradi Ducis & Mathildæ filio, Erneſto Duce Alemaniæ, aliiſque ex Hermanno; Hepidannus tamen, ſi quidem mendo vacet, in an. ſeq. videtur differre: Sæuæ, inquit, contentionis fomes exarſit in ſacroſancto die Paſchali apud Vindelicam Auguſtam inter Conradum Regem, & patruelem eius Conradum. Cui etiam Erneſt conſobrinus eius Dux Alamanniæ, & Welffardus Comes poſtea confœderati ſimul Regi rebellare ſunt auſi. Itali quoque, ſaltem Ticinenſes, vt ex Wippone diſces, turbas concitarunt. *Durando Leodienſi Præſuli 6. Kal. Febr. à Vulfodone, vt volunt, percuſſo, ſucceſſit Raginardus, qui Leodij in monte publico cœnobium S. Laurentij inſtituit, eique Stephanum Abbatem primum præfecit, teſte Sigeberto: alij per Simoniam ordinatum volunt.* S. Cunegundis Auguſta die 13. Iulij vitam profitetur monaſticam, vt docet Auctor vitæ eius apud Surium die 3. Martij Nonnoſius Monachus. Boleſlao primo Poloniæ Regi, quem Chobri id eſt virum altæ atque heroïcæ virtutis appellant, cùm annos 57. vixiſſet & 25. regnaſſet, mortuo die 3. Aprilis, ſuccedit Micillaus filius cum vxore in feſto Pentecoſtes in Regem coronatus. Baſilius Imp. C P. Bulgaroctonus dictus obiit menſe Decembri inchoata 9. Indictione, poſtquàm imperaſſet annis 50. vixiſſet 72. Conſtantinus eius frater ad tres annos ſuperſtes fuit, & Nicephorum præſtantiſſimum Ducem excæcauit, reipublicæ prorſus inutilis. Vide Curop. Cedrenum, Zonaram, *&c.* Menſe præcedenti Euſtathius Patriarcha migrarat è vitâ, cui ſuffectus eſt Alexius ad annos 18. cum tribus menſibus. *Eo quoque tempore, vt docet Chronicon Malleacenſe, fuit Concilium factum Pictauis de fide Catholica, Rege Roberto concedente vt per omnes ciuitates fierent Concilia. Inter cetera ergo accidit, vt in Pictaua vrbe Concilium ageretur Duce Vuillelmo, & Iſemberto vrbis ipſius Ep. Iordano Lemouicenſi, Arnaldo Petracoricenſi,* &c. *Statuerunt vt ſi quis homo res ſanctæ Dei Eccleſiæ fraudulenter ac violenter poſſederit aut iniuſtè rapuerit, cum ſummo ſtudio reſtitueret, & vt terras Monachorum integras liberáſque perſoluerent.*

Anno Chriſti MXXVI. *Robertus anno regni* 39. *Monarchiæ* 30. *ſi quæ Sigeberto fides, ad inuadendam Lotharingiam animum intendit, ſed citò ab hoc conatu deſtitit, Gothelone Duce, qui propter priuatum*

odium grauabat regnum Conradi, & aliis Principibus ad pacis vnitatem adductus. Idem Robertus, ex veteri Chronico citato à Ioanne Beslyo pag. 55. Romam causa deuotionis, & peregrinationis profectus dicitur. Hugo verò filius eius primogenitus, & Rex iam ab anno 1017. coronatus, die 17. Septembris obiit, annos natus 28. vt disertè Glaber libri 3. cap. 9. hisce versibus.

Annis florebat mundo iuuenilibus
Terdenis minus excreuerat duobus
Regnorum lumen Hugo Regum maximus, &c.
Leone presso Virgo solem ceperat
Tua cùm dirus membra pallor occupat.
Denis diebus sorte fit lux septima
Te patri fama perdidisse nunciat, &c.

In eadem verò qua primitus coronatus fuerat Ecclesia B. Martyris Cornelij Regio in Compendio est sepultus. Odone Carnotensi Comite frustra Montis-Budelli castellum obsidente, interim Fulco Andecauorum Comes Salmurum oppidum ad Ligerim situm, quod Odo in Andecauensi pago habebat, cepit, Gelduinúmque fugauit: & machina illa, quam idem Odo extruxerat, noctu super eos, qui vigilias exercebant, repente corruit, multósque milites contriuit. Plura dabunt Chronica Andegauensia, S. Michaëlis in periculo maris, & Malleacense, quod addit Fredericum Abbatem quarto anno ordinationis suæ & fratres, qui cum eo erant, rapuisse de mediis ignibus libros, & quædam ornamenta Ecclesiastica, acceptóque corpore S. Florentij ceterísque reliquiis perrexisse ad Ecclesiam S. Hilarij, ibíque per aliquot annos in paruis tuguriis more hospitum degentes Ecclesiam nouam ædificare cœpisse. Quæ cùm perfecta fuisset, conuocatis Episcopis, quos recenset, postea dedicata est Idibus Octobris. Incensum Floriacense S. Benedicti ad Ligerim cœnobium 3. Kal. Augusti sabbato, sub Gauzlino Abbate, & Arch. Bituricensi post biennium instauratum fuisse dicitur cum omnibus officiis, & Ecclesia S. Petri pag. 356. Tomi III. Coll. Ducheſnianæ, & fusiùs pag. 96. Tomi IV. quam consule. Obiit Ricardus II. Gunnorides dictus Normannorum Dux anno Ducatus 30. qui se iussit sepeliri ante ostium Fiscani, de quo consule Gemeticensem, Ordericum, Rogerium, Albericum, Chronica Fiscanense, Rotomagense, &c. Hic Richardus, inquit Anonymus pag. 360. Tomi III. Ducheſniani, è Iuditha filia Conani Comitis Britanniæ habuit duos filios Ricardum III. qui vno anno post patrem vixit, & Robertum, qui dicitur veneno necasse Ricardum fratrem suum. Quare anno Ducatus sui 7. nudipes Ierusalem abiit, & in Bi-

thynia obiit. Robertus verò genuit Guillelmum ex concubina. Hæc ille. Mortuo Godefrido III. huius nominis Lotharingiæ inferioris Duce Ardennensi dicto successit Gozelo frater ad plures annos. Burcardus Vormacienſis Ep. qui XX. Decretorum libros concinnauit defunctus eſt. Hunc cùm inuiſiſſet Conradus Rex Germaniæ, Baſileam occupaſſet, & Burgundiæ Regem Radulfum itineris comitem haberet, Italiam circa vernum tempus ingreſſus, ac Paſchate Vercellis celebrato, totam fere cis Romam ſubiugauit, ſola Lucenſi vrbe reſiſtente cum Reginhero Marchione, ex Hermanno, Hepidanno, Wippone. Canutus Daniæ atque Angliæ Rex Noruegiam inuadit, eiecto Olao, qui cùm regnum recuperare vellet à ſuis interemptus, teſte Rogerio. Græcorum claſſis Saracenos Cycladum Inſularum inuaſores debellat eorúmque naues 12. cum omni apparatu capit.

Anno Chriſti MXXVII. *Roberti Regis* 40. *Monarchiæ* 31. *Adela eius & Conſtantiæ filia nubit Balduino Inſulano Barbati filio. Sunt qui ex Meyero à palatinis triclinijs ad domum propriam à Balduino velint in cunis aſportatam donec adoleſceret. Radeboto Habſpurgicus, vnde tota Auſtriacorum perilluſtris familia prodiit, obiit* 9. *Kal. Aprilis ipſo Paraſceues die. Obierunt pariter Fridericus II. Theoderici I. filius Lotharingiæ Superioris Dux, & Adelbodus Ep. Vltraiectinus necnon Otto Villelmus Burgundiæ Comes, & in S. Benigni Eccleſia ſepultus, vt diſces ex Chronicis Bezuenſi, Benigniano & Diuionenſi pag.* 294. *Nouæ Bibl. Odo Comes Carnotenſis hoc anno, quaſi ſuperioris fortunam emendaturus, Ambaſium caſtrum de improuiſo, cùm acturus aliud putaretur, obſedit, habens ſecum Roberti Regis filium Henricum iam Regem factum, ſed tamen ibi quoque diu laborans nihil profecit, defendente oppidum maximè inclyto Clerico Supplicio Caſtellano eius, & S. Martini Theſaurario. Eodem anno ciuitas Turonenſis combuſta eſt, & Alanus Brito Lus, ſiue Luſdum obſidens à Fulcone obſides omnes, quos ei Herbertus dederat, extorſit: ex Chronicis Andegauenſibus pagg.* 281. *&* 287. *Nouæ Bibl. Inde verò & ex quamplurimis diplomatis arguas velim, non ſolùm Caluiſium, & Gordonum, ſed etiam Blondellum, qui inaugurationem Henrici Regis differt in anni ſeq. Iunij* 23. *feria prima, cùm tamen Ioannes Beſlyus pag.* 346. *Hiſtoriæ Pictauienſium Comitum exhibeat chartam hoc fine:* Acta menſe Auguſto in Pictaua ciuitate regnante Rege Roberto anno 40. & primo anno filij ſui Henrici in Regem vncti anno Incarnationis Dominicæ 1027. aliam quoque, vt cæteras prætermit-

tam anno 40. Roberti Henrici primo menſe Februario anno 1028. qui more Gallico adhuc dicebatur 1027. *Glaber lib. 3. c. 9. de ea conſecratione hæc habet :* Poſt Hugonis obitum cœpit iterum idem Rex tractare, quis potiſſimum ex reſiduis filius poſt ſe regnare deberet. Conſtituerat autem ſecundum Burgundiæ Ducem, Henricum nomine, poſt Hugonem natum, ipſúmque decreuit pro fratre in Regnum ſublimare. Sed rurſum mater muliebri animoſitate agitata, tam à patre, quàm à cæteris, qui parti illius fauebant, diſſentit, dicens: Tertium ad regni moderamen præſtantiorem fore filium, qui & Robertus patris nomine cenſebatur. Hoc quippe inter fratres ſeminarium diſcordiæ fuit. Coadunatis denique Rex metropoli Remis regni Primatibus ſtabiliuit Regni coronæ Henricum, quem delegerat, *&c. Remenſis tum erat Archiep. Ebalus, à quo inunctum Regem veriſimillimum eſt.* Conradus Rex poſt Natalem Domini Aquiſgrani celebratum, filiúmque ſuum Henricum adhuc puerum ibidem in regnum ſublimatum, in Italiam abiit, & Romam perueniens à Papa Ioanne XX. Imperiali corona donatus in die ſancto Paſchæ 26. Martij, præſentibus Canuto Danorum, Anglorum, Noruegorúmque Rege, qui Romam orationis cauſa fuerat profectus, Rodulfo vltimo Burgundiæ Tranſiuranæ Rege, aliiſque quamplurimis. Vide Glabrum Præfatione lib. 4. Wipponem, Hermannum, Lambertum, Othonem, Hepidannum, *&c.* qui etiam obſeruant, per Alemanniam reuertentem Vlmæ publicum Conuentum indixiſſe, ibíque Erneſtum Ducem priuignum ſuum, & Wolfardum Comitem, alióſque reos maieſtatis ſeſe dedentes ſuſcepiſſe, ipſóſque per diuerſa loca cuſtodiæ mancipandos deputaſſe, memorántque Gothardum quemdam ſingulos Conradi annos notaſſe. De brachio S. Auguſtini Hipponenſis à Canuto dum Papiâ tranſiret in Angliam delato vide Malmeſburienſem lib. 2. cap. 11. *Florebat hoc tempore,* inquit Sigebertus, *Eccleſiaſtica religio per Abbates nominabiles, in Francia quidem, & Burgundia per Odilonem Cluniacenſem pietate inſignem, per Guillelmum Diuionenſem ſeueritate reuerendum, in Lotharingia per Ricardum Virdunenſem pia grauitate, & graui pietate diſcretum, per Popponem Stabulenſem, per Heliam Colonienſem, per Olbertum, & Stephanum Leodicenſes, & per Bernonem Augienſem, qui in libro de rebus ad Miſſam ſpectantibus teſtatur ſe præſente anno*

1014. *Henricum Imp. quæsiuisse ex Presbyteris Romanis, cur ipsi post Euangelium Symbolum non canerent*, &c. *vnde & eiusdem atas sat innoteſcit.* Alfonſo Legionenſi Rege ex vulnere ſagittæ mortuo die 7. Maij æræ Hiſp. anno 1065. ſucceſſit filius Veremundus ad annos 10. ex Mariana aliiſque. *Sunt qui ad diem 22. Iunij huius anni referant paullò ante ſolemnitatem S. Ioannis pluuiam illam ſanguineam, de quâ monitus à Guillelmo Aquitaniæ Duce Robertus Rex ſcripſit ad Gauzlinum Arch. Bituricenſem fratrem ſuum naturalem, & ad Fulbertum Ep. Carnotenſem. Plura de ea Beſlyus, & nos ſupra an. 1017. ex quorundam ſententia. Vrbs Santonenſis ab impiis Chriſtianis combuſta eſt cum baſilica Cathedrali S. Petri, diúque remanſit locus deſertus, & diuino cultu carens, ex Ademaro, qui etiam narrat Heribertum Cenoman. Comitem dolo captum à Fulcone Andegauenſi Comite, & plura refert de itinere Hieroſolym. Guillelmi Engoliſmenſis Comitis, quod ſuſcepit Kalendis Octobris an. ſup. per Baioariam cum Ebbone Bituricenſi Principe Dolenſi, Ricardo Abbate Virdunenſi, Ricardo Abbate S. Eparchij, aliíſque, & peruenit in ſanctam ciuitatem prima hebdomada menſis Martij, reuerſúſque tertia hebdomada Iunij ad propria diuertit per Lemouicam*, &c. *quorum partem edidimus Parte II. noſtrorum Miſcellaneorum, integram verò narrationem reſeruamus alteri Tomo Nouæ Bibliothecæ, cui Aquitanicæ Hiſtoriæ Scriptores, Deo dante, reſeruamus.* Obiiſſe creditur 19. Iunij huius aut ſup. anni S. Romualdus Anachoreta Camaldulenſium Monachorum pater annos natus 120. quorum 20. in ſæculo, tres in cœnobio, reliquos egit in ſolitudine, vt narrat Petrus Damiani, qui eius præclara geſta conſcripſit.

Anno Chriſti MXXVIII. *Roberti Regis* 41. *Monarchæ* 32. *Henrici eius filij primo, Vuillelmus Engoliſmæ Comes reuerſus ab Hieroſolymis ſortilegiis maleficarum mulierum ſublatus eſt octauo Idus, id eſt ſexto Aprilis in vigilia Oſannæ, ſeu Dominicæ Palmarum, & in cœnobio S. Eparchij Engoliſm. ſepultus eſt, ſuccedente Alduino filio, vt pluribus narrat, qui ad hunc vſque annum aut ſeq. Chron. ſuum perduxit Ademarus Chabanenſis eiuſdem S. Eparchij Monachus (Raynardi illius loci Dynaſtæ filius ex Aldearde, quæ patrem habuit Aynardum qui anno 993. & ſeqq. Bernardi Marchiæ Comitis tutorem Petrum omni ope iuuerat) vbi & de caſtro Blauia capto à Goffredo fratre Alduini, ab eodémque recepto, de Odolrico Abbate ſancti Martialis Lemouicenſis, de Iſamberto Pictauienſi, & Iordano Lemouicenſi Epiſcopis, cum Fulcone Comite Hieroſolymam profectis, de Concilio Epiſcoporum iuſſu*

Guillelmi

Guillelmi Aquitaniæ Ducis apud Carrofum celebrato, ad extinguendas hæreſes, quæ vulgò à Manichæis diſſeminabantur, de morte Siguini Burdegalenſis Archiepiſcopi, cui idem Guillelmus, & Dux Vaſconiæ Sancius apud Blauiam congregato conuentu ſubſtituerunt Goffridum natione Francum, de Rege Nauarræ Sancio, adhibitis ſecum Vaſconibus Saracenos in Hiſpania debellante, de Rege Gallœciano Adelfonſo eoſdem Infideles cum magna infeſtatione depopulato, ictúque ſagittæ cum magno exercitus dolore defuncto: *in quo deſinit MS. noſter Codex. Nam quæ ſequitur Conuentio à nobis vulgata Parte I. Miſcellan. Hiſtor. inter Guill. Aquitaniæ Ducem, & Hugonem Chiliarchum, aliò pertinet. Pridie Idus Iulij monaſterium Charitatis ſanctæ Mariæ apud Andegauos à Fulcone Comite, & Hildegarda vxore fundatum dedicatum fuit ab Huberto Epiſcopo, vt diſcimus ex Andegauenſibus Chronicis & Kalendario ſancti Sergij. Ricardo III. Normannorum Duci non ſine veneni ſuſpicione mortuo, ſuccedit Robertus frater ad ſeptem annos, ex Vvillelmo Gemeticenſi, Orderico, aliíſque Chronographis Normannis. Obiit quoque Landricus Comes Niuernenſis, ſi quæ fides auctori Chronici Vizeliacenſis pag. 396. Nouæ Bibliothecæ. Dedicatio Eccleſiæ Saluatoris mundi, inquit Chron. Lemouicenſe pag. 334. eiuſdem N. B. ab Epiſcopis vndecim Gotfredo Burdeg. Iordano Lemouicenſi, Iſemberto Pictauienſi, Arnoldo Petracorico, Deuſdedit Cadurcenſi, Rohone Engoliſmenſi, Petro Gerundenſi, Aurelio Albienſi, Arnaldo Ruthenenſi, Fulcone Carcaſſonenſi, & Iſlo Santonenſi. Eius dedicationis diem 15. Kalendas Decembres memorat Baronius, ex Gaufredi Monachi Chronico, cuius fragmentum ab amicis fuerat nactus, nos integrum Tomo II. exhibebimus cum Aquitanicis monumentis. Cœnobia ſancti Vvinoci Bergenſis, & Marchianenſe inſtituta dicuntur à Balduino Barbato Flandrorum Comite, & Canonici in Eccleſia Lenſienſi in Atrebatibus collocati, dotante Lamberto Lenſienſi Comite fratre Euſtachij II. Bononienſium Comitis. Henricus Conradi Imperatoris filius Aquiſgrani in ſacro die Paſchæ à Principibus adhuc puer electus iam à biennio, vt alij volunt, à Piligrino Colonienſi Archiepiſcopo inungitur, ex Vvippone, Herm. Hepidanno, aliíſque. Chronicon Hildensheimenſe refert Synodum in Geiſlete celebratam ab Aribone Archiepiſcopo Moguntino.* Conſtantinus Græcorum Imperator, dictus Iunior Porphyrogenitus, obiit die 9. Nouembris, cùm imperaſſet cum fratre Baſilio II. an. 50. & ſolus tribus circiter annis: Succedit Romanus III. cognomine Argyrus, ductâ Zoe ma-

iori natu filia Constantini, & in die Natali Christi Imperator à Patriarcha coronatus. Priorem eius coniugem præcisa sibi coma in monasterium abiisse, ne viro periculum crearetur, narrant Cur. Cedr. Zon. Interim Capuam in Græcorum potestatem venisse pulso Pandulfo Tianensi docent Itali. Hispani verò Cordubense Maurorum in Bætica regnum cessasse morte Principis occupatum ab Almenore Rege Toletano, cui postea Ferdinandus Rex Salmanticam, Matritum, aliásque vrbes bello detraxit. De Guidone Aretino multi inter Musicos nominis, qui sex syllabas Vt, Re, Mi, Fa, So, La, per flexuras digitorum læuæ manus distinxit tam aptè, vt ignaros cantus etiam pueri faciliùs discant, quàm per vocem Magistri, aut per vsum alicuius instrumenti, vide Sigebertum. De S. Olaui Noruegiæ Regis ac Martyris nece die 29. Iulij vide Adamum Bremensem, Saxonem Grammaticum, Ioannem Olaum, cæterósque rerum Septentrionalium Scriptores.

Anno Christi MXXIX. *Roberti Regis* 42. *Monarchæ* 33. *Henrici filij* 2. *Fulbertus Episcopus Carnotensis Ecclesiæ, mirabilis modernorum temporum Doctor, obiit in Domino quarto Nonas Aprilis in Paraſceue Paschæ, quod contigit die 6. eiusdem mensis, sícque conciliandos moneo Chronographos pleróſque, qui eius obitum collocant anno præcedenti* 1028. *scilicet more Gallico. Vide Andegauensia, Dolense,* &c. *cum Kalendario S. Sergij, Carnotensi, aliísque. Robertus Rex iussione Imperatoria hoc anno Christi* 1029. *Indict.* 12. *ordinationis suæ, benedictionis & assumptionis in Regem non* 36. *sed* 42. *euocatis Præsulibus Gauzlino Bituricensi, Leotherico Senonensi, Arnulfo Turonensi, Odolrico Aurelianensi, Theodorico Carnotensi, Bernerio Meldensi, Guarino Beluacensi, Rodulfo Siluanectensi, cum Odilone Abbate Cluniacensi, aliísque Dei ministris, leuandum curauit Aurelianis corpus sancti Aniani, cum corporibus SS. Euspicij, Monitoris, & Flosculi Confessorum, Baudelij & Scubilij Martyrum, & Agiæ matris S. Lupi, & transferendum in Templum nouum, quod ipse ædificauerat, vt prolixâ narratione exponit Helgaldus Monachus, addítque Capellam suam, quam post obitum suum Deo & S. Aniano delegarat, habuisse cappas* 18. *Libros Euangeliorum aureos duos, argenteos duos, cum totidem paruis, & Missali vno transmarino, phylacteriis aureis* 12. *Crucibus aureis tribus, altari vno, signis quinque, ex quibus vni imprimi iussit signum baptismi de oleo & chrismate facti, sicut ordo deposcit Ecclesiasticus, & vt vocaretur Robertus,* &c. *Ibidem mentio fit reliquiarum in Flo-*

riaco monaſterio ſuſceptarum à Gauzlino Abbate ſimul illius cœnobij, ac Bitur. Archiepiſcopo die Kalendarum Octobrium, cuius hoc adtexitur elogium non omittendum: Fulſit ſplendidus mundo Gauzlinus Abbas meritò, ſanctis Deo coniunctus operibus, pollens ſcientia ſpiritali ſimul & humana: in ſanctis eleemoſynis ita largiſſimus, vt ipſe poſitus in fortiſſimis frigoribus à ſe veſtes pellium abiiciens, pauperes Chriſti indueret. Hunc Rex in honoribus ſæculi honorans, attribuit illi honores non minimos, Abbatiam S. Benedicti, quæ eſt Caput totius Ordinis Monaſtici, & Epiſcopatum Bituricenſem ſancti Protomartyris Stephani Principium tenentis totius Aquitaniæ, qui fuit & eſt honor, & decus Franciæ, *&c. Meminit eiuſdem tranſlationis S. Aniani Textus MS. Tranſlationis Reliquiarum S. Euſpicij primi Abbatis Miciacenſis Monaſterij, & diem dedicationis deſignat* 16. *Kalendas Iulij anno regni Roberti* 33. *ab obitu ſcilicet Hugonis Capeti, non à prima coronatione. Vide pag.* 147. *Tomi IV. Collectionis Ducheſnianæ. De Concilio Lemouicenſi vndecim Epiſcoporum, cui ſupra memoratus Gauzlinus præfuit, & de tota controuerſia Apoſtolatus S. Martialis Lemouicenſis Epiſcopi, aliiſque eodem ſpectantibus conſule Baronium, atque ex eo pro more Binium, ſed præcipuè Tomum XXV. Conciliorum Editionis Regiæ, in quo ex codice MS. Bibliothecæ Thuanæ primùm edita ſunt Concilia Lemouicenſe, Bituricenſe, &c. Nam de Bellouacenſi quod Binius cum aliis intruſit aliàs dictum eſt. Tranſlatio verò reliquiarum ipſius S. Martialis facta dicitur* 3. *Aug. Dominicâ.* Raginerus III. Hannonienſis Comes obiit, relictâ filiâ Richilde, quæ marito ſuo Balduino VI. Flandrorum Comiti Hannoniam in dotem attulit. Chronicon Hildensheimenſe refert. I. Brunonem Auguſtanum Epiſcopum fratrem Henrici Imp. obiiſſe, & Verinherum Argentinæ Præſulem. II. Generalem Synodum in Palithe præſidente Imperatore cum Epiſcopis vndecim celebratam. III. Legatos Luitiziorum ad Imp. venientes eius iuuamen contra Miſakonem tyrannum petiiſſe. Sigebertus ait Conradum Imp. rebellantibus Sclauis ad eos debellandos profectum. Hepidannus verò, cuius notæ Chronologicæ in editione Ducheſniana luxatæ, ſuiſque in pleriſque ſedibus motæ videntur, teſtatur, Erneſtum Ducem Alamannorum ſiue Sueuiæ vitrico ſuo Imperatori denuò rebellem gratiam eius cum Ducatu amiſiſſe, & Herimannum fratrem eius iuniorem, matre Auguſtâ id precibus

obtinente eundem promeruiſſe. Quod ſubdit de Hungaria à Sigeberto aliiſque in ſeq. annum differtur. Garſias Caſtellæ Comes ipſo nuptiarum die 13. Maij trucidatus perhibetur, ſuccedente Sanctio Nauarræorum Rege, cuius filius Sanctius Legionis quoque regnum poſtea ſuſcepit. Ex Cedreno diſces. I. in feſto Pentecoſtes CP. inter Clericos excitatum tumultum περὶ προεδρίας. II. Claſſem Romani Imp. cladem paſſam Octobris die vltimo, quo ſtella ab occaſu verſus ortum tranſire viſa eſt. III. ex imbribus ab Autumno ad menſem Martium anni ſeq. continenter manantibus prodiiſſe inundationes regionibus illis pernoxias.

Anno Chriſti MXXX. *Roberti Regis* 43. *Monarchiæ* 34. *Henrici filij* 3. *Guillelmus V. Magnus dici ſolitus Pictonum Comes, & Dux Aquitaniæ poſt multa, & laudabilia facta apud Malliacum Monachus factus plenus dierum anno ætatis* 71. *in ſenectute bona obiit pridie Kalendas Februarij, vt diſcimus ex Malleacenſi ſeu Maxentiano Chronico. De tribus eius minimùm vxoribus, variiſque liberis plura diximus in Tabulis Genealogicis Parium Franciæ editione II. Stemmatum Regiorum. Succeſſit Guillelmus VI. cognomine Craſſus. Hoc anno, qui obitum Roberti Regis præceſſit, teſte Glabro lib.* 3. *cap.* 9. *duo fratres eius filij firmato amicitiæ fœdere, præcipuè ob inſolentiam matris, cœpere vi inuadere vicos, & caſtella. Henricus, quem Regem fecerat, Drogas illi caſtrum ſubripuit; Robertus verò iunior in Burgundiæ partibus Auallonem atque Belnam occupauit. Vnde collecto à Rege exercitu pluſquàm ciuile bellum in Burgundia exortum: De quo conſultus Vuillelmus Abbas apud Diuionenſe caſtrum reſpondit:* Meminiſſe te ô Rex, conuenit iniuriarum opprobriorúmque patri ac matri à te illatorum in tua iuuentute, quoniam talia tibi iuſto iudice Deo permittente à filiis ingeruntur, qualia tu ipſe genitoribus ingeſſiſti. *Quæ cùm Rex patientiſſimè tuliſſet pacem cum filiis compoſuit, & anno ſequenti menſe Iulio apud caſtrum Meleduneuſe diem clauſit extremum*, &c. *Obiit Lambertus Lingonum Epiſcopus* 10. *Kal. Septembris, in cuius locum Robertus Rex conſtituit Ricardum Epiſcopum, contra voluntatem Cleri, & plebis totius, qui poſt menſes quinque adepti Epiſcopatus captus, & pulſus ciuitate non multis poſt diebus veneno vitam finiit. De Mirabello, aliiſque caſtris in Burgundia captis à Rege Roberto, qui ibidem Guillelmi Abbatis Diuionenſis mortem Fiſcanni obitam accepit, conſule Chronica Benignianum, & Bezuenſe, ac Burgundicos ſcriptores. Aimoini Continuator libri* 5.

cap. 46. Vuillelmi mortem Gallico more affigit anno 1030. & post eam adiungit Robertum Regem cum Regina in cœnobio S. Germani Pratensis prope Lutetiam, quod ille regulariter instituerat, constituisse Abbatem Adraldum. Obiter verò emaculanda veniunt sequentia Anonymi illius verba, quæ Ioannem Tilium, & omnes fermè scriptores nostratis Historiæ egerunt in præceps, & Roberto Regi contra fas omne filium nothum adscripserunt. In tempore Regis Roberti, inquit, Benna fuit de dominio S. Germani. Ipse firmauit Montifortem, & Sparnonum. Quandam quoque dominam de Nouigento habuit vxorem: de qua vnum filium nuncupatum Amalricum patrem Simonis, & Amalrici, *&c. cùm legendum haud dubiè esset:* Quidam Comes dominam de Nouigento habuit vxorem, *&c. Quis verò fuerit pater Amalrici I. de Monteforti docuit Andreas Ducheſnius, & ex eo Sammarthani fratres in posterioribus editionibus. Gauzlinus sæpè à nobis meritóque laudatus Bituricensis Archiepiscopus, & Abbas Floriacensis, obiit die 19. Nouembris, cùm annis 17. cum mensibus quinque præfuisset. De Gaufrido I. Donziaci Domino, cui Otto II. Blæsensis ac Carnotensis Comes castrum S. Aniani in finibus Biturigum tradidit, plura leges in Historia Vergiacensi eiusdem Ducheſnij. Multa quoque subministrabunt curiosis gesta Ambaciensium Dominorum, & Andegauensium Consulum, quæ breuitatis studium compellit silentio premere. Balduinus Barbatus Comes Flandrorum congregatis Marchisiæ suæ SS. corporibus, præsente Hugone Nouiomensi Episcopo, cum aliis pluribus Episcopis & Abbatibus, apud Aldenardam congregatis totius sui regni primatibus, pacem ab omni populo coniuratam firmari fecit, inquit Sigebertus ex MS. Lipſ. Ab eodem Furnis volunt Templum nouum S. Vualburgi exstructum, vxorémque eius Otgiuam 9. Kal. Martias defunctam in Blandinienſi cœnobio cum Gisala sorore sepultam fuisse. Extat ad eam Otheboldi Gandensis apud S. Bauonem Abbatis epistola Notitiæ Miræi cap. 82. De Consecratione Ecclesiæ B. Mariæ Cameracensis à Gerardo II. Episcopo Baldricus lib. 3. Chronici cap. 49.* Conradus Imperator Hungariam inuadit, eámque citima ex parte circa Fiscam fluuium deuastat, S. Stephano viriliter resistente, quicum paullo post pacem inire coactus est, vt docent Chatuitius in vita S. Stephani, Wippo, Hermannus, Hepidannus, Sigebertus, Bonfinius, *&c.* Dum in ea expeditione versaretur Imperator, Manegoldus Comes cum Ernesto Sueuiæ Ex-duce pugnauit die 17. Augusti, siue in Octaua S. Laurentij, & vterque cecidit.

De morte S. Emerici Hungariæ Principis, ſancti Stephani ex Giſela filij, apud Albam regalem die 4. Nouembris poſtquam cum coniuge per annos 7. virgo vixiſſet, conſule Inchoferum ex Chatuitio, aliiſque. Chronicon Hildensheimenſe ſub anni ſequentis periocha monet Henricum Regem Ducémque Baioariæ Imperatoris filium iuramento firmaſſe pacem cum Stephano Hungariæ Rege, cuius filius Henricus (an alius ab Emerico? qui tamen paſſim dicitur vnicus) Dux Ruizorum in venatione ab apro diſciſſus flebiliter periiſſe ſubiungitur. Monaſterium Vallis-vmbroſæ in Apennini iugo hoc circiter anno initium cepiſſe aſſerunt, quo Piſani Sardiniam à Saracenis ſæpè vaſtatam muniunt, & excurſione in Africam facta Carthaginenſem Regulum captum Romam ducunt, qui baptizatus liber dimiſſus eſt, ex Sigonio, aliiſque. Græci non ſatis feliciter in Syria, & Sicilia aduerſus Saracenos decertant, vt Curopalata, Cedrenus, Zonaras, ſimiléſque Græci fidem faciunt.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MXXXI. *Henrici Regis* 4. *Robertus Rex ex Burgundia reuerſus Quadrageſimæ tempore peregrinationem illam ſuſcepiſſe videtur, quæ deſcribitur ab Helgaldo:* Intrans fines Biturigum ſuſcipit eum S. Protomartyr Stephanus, cum S. Maiolo meritis præcipuo, ſancta Maria cum celebri Iuliano, iterum ipſa piiſſima Virgo cum S. Ægidio; Inclytus verò Saturninus cum forti Vincentio, dignus Antoninus cum Fide Martyre: Sanctus Domini Gerardus ipſum iam reuertentem ad propria ſancto iterum reddit incolumem Stephano glorioſo, cum quo terris lætum deducens diem Palmarum properat Aurelianis, ibi in Paſcha percepturus auctorem noſtræ ſalutis. In eo itinere multos leproſos inuiſiſſe dicitur: Tantam quippe gratiam, inquit, in medendis corporibus perfecto viro contulit diuina virtus, vt ſua piiſſima manu infirmis locum tangens vulneris, & illis imprimens ſignum ſanctæ Crucis, omnem auferret ab eis dolorem infirmitatis. *Quid ſi pro infirmis legas in ſtrumis, tunc certa videbitur opinatio V. C. Guillelmi Du Peyrat in Hiſtoria Capellæ Regiæ lib. 2. cap. 59, pag. 813. vbi probare contendit donum illud cæleſte diuinitus Regibus Chriſtianiſſimis collatum curandi Scrophulas, ſiue Chœradas à piiſſimo illo Roberto primam duxiſſe originem, cùm ante ſæculum iſtud XI. nullibi illius*

curationis habeatur mentio. Quidquid sit, longè maior agitari solet inter Chronologos disceptatio de tempore obitus eiusdem Roberti, quem antiqui fermè omnes cum Glabro, Sigeberto, Aimoini Continuatore, Roberto Monacho S. Mariani, qui annum Conradi Imp. 7. designat, Rotomagensi, quod Gunnordis Comitissæ mortem adiungit, & infinitis aliis Chronicorum scriptoribus in hunc annum conferunt. Helgaldus haud dubiè corruptus anno sequenti 1032. tribuit pagina 72. Recentiores verò Baronius, Bucherius, Caluisius, Petauius, aliíque in annum 1033. differunt, ducto ex Helgaldi narratione argumento Chronologico. Verùm cùm ille bis térve secum ipse pugnet, feriámque hebdomadæ seu sabbati tertiam disertè affirmet, quæ 13. Kal. Aug. anni præsentis mirificè congruit, docuimus in Chronico Technico non esse discedendum à communi apud antiquiores Historicos verioríque sententia. Obiit itaque hocce anno die 20. Iulij feria tertia Indict. labente 14. Robertus Rex Francorum sexagenarius apud Castrum Meledunense, lucescente Aurora, & Parisis deportatus apud S. Dionysium iuxta patrem suum sepultus est ante altare sanctæ Trinitatis, inquit idem Helgaldus, quem de summis eius virtutibus ac Principe Christiano dignissimis per otium consulet Lector, nec sine fructu: Exire ipse de hoc sæculo paratus, *inquit*, dominum IESVM suæ salutis atque vtilitatis magistrum semper inuocabat. Ad videndam Regis æterni insuperabilem potentiam Angelos, Archangelos, & omnes Dei sanctos in auxilium suum venire voce signis indesinenter orabat, muniens se semper in fronte & oculis, naribus & labiis, gutture & auribus, per signum sanctæ Crucis memoriâ Dominicæ Incarnationis, Natiuitatis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis ac gratiæ Spiritus sancti, *&c. quæ perpendant velim Caluini sordibus infecti nostrates Galli. In eius morte ingeminatis vocibus acclamatum subdit:* Roberto imperante & regente *(per annos ab obitu patris 33. cum mensibus octo, à primâ verò inauguratione 43. cum sex mensibus, & 20. diebus.)* securi viximus, neminem timuimus. Patri pio, Patri Senatus, Patri omnium bonorum, felix anima & salus, felix ad superna ascensus, felix cum Christo Rege Regum per sæcula cohabitatio: *Hæc ille. Glaber verò lib. 3. cap. 9. postquam mortem Roberti eiúsque sepulturam paucis perstrinxit, exortam rursum inter matrem, & filios rediuiuam discordiæ crudelitatem narrat, diúque multúmque laxatis irarum frænis vtrimque debacchatum, donec Fulco Andegauorum Comes cognatus ipsorum matrem redarguens, cur bestialem vesaniam erga filios exerceret, inter eos pacem*

reduceret. Interim Henricus Rex paternis bonis potitus germanum ſuum Robertum conſtituit Burgundiæ Ducem. Odo verò II. Odonis I. ex Berta Conradi Auſtraſiorum ſiue Burgundionum Regis filius, qui Roberto ciuitates Trecorum ac Meldorum cum multiplicibus caſtris præripuerat, vnde potius Campanienſis dictus, quam quòd in campo natus eſſet, poſt eius mortem coniugi, & filiis eius Senonicam eripuit vrbem, & aduerſus eos vallauit. Quod cernens Henricus acri animi ferocitate tamdiu illum inſecutus eſt debellando, quouſque genuflectens ei ſe ſubderet, &c. quæ in ſequentes, vt arbitror, annos videntur prorogata. In eandem rem multa ſuggeret Monachus S. Mariani. Kal. Ianuariis huius anni felici morte migrauit ad ſuperos Fiſcanni in Normannia Vvillelmus Diuionenſis S. Benigni Abbas, de quo vide Reomaum Rouerij noſtri, Surij ac Bollandi Ianuarium, Glabrum lib. 4. cap. 4. Hugonem Flauiniacenſem, variáque Chronica. Aymo de genere Borboniorum Comitum menſe Martio Bituricenſem obtinet Patriarchatum, ac de controuerſia Apoſtolatus S. Martialis aliiſque ad deprauatos mores reformandos neceſſariis Concilium Bituricenſe celebrat labente hac Indictione 14. aut potius 15. inchoata, ſiquidem vt ſcribunt Acta, habitum ſit Kalendis Nouembris præſentibus Stephano Anicienſi, Rencone Aruernenſi, Ragamundo Mimatenſi, Æmilio Albienſi, Deuſde Cadurcenſi: Iordanum Lemouicenſem aliis iunctum Epiſcopis fuiſſe docet Codex MS. S. Stephani Lemouicenſis. Et ſanè in Edicto Aymonis quod poſt Canones illius Concilij adſcriptum eſt Iordanus Lemou. ante Stephanum Vallacenſem nominatur ſede Ruthenenſi vacante. In eo mentio fit Epiſtolæ Ioannis Papæ ad Epiſcopos, Abbates, & reliquos totius Galliæ fideles miſſæ, vt B. Martialis in numero Apoſtolorum tam in Litaniis, quàm in omnibus diuinis officiis computetur. Extat ea integra in Actis Concilij Lemouicenſis. Conradus Imp. cum paruo Saxonum exercitu Sclauos autumnali tempore inuaſit, & Myſachonem ad officium compulit, qui poſt menſis tantum ſpatium à fratre ſuo Bezbriemo proturbatus, ad Vdalricum in Beheim fugere eſt compulſus. Plura vide in Chronico Hildensheimenſi. Aribo Mogonciacenſis Archiepiſc. Româ, quam orationis gratia adierat, reuertens Cumis octauo Idus Aprilis obiit: huic ſucceſſorem anno demum ſequenti Sigebertus aſſignat Bardonem, ex procuratore cœnobij Virdunenſis Abbatem Herfeldenſem, ſuggeſtione Giſlæ Imperatricis hoc anno creatum. Hoc tempore, inquit idem Sigebertus, iuſſu Imperatoris regali, & Synodali conuentu apud Triburias

burias inter cætera Episcopi nonnihil decernere voluerunt, de ieiunio primi mensis, Gerardo Cameracensi, & paucis cum eo antiquam consuetudinem obtendentibus. Malcolmus II. Scotiæ Rex condidisse dicitur volumen legum municipalium, regiósque constituisse magistratus. Amiras Chalepi Saracenus C P. veniens pactum cum Imp. renouat, solitúmque offert tributum, ex Cedr. Curop. aliisque, qui multa addunt de instauratione Templi Hierosol. à Romano, & Michaele Imper. S. Dominicus patria Fulginas, multorum monasteriorum fundator, obiit octogenario maior, in Sorano agro, vbi Fibrenus fluuius in Lirim influit, ex Leone Marsicano.

Anno Christi MXXXII. *Henrici Regis 5. ac 1. Monarchiæ, cui Sigebertus, Robertus S. Mariani, aliique passim 30. imputare solent, Constantia Regina eius mater apud Castrum Miledunense defuncta est mense Iulio, indéque portata ad S. Dionysij Basilicam, ac iuxta Regem Robertum sepulta, inquit Glaber iam sæpè citatus lib. 3. cap. 9. Fragmentum tamen Historiæ Francicæ pag. 86. Tomi IV. Duchesniani tradit obiisse post tertium obitus viri sui annum, atque ab eadem Regina in filium armatos fuisse Odonem Carnotensium Comitem, aliósque Galliæ Proceres, quos ad extremum dextras petere coëgerit, aut patria expulerit, alióve quouis modo subiugauerit. Excerptum quoque veteris Chronici pag. 97. eiusdem Tomi in maxima regni portione, quam post Roberti funus in suam detorserat dominationem numerat Siluanectensem vrbem atque Senonensem, Castellum Bistisiacum, & Domnum Martinum, Puteolumque, & Meledunum, necnon & Pisciacum, & Codiciacum. Multos etiam, inquit, Franciæ & Burgundiæ Proceres sibi conciliauerat, quos à filij fidelitate mala fraude subduxerat. Inter quos præcipuè Odonem Campaniæ Comitem sibi deuinxerat, cui medietatem ciuitatis Senonicæ donauerat. Verùm Rex Henricus, cùm esset miles acerrimus, & matrem aduersus eum calcitrantem citâ deuicit fortunâ, & perfidorum machinamenta Procerum sua pessumdedit prudentia. Siquidem prima congressionum suarum principia cum matre conseruit Constantia, & castrum adorsus Pisciacum, mox illud suum retorsit ad dominium. Demum verò Puteolum obsedit, atque recepit. Quod cernens Constantia mox ab eo dextram expetiit, & deinceps quoad vixit tempore sibi fidelis extitit. Deinde Odonem aggressus Rex Henricus, Gornacum castrum illi abstulit, & Senonicæ vrbis partem ad suum iterum dominium reuocauit. Post hæc verò cum Marchione Flandrensium Balduino Hugonis Bardulfi castrum Merisuillam euertit, Pctueram castrum biennali obsessione con-*

cluſum ſuam redegit in poteſtatem, quæ certo anno vix aſcribi queunt. Eadem fermè habentur in fragmento Hiſtoriæ ex Bibl. Petauiana edito pag. 140. eiuſdem IV. Tomi, niſi quod quædam inſeruntur de Roberto Normannorum Duce, quem Rex apud Fiſcanum cum 12. clientulis conuenit, cuiúſque auxilio hoſtes debellauit. Ciuitas Andegauenſis horribili incendio combuſta eſt 5. Kal. Oct. Eodémque tempore Fulco filius Gaufredi Andegauenſis Comes, qui prima Dominica Quadrageſimæ Herbertum Cenomanenſem Comitem in Capitolio Santonenſi ceperat, ædificauit monaſterium S. Nicolai in Andegauinâ ciuitate, ornauit, multíſque fratribus adunatis Abbatem præfecit Hildinum. Vide Chron. Mall. & Andegauenſia. Odorannus Monachus S. Petri Senonenſis hoc anno ſuum abſoluit Chronicon. In Chartulario S. Petri Verchienſis dicitur eſſe charta Roberti de las Bordas facta menſe Ianuario Ind. 15. regnante Roberto Rege Francorum ſed mendo non vacat, vt ex noſtro Chr. Tech. compertum eſſe cuius arbitror. Rotbertus & Richardus minuendæ domo multitudinis cauſa, verba ſunt Sigeberti, hoc tempore à Normannia Francorum digreſſi Apuliam expetunt, & Italis inter ſe diſſentientibus, dum alteri contra alterum auxilium præſtant, hac opportunitate Italos callidè, & fortiter debellant, & ſucceſſus vrgendo ſuos nomen ſuum dilatant, ac futuræ proſperitatis ſibi viam parant. Frag. Hiſt. Francicæ mox citatum hæc de iis habet? Ricardus quidam Normannus in Apuliam profectus videns eandem Prouinciam ab inertibus habitari incolis mandauit ſuæ gentis hominibus vt ſe ſequerentur. Qui in multitudine eum minimè ſequi præſumentes, deni & viceni de Normannia egreſſi tandem ſuorum ad ſe validam manum contraxerunt. Inter quos nepos ipſius Ricardi Rotbertus nomine profectus eſt. Hi ſociatis viribus incolas ipſius regionis ſibi ſubiugauerũt. Robertus autem inclitus Dux ſuorum poſtea factus eſt, qui Siciliam & Calabriam ſuo ſubdidit dominio. Hic obiens reliquit duos filios Buiſmundum, & Rogerium, qui patri ſucceſſit: ſed plura de his Leo Marſicanus, ex quo diſces Sergium Græci Imp. Ducem iterum Neapolim occupaſſe, aliíque. *Radulfus Ignauus dictus, Burgundionum Tranſuranorum Rex moriens diadema, aliáque regni inſignia Imp. Conrado tranſmiſiſſe dicitur ab Hermanno in Chr. à Caniſio edito per Scaligerum neſcio quem.* Eo verò per idem tempus Pulanis Sclauis bello inſiſtente, vt loquitur Hepidannus, vel vt alij diſtinctius aduerſus Miſichonem, qui Nonis Iulij Merſburgi in Imperatoriam poteſtatem coronæ, totiúſque Regalis ornamenti oblitus,

humiliter se dedit, exercitum ductante, necnon aduersus Vdalricum, quem in exilium transmisit, *Odo Campanicnsis Comes, Bertæ ſororis ipſius Rudolfi filius, Regnum illud Burgundicum tanquam hæreditatem patrum ſuorum valida manu affectauit, & aliqua municipia capta cuſtodiis ſuis muniuit, ex Hermanno apud Caniſium, aliiſque.* De Romani Græcorum Imp. infelici in Syriam expeditione ac similibus consule Cedrenum. Pampilonense Concilium iussu Sancij Nauarræ Regis coactum censuit reuocandum Pampilonam ex Leirensi monasterio iugisque Pyreneis Episcopalem sedem, quæ eò ad declinandos barbarorum incursus fuerat translata. De fame quæ in vniuerso terrarum orbe inualuit ac pestilentiæ clade trium annorum spatio desæuiente consule præ cæteris Glabrum lib. 4. cap. 4. & de Bernoni Augiensi dato à Papa priuilegio Hermanni Chronicon ab Vrstisio, & Canisio editum.

Anno Christi M XXXIII. *Henrici Regis 6. Monarchæ 2. ipsis Kalendis Ianuariis Gaufridus, Martellus dictus, inscio atque inconsulto patre Fulcone Nerra, Comite Andegauensi, fauente tamen Hildegarde matre, duxit incesto coniugio Agnetem Comitissam, quæ fuerat vxor consobrini sui Vvillelmi Comitis Pictauorum, vnde bellum illud execrabile, quod contra patrem suum per annos ferè 7. subsequentes impiè gessit, vt ait Chronographus Andegauensis pag. 276. Nouæ Bibliothecæ, & ex eo alij. Idem Gaufridus die 19. vel 20. Septembris eiusdem anni Pictauensem Comitem Vvillelmum VI. cognomine Crassum, in bello cepit haud procul Toarcio, quâ de re plura Besslyus, & nos in Tabulis Genealogicis, & pag. 276. Nouæ Bibliothecæ ex Andegauensibus. Balduinus Barbatus castrum Eihamense, quod ad Raginerum Longicollum pertinebat, sibi fraudulenter proditum, funditus destruxit, ex Sigeberti Codice Lipsiano*, qui addit mortem S. Cunegundis Augustæ filiæ Sigefridi I. Comitis Luxeburgensis (de qua etiam ad hunc annum Chronicon Hildensh. non autem Marianus Scotus an. 1038.) & multa præmittit de litteris cælitus vni Episcopo delatis, quæ pacem monerent renouandam in terra, & mandata hæc recenset populis tradita: Arma quisquam non ferret, direpta non repeteret, & sui sanguinis, vel cuiuslibet proximi vltor minimè existens percussoribus cogeretur indulgere, ieiunium in pane, & aqua omni sexta feria obseruarent, & in sabbato à carne, & liquamine abstinerent, &c. quod qui nollet sacramento firmare, Christianita-

te priuaretur, & exeuntem de sæculo nullus visitaret, nec sepulturæ traderet. Huic, vt vocat, nouitati mandatorum obstitit (*qui hoc anno dicitur Abbatiam S. Andreæ in Castro Cameracensi fundasse, & in Maricolensi cœnobio pulsis Canonicis substituisse Monachos, quos in protectionem susceperit Conradus Imp.* Gerardus Cameracensis Ep. vt pluribus ediſſerit Baldricus lib. 3. Chron. cap. 52. Sed audiendus præ cæteris Glaber Radulfus lib. 4. c. 5. *Anno à Passione Domini millesimo memoratæ cladis penurias subsequente cœpit læta facies cœli clarescere. Tunc ergo primitus cœpere in Aquitaniæ partibus ab Episcopis, & Abbatibus coadunari Conciliorum conuentus, ad quos etiam multa delata sunt corpora sanctorum: dehinc per Arelatensem Prouinciam atque Lugdunensem, sícque per vniuersam Burgundiam per singulos Episcopatus indictum est, qualiter de reformanda pace, & sacræ fidei institutione celebrarentur Concilia,* &c. *Illud sanè memorandum quod omnibus in commune placuit, qualiter omnibus hebdomadibus sexta die abstineretur à vino, & à carnibus septimâ, nisi fortè grauis infirmitas compelleret,* &c. *quæ breuitatis causa omitto. De iisdem consulendum quoque moneo Virdunense Chronicon Hugonis Abbatis Flauiniacensis pag.* 184. *Nouæ Bibliothecæ.* Per idem tempus ex vniuerso orbe, inquit idem Glaber cap. 6. lib. 4. innumerabilis multitudo cœpit confluere ad sepulcrum Saluatoris Hierosolymis, Reges ipsi, Comites, Præsules, & mulieres multæ nobiles cum pauperioribus, *meminítque Lethbaldi cuiusdam ex Augustodunensi territorio ibidem sanctissimè defuncti, & Odolrici Aurelianorum Præsulis,* &c. *Factum est Concilium de pace in hac vrbe, inquit Chronicon Antissiodorense, obiítque Mathildis filia Ricardi Comitis, ex Chronico Rotomagensi in eadem Bibliotheca.* De Leuticis à Conrado Imp. sæpiùs prostratis, & pacto securitatis, & amicitiæ *cum Rege Francorum Henrico Roberti filio* inito Glaber lib. 4. cap. 8. sequenti verò capite, die 3. Kalendarum Iuliarum sexta feria Luna 28. facta est, inquit Eclipsis Solis ab hora 6. vsque ad 8. nimium terribilis. Nam Sol ipse factus est sapphirini coloris, *&c.* Eadem die natali videlicet Apostolorum in Ecclesia B. Petri, quidam de Principibus Romanorum conspirantes in Papam Romanum, cupientes illum interimere, sed minimè valentes, à sede tamen propria expulerunt. Eum verò, tam pro hac re, quàm pro aliis insolenter patratis, Imperator in Italiam proficiscens, propriæ sedi restituit: neque tamen diu in ea superfuit.

Ioannes Papa XIX. defunctus die 8. Nouembris post sedem annorum 9. & mensium octo, Successit Benedictus II. siue Iunior, qui & Theophylactus nepos duorum præcedentium Pontificum puer fermè decennis, intercedente thesaurorum pecunia ac tyrannide Alberici Comitis Tusculani electus, de quo præter cæteros Glaber lib. 4. cap. 5. & lib. 5. cap. similiter 5. Hugo Flauiniacensis pag. 186. Nouæ Bibl. Petrus Damiani, Marianus, Hermannus, Otho Frisingensis, *&c.* Conradus Imperator secum copiam militum fere media hieme in Burgundiam adduxit, castella Murtenam, & Nuvenburg, hoc est Moratum & Nouocastrum obsedit, sed nimiâ vi algoris præpeditus, infecto negotio rediit: proximâ verò æstate Odoni bellum intulit, vrbes eius rapina, & incendio funditus euertit, ipsúmque ad se supplicem venire coëgit, deinceps emendationem quamuis fictè promittentem, ex Hepidanno, Hermanno, Chronico Hildensheimensi, aliísque. *Fundatio Abbatiæ Buosonis villæ ab Adalberto Comite Metensi eiusque coniuge Iuditha in hunc annum cadit Indictione prima: Gerardus quoque eius filius die sabbati pridie Kalendas Iulij, vt quidam scribunt, iam patre mortuo dedit nonnulla S. Benigno Diuionensi. Verùm hæc donatio in annum seq. differenda, siquidem data sit, vt alij volunt die sabbati 3. Kal. Iulij anno 8. regni Conradi Imp. Indictione 2. Epacta 17.* De Saracenæ classis mille nauium infelici expeditione, vide Curopalatam & Cedrenum, qui etiam narrant ab Amira Ægyptio concessum Imp. Romano, vt Templum Sepulcri Domini ante annos 23. destructum instauraretur: de qua etiam consulendus Guillelmus Tyrius Archiepiscopus in libris de Bello sacro.

Anno Christi MXXXIV. *Henrici Regni 7. Monarchiæ 3. Sic enim explicari debet Aimoini Continuator, vrbs Parisiorum flagrauit incendio, quod etiam annotarunt Hugo Floriacensis, & Anonymus p. 97. & 143. Tomi IV. Duchesniani. De Conciliis Bituricensi præside Aymone Archiepiscopo aduersus seditiosos, & prædones Ecclesiarum, necnon de Apostolatu S. Martialis multísque aliis die 3. Nouembris, & Lemouicensi eodem præside 17. eiusdem mensis celebratis vide Chronicon Technicum ex nostra Synopsi Historica Conciliorum Galliæ. De dedicatione Leodiensis Ecclesiæ S. Laurentij vide Chapeauilli Tomum primum. Friderico II. Mosellanæ seu Superioris Lotharingiæ Duce mortuo, quia mares filios non habebat, quibus Ducatus competeret, Gothelo Magnus*

Inferioris Lotharingiæ Dux impetrato etiam ab Imperatore Moſellanorum Ducatu in Lotharingiâ potentius principatur, inquit Sigebertus. Filiæ illius Beatrix & Sophia patrimonium ab eo acceptum, Barrum ſcilicet, Briacum, ſimiléſque ditiones inter ſe diuiſerunt, & ad hæredes tranſmiſerunt. Conradus Imp. monaſterium S. Giſleni in Hannonia tabulis Ratiſbonæ ſignatis 4. Nonas Maij firmauit, ex cap. 84. Notitiæ Miræi. Idem iterum Burgundiam cum exercitu intrauit, & omnia municipia cum ciuibus, vſque ad Rhodanum fluuium ſuæ ditioni ſubegit, Burcardum Lugdunenſem Archiep. cum aliis proceribus in deditionem accepit, Geneuámque peruenit: vbi ab Heriberto Mediolanenſi Archiepiſcopo cæteriſque Italiæ, & Burgundiæ Principibus honorificè ſuſceptus in feſtiuitate S. Petri ad vincula coronatus producitur, & in Regnum Burgundionum Rex eligitur, ex Hepidanno, Hermanno, aliiſque. De Vdalrico Boëmanorum Duce ac fratre Germiro, eiuſque excæcatione ac illius morte, necnon Miſachonis ſeu Miezlai Polianorum Ducis, cuius filius Caſimirus cum matre Riskia fugatus Cluniaci poſtea factus eſt Monachus, & quamplurimis aliis, conſule Chron. Hildensheimenſe. Romanus Argyrus, ſiue Argyropulus dictus, Græcorum Imperator inſidiis Zoes adulteræ coniugis periit in die Cœnæ Dominicæ vndecima Aprilis, poſtquam annis 5. & menſibus 6. imperaſſet. Succeſſit Michaël IV. Paphlago Argentarius cum eadem Zoe Auguſtâ, de quibus videndi Curopalates, Cedrenus, Zonaras, aliíque. Malcolmo ſeu Milcolumbo II. Scotorum Rege à ſuis occiſo ſuccedit Duncanus eius nepos, ex Maiore, Leſlæo, Boëthio, Buchanano, &c. poſt Marianum Scotum cuius hæc verba repræſento: Moëlcolicum Rex Scotiæ obiit: Donchad filius filiæ eius ſibi ſucceſſit annis quinque. Sancius Maior Nauarræ Rex primus Hiſpanorum Imperator dictus, qui Mumiam Geloiram Caſtellæ hæredem duxerat, obiit die 18. Octobris, huius, vel vt alij contendunt, anni proximè ſequentis. De eo eiuſque filiis Ferdinando, Garſia & Ranimiro plura dabunt Mariana, ſimiléſque rerum Hiſpanicarum ſcriptores. Certè Chronicon S. Victoris Maſſilienſis docet anno 1035. obiiſſe Berengarium Comitem Barcinonenſem, & Sancium Regem de Caſtella.

Anno Chriſti MXXXV. *Henrici Regis* 8. *Monarchiæ* 4. *Berengariana hæreſis de Sacramento Euchariſtiæ diuulgari cœpta, de quâ plura Baronius, Bellarminus, aliíque Eccleſiaſtici Tractatores. Rober-*

tus II. Normannorum Dux cum ingenti multitudine suæ gentis Hierosolymam proficiscens detulit secum plurima auri argentique donaria erogandi gratia. Qui dum rediret apud Nicæam obiit vrbem in Bithyniâ, ibidémque sepultus quiescit. Ex concubina filium genuerat Vuillelmi, nomen ataui ei imponens: cui antequam proficisceretur, vniuersos sui ducaminis Principes militaribus adstrinxit sacramentis, qualiter illum pro se, si non rediret, eligerent. Quod etiam statim ex consensu Regis Francorum Henrici vnanimiter postmodum firmauerunt, vt docet Glaber lib. 4. cap. 6. Plura Vuillelmus Calculus Gemeticensis Monachus, Oldericus Vitalis, alíque, qui diem obitus 2. Iulij designant. Sigebertus moras trahit dum asserit Burgundionibus non desistentibus à consueta contra Regem suum insolentia Regem Rodulfum regnum Burgundiæ Conrado Imperatori tradidisse, quod à tempore Arnulfi Imp. per annos plusquam 130. gentis suæ Reges tenuerant, síque Burgundiam iterum redactam esse in Prouinciam. Henrico Regi Imperatoris filio iuramentis desponsatur Canuti Regis Danorum filia Cunihildis nomine, quam anno sequenti duxit vxorem apud Niumagum, qua ratione conciliandos dissidentes inter se in speciem Chronographos. Ipse verò Imperator cum validissimo exercitu regionem Luitizororum intrauit, *&c.* addit Chronicon Hildensh. hiemali tempore Canutum Regem Danorum atque Anglorum immatura morte præuentum obiisse, filiúmque eius iuniorem Hærdechnutum regnum Daniæ consensu Prouincialium obtinuisse. Rogerius diem mortis præscribit 12. Nouembris feria 4. addítque duos alios eius filios Sueinum Norvegiæ, Haroldum verò nothum Angliæ Reges extitisse. Adalbero siue Albertus Dux Carentani, & Istriæ amissa Conradi Imp. gratia Ducatu priuatus in exilium mittitur, ex Wippone, & Hermanno. Alij tamen cum Hepidanno & Chronico mox citatò addunt anno sequenti Ducatum illum ab Imp. patrueli suo Conrado fuisse commissum Augustæ Vindelicorum in Purificatione B. Mariæ, & ab eodem Adalberone Willelmum Comitem fuisse interfectum. De Synodo Triburiensi Hermannus, & Baldricus. Hepidannus verò testatur exortum fuisse in Italia validæ coniurationis fœdus, quod Episcopus Mediolanensis alíque Senatores Italiæ dirimere conati sunt, verùm sedari non potuit nisi rescripto Imperatoris. De Helia Scotorum Abbate, qui prædixit Piligrini Colonienſis Archiepisc. mortem, quam

Inferioris Lotharingiæ Dux impetrato etiam ab Imperatore Moſellanorum Ducatu in Lotharingiâ potentius principatur, inquit Sigebertus. Filiæ illius Beatrix & Sophia patrimonium ab eo acceptum, Barrum ſcilicet, Briacum, ſimiléſque ditiones inter ſe diuiſerunt, & ad hæredes tranſmiſerunt. Conradus Imp. monaſterium S. Giſleni in Hannonia tabulis Ratiſbonæ ſignatis 4. Nonas Maij firmauit, ex cap. 84. Notitiæ Miræi. Idem iterum Burgundiam cum exercitu intrauit, & omnia municipia cum ciuibus, vſque ad Rhodanum fluuium ſuæ ditioni ſubegit, Burcardum Lugdunenſem Archiep. cum aliis proceribus in deditionem accepit, Geneuámque peruenit: vbi ab Heriberto Mediolanenſi Archiepiſcopo cæteriſque Italiæ, & Burgundiæ Principibus honorificè ſuſceptus in feſtiuitate S. Petri ad vincula coronatus producitur, & in Regnum Burgundionum Rex eligitur, ex Hepidanno, Hermanno, aliiſque. De Vdalrico Boëmanorum Duce ac fratre Germiro, eiuſque excæcatione ac illius morte, necnon Miſachonis ſeu Miezlai Polianorum Ducis, cuius filius Caſimirus cum matre Riskia fugatus Cluniaci poſtea factus eſt Monachus, & quamplurimis aliis, conſule Chron. Hildensheimenſe. Romanus Argyrus, ſiue Argyropulus dictus, Græcorum Imperator inſidiis Zoes adulteræ coniugis periit in die Cœnæ Dominicæ vndecima Aprilis, poſtquam annis 5. & menſibus 6. imperaſſet. Succeſſit Michaël IV. Paphlago Argentarius cum eadem Zoe Auguſtâ, de quibus videndi Curopalates, Cedrenus, Zonaras, aliíque. Malcolmo ſeu Milcolumbo II. Scotorum Rege à ſuis occiſo ſuccedit Duncanus eius nepos, ex Maiore, Leſlæo, Boëthio, Buchanano, *&c.* poſt Marianum Scotum cuius hæc verba repræſento: Moëlcolicum Rex Scotiæ obiit: Donchad filius filiæ eius ſibi ſucceſſit annis quinque. Sancius Maior Nauarræ Rex primus Hiſpanorum Imperator dictus, qui Mumiam Geloiram Caſtellæ hæredem duxerat, obiit die 18. Octobris, huius, vel vt alij contendunt, anni proximè ſequentis. De eo eiuſque filiis Ferdinando, Garſia & Ranimiro plura dabunt Mariana, ſimiléſque rerum Hiſpanicarum ſcriptores. Certè Chronicon S. Victoris Maſſilienſis docet anno 1035. obiiſſe Berengarium Comitem Barcinonenſem, & Sancium Regem de Caſtella.

Anno Chriſti MXXXV. *Henrici Regis* 8. *Monarchiæ* 4. *Berengariana hæreſis de Sacramento Euchariſtiæ diuulgari cœpta, de quâ plura Baronius, Bellarminus, aliíque Eccleſiaſtici Tractatores. Rober-*

tus II. Normannorum Dux cum ingenti multitudine suæ gentis Hierosolymam proficiscens detulit secum plurima auri argentique donaria erogandi gratia. Qui dum rediret apud Nicæam obiit vrbem in Bithyniâ, ibidemque sepultus quiescit. Ex concubina filium genuerat Vuillelmi, nomen ataui ei imponens: cui antequam proficisceretur, vniuersos sui ducaminis Principes militaribus adstrinxit sacramentis, qualiter illum pro se, si non rediret, eligerent. Quod etiam statim ex consensu Regis Francorum Henrici vnanimiter postmodum firmauerunt, vt docet Glaber lib. 4. cap. 6. Plura Vuillelmus Calculus Gemeticensis Monachus, Oldericus Vitalis, aliique, qui diem obitus 2. Iulij designant. Sigebertus moras trahit dum asserit Burgundionibus non desistentibus à consueta contra Regem suum insolentia Regem Rodulfum regnum Burgundiæ Conrado Imperatori tradidisse, quod à tempore Arnulfi Imp. per annos plusquam 130. gentis suæ Reges tenuerant, sicque Burgundiam iterum redactam esse in Prouinciam. Henrico Regi Imperatoris filio iuramentis desponsatur Canuti Regis Danorum filia Cunihildis nomine, quam anno sequenti duxit vxorem apud Niumagum, qua ratione conciliandos dissidentes inter se in speciem Chronographos. Ipse verò Imperator cum validissimo exercitu regionem Luitizororum intrauit, *&c.* addit Chronicon Hildensh. hiemali tempore Canutum Regem Danorum atque Anglorum immatura morte præuentum obiisse, filiúmque eius iuniorem Hærdechnutum regnum Daniæ consensu Prouincialium obtinuisse. Rogerius diem mortis præscribit 12. Nouembris feria 4. addítque duos alios eius filios Sueinum Noruegiæ, Haroldum verò nothum Angliæ Reges extitisse. Adalbero siue Albertus Dux Carentani, & Istriæ amissa Conradi Imp. gratia Ducatu priuatus in exilium mittitur, ex Wippone, & Hermanno. Alij tamen cum Hepidanno & Chronico mox citatò addunt anno sequenti Ducatum illum ab Imp. patrueli suo Conrado fuisse commissum Augustæ Vindelicorum in Purificatione B. Mariæ, & ab eodem Adalberone Willelmum Comitem fuisse interfectum. De Synodo Triburiensi Hermannus, & Baldricus. Hepidannus verò testatur exortum fuisse in Italia validæ coniurationis fœdus, quod Episcopus Mediolanensis aliíque Senatores Italiæ dirimere conati sunt, verùm sedari non potuit nisi rescripto Imperatoris. De Helia Scotorum Abbate, qui prædixit Piligrini Colonienſis Archiepisc. mortem, quam

anno ſequenti collocat Hermannus, vide Marianum Scotum.

Anno Chriſti MXXXVI. *Henrici Regis* 9. *Monarchæ* 5. *Iſembertus Epiſcopus Pictauis fecit Synodum, vbi magnam pacem firmauit. Qui cum Euſtachia vxore Vvillelmi Comitis aliquantulum expoliauit monaſteria auro & argento, vnde redimerent eum. Qui poſtea paucos dies viuens finem vitæ ſortitus eſt: Vxórque eius ſimiliter defuncta, ipſa quidem apud S. Mariam Pictauis ſepulta, & ipſe cum patre apud Malliacum humatus eſt. Iſembertus quoque Epiſcopus poſtea Romam pergens obiit in via apud Paueiam ciuitatem peregrinus, ex Chronico Malleacenſi, in quo additur Kalendis Octobris ciuitatem Andegauam horribili conflagraſſe incendio cum ipſa matre Eccleſia, & ſuburbio S. Albini. Odo Campanenſis contra Imperatorem bellans Lotharingiam incurſat, caſtella oppugnat, vrbem Leucorum, quæ Tullus dicitur, obſidet, & in nullo temperat furori ſuo, inquit Sigebertus in Chronico: Albericus verò affirmat Brunonem Ep. Tullenſem, Adalbertum Comitem Metenſem, & Ducem Gerardum filium eius multa contuliſſe Eccleſiis. Balduinus Barbatus Flandriæ Comes obiit die* 30. *Martij, Blandinij cum Otgiuâ coniuge ſepultus, ſucceſſit filius Balduinus Pius, aut Inſulanus dici ſolitus.* Piligrinus Archiepiſcopus Colonienſis moritur 9. Kal. Septembris, cui ſuffectus eſt Herimannus Othonis II. ex filia nepos nobiliſſimæ indolis iuuenis eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconus, Regius Capellanus & Ciſalpinus Cancellarius, cuius ordinationem in ſequentem differt annum Sigebertus poſt Marianum, & Contractum. Imperator ex Chronico Hildensheimenſi Paſcha Engilenheim feriauit: deinde Triburiam veniens generali ibidem Synodo præſedit, Aſcenſionem Paderbrunæ, Pentecoſtem verò, Natiuitatémque S. Ioannis Niumago, & ibi Henrico Regi filio Imp. venit Regina Cunihild nomine, quæ ibidem in Natali Apoſtolorum regalem Coronam accepit, & mutato nomine in benedictione Cunigund dicta eſt. Æſtiuo tempore idem Princeps regionem Luitiziorum cum exercitu intrauit, acceptíſque obſidibus, & innumerabili pecunia in pace remeauit. Herimannus Alemanniæ Dux marcam ſoceri ſui Meginfredi in Italia ab Imperatore accipit, teſte Hermanno Contracto. Ranimirus Aragoniæ primus Rex Sancij Nauarræ Regis filius nothus duxit vxorem die 22. Auguſti Luna 25. & Mauris quibuſdam tributum imponit. Suinus Noruegiæ Rex Haroldi Anglorum Regis frater in Scotiam cum exercitu venit, ſed

virtute

virtute Doualdi seu Duncani Regis ita variis præliis attritus est, vt pauci in patriam redierint. Amirâ Ægyptio defuncto vidua eius cum Græcis pacem sancit in 30. annos, ex Cedreno, aliísque Græcis.

Anno Christi MXXXVII. *Henrici Regis* 10. *Monarchæ 6. feria secunda post Dominicam Quasimodo, siue post Octauas Paschæ, Eclipsis Solis contigit paullò post eius exortum, vt ex Fragmento Historiæ Francicæ diximus in Chronico Technico. Ebbo filius Odonis Senioris Dolensis à Vicecomite Bituricensium Gaufredo interfectus est, teste incerto Auctore Dolensis Chronici. Odo Campanienſis Comes (quem Ottonem principem Carlingorum nescio quam ob causam appellat sub anni præcedentis epocha Marianus Scotus in Chronico) Barrum castrum obsidet capitque, & cum Gothelone vtriusque Lotharingiæ Duce Reginardo Episcopo Leodiensi aliísque Lotharingis conserto prælio perimitur, Francorum, qui eius partibus adhærebant, exercitu graui cæde attrito. Vide Glabrum lib. 3. cap. 9. Hugonem Flauiniacensem pag. 185. Nouæ Bibliothecæ, Hermannum, Hepidannum, Sigebertum, variáque Chronica, sed præcipuè Hildensheimense*, ex quo etiam discimus Imperatorem, qui Veronæ Natiuitatem Domini celebrauerat, in Salerno oppido generalem conuentum de re publica cum Cisalpinis ac Germanis habuisse, in quo Mediolanensis Archiepiscopus comprehensus Bopponi Patriarchæ Aquileiensi commissus est, à quo fugâ lapsus palam rebellare cœpit: quem Imperator è vestigio insequutus per totum subsequentem annum cum totius periculo exercitus obsedit. Placentinus, Cremonensis, Vercellensis, aliíque Episcopi, quia cum prædicto Archiepiscopo, & Odone Campanienſi consenserant, captiui in diuersa loca amandati sunt. Varia quoq; prodigia recensentur, quæ prudens omitto, vt id vnum moneam ea post biennium dumtaxat à Sigeberto repræsentari. Die Pentecostes, inquit, cùm Imp. in parua Ecclesia secus vrbem Mediolanensem ad Missam coronaretur, tam grauia fuerunt tonitrua, & fulgura, vt aliqui mente excederent, aliqui exhalarent. Bruno verò Episc. qui Missam canebat, & Secretarius Imperatoris cum aliis tribus, dixerunt se inter Missarum solemnia vidisse sanctum Ambrosium Imperatori indignando comminantem. *Dedicatio Ecclesiæ Carnotensis sanctæ Mariæ fuit facta* 16. *Kalendas Iunij, ex Chronico Malleacensi, nam alia habent Ianuarias, vel Nouembres. Vide pag.* 287. *Nouæ*

Bibliothecæ. Eodem anno exortum bellum pluſquam ciuile inter Fulconem Nerram, & filium eius Goffridum Martellum, & ferè per duos annos protractum. Vvillelmo Pingui Comite mortuo, Pictauenſes in magno angore poſiti de morte Principis ſui, Odonem Comitem germanum eius ex patre Vvillelmo Magno à Vaſconia conuocarunt. Goffridus autem, qui duxerat Agnetem Comitiſſam, duobus eius filiis adhuc paruulis Petro & Gaufredo, Pictauenſem ditionem regere eſt aggreſſus. Cúmque Odo è Vaſconia veniens Germundum caſtrum, & Mauſiacum fruſtra expugnare tentaſſet, occiſus eſt, eiúſque corpus ſepultum in Malleacenſi cœnobio, vbi pater & frater erant humati, ſed hæc in ſequentem annum minimùm proroganda. Perempto Odone, qui contra Henrici Regis voluntatem contra Alamannos, & Lotharingos ad bellum properarat, Tetbaldus Carnotenſium & Turonenſium, ac Stephanus Meldenſium, & Tricaſſinorum Comites, filij ipſius more ſuorum maiorum, qui ſemper infidi Regibus extiterunt, contra Regem eundem rebellarunt, Odonem fratrem illius falſa ſpe regni illicientes. Qui pollicitationibus eorum credulus fratri manifeſtus factus eſt inimicus. Exin cædes, rapinæ, incendia, depopulationéſque per vniuerſam Franciam. Rex verò Dei adiutus auxilio contra fratrem arma corripiens, eum in quoddam municipium fugere compulit, quem cum aliquantis complicibus cepit, Aurelianíſque in cuſtodia depoſuit. Cum Stephano etiam congreſſus vicit eum, fugauit, multis de ipſius exercitu captis, in quibus retentus eſt Comes Rodulfus, in quo tota vis factionis ſita erat. In Tetbaldum quoque Gaufredum Andegauenſium Comitem animans, effecit eum ſibi acerrimum inimicum. Hic, vt monebimus ſuo loco, Turonicam vrbem exercitu circumdat, commiſſóque cum Tetbaldi eiuſque fratris cohortibus certamine victor, ipſum cum maxima multitudine capit: dein reuerſus ad obſidionem, Turonenſem vrbem ſuo mancipauit iuri, quam vſque hodie Comites poſſident Andegauenſes, inquit Auctor Fragmenti Hiſtoriæ Francicæ, qui etiam ſubdit Stephani paulo poſt mortui filium Odonem à Tetbaldo patruo hæreditate priuatum ad Comitem Normannorum confugiſſe, qui ei vxorem, & aliquas dedit poſſeſſiones: Regem verò Hugonis Bardulfi Petuerenſe caſtrum incluſis inediâ conſumptis ad deditionem compuliſſe, caſtróque recepto ipſum expoliatum à tota perturbaſſe Francia, quod ex aliis ſcriptoribus antea exhibuimus, adeò omnia ſunt in noſtratibus hiſtoriis hoc ſæculo intricata. Videndus quoque alter Anonymus pag. 97. Tomi IV. Ducheſniani, qui addit ab Henrico poſthæc deuictum etiam Metlandicum Galerannum, & exhæredatum. Veremundo Rege Legionis occiſo Ferd. Caſtellæ Rex,

qui Mauris eripuisse dicitur Conimbricam auxilio Ebali Roceiensis Comitis aliorúmque Francorum, anno Henrici Regis 6. Æra Hispanica 1075. in Ecclesia S. Mariæ Legionensis vnctus est in Legionensem Regem à Seruando eiusdem vrbis Episcopo ex Lucâ Tudensi: alij enim inauguratum volunt die 22. Iunij feria 5. anni sequentis, atque inde regnasse annis 28. cum dimidio. Babylonem solo æquatam Scaliger monet in Animaduersionibus ad Eusebium. De Edessâ verò à Saracenis frustra oppugnatâ, déque fratribus Saracenis de Siciliæ principatu contendentibus, consule Cedrenum, Zonaram, *&c.*

Anno Christi MXXXVIII. *Henrici Regis* 11. *Monarchæ* 7. *die* 18. *Ianuarij bellum cruentissimum fuit actum inter Odonem seniorem Ducem Dolensem, & Episcopum Aymonem, & Vicecomitem Gaufridum Bituricensem, qui ab Odone victi sunt. Nam vbi phalangas eius eorum exercitus aspexit, nimio terrore correpti cum suis Principibus in fugam conuersi se præcipites in flumine, quod dicitur Carus, vnus super alium dederunt: in quo diuersis modis expirantes per alteram diem plus quàm mille reperti sunt, exceptis iis, quos gladius trucidauit. Ipse verò Episcopus in prælio vulneratus armis relictis cum aliis fuga elapsus euasit. Castrum, quod vocatur Castellus-nouus, captum à Radulfo filio Odonis Senioris, pro quo frater eius interfectus fuerat Ebbo, ex Chronico Dolensis cœnobij pag.* 316. *Nouæ Bibliothecæ. Henricus Lamberti II. Comitis Louanienſis frater natu maior Mathildis Hermanni Einhamensis Comitis filiæ maritus, domi suæ perimitur ab Harmanno captiuo die* 5. *Augusti, éique succedit filius Otho. Cui immaturâ morte præuento succedit patruus eius Baldricus, qui & Lantbertus, teste Sigeberto. Is verò dicitur fundasse Bruxellis Collegium Canonicorum. Reginardus Leodiensis Episcopus obiit die* 5. *Decembris Episcopatus anno* 15. *completo. Ei suffectum fuisse ante biennium Nithardum mendosè scripsit Sigebertus, cùm anno dumtaxat sequenti fuerit subrogatus. Rambertus Virdunensis Ep. Hierosolymam vadens villâ Bellograda obiit Pontificatus sui anno* 14. *relictúsque à Clericis tempore successoris sui Ricardi sepultus est in Monasterio Virduni, ex Hugone Flauiniacensi pag.* 186. *Nouæ Bibliothecæ, vbi etiam annotatur obitus Amadei Abbatis Flauiniacensis* 14. *Kal. Aprilis.* Conradus Imperator cùm Parmæ Natalem Domini celebrasset, ac ciuitas ob rebellionem directa atque igne ferróque vastata fuisset, Pascha in castello Stella feriauit, quo fermè tempore Mediolanensis Ar-

chiepiſcopus ab Apoſtolico Pontifice à cœtu fidelium ſegregatus, in ſua nihilominus obſtinatione perdurauit, & Imperatori per præſentem ſequentémque annum pro poſſe incommodauit, inquit Auctor Chronici Hildensheimenſis, ex quo aliiſque, Hermanno nimirum, Hepidanno, ac ſimilibus diſcimus obiiſſe. I. Godehardum Ep. Hildensheimenſem 3. Nonas Maij feria 6. poſt Aſcenſionem Domini. II. Luidolfum Comitem priuignum Imp. 9. Kalendas Maij. III. fratrem eius Herimannum Alemaniæ Ducem 16. Kal. Iulij Tridenti ſepultum, cuius Ducatum cum regno Burgundionum Imperator filio ſuo Henrico donauit, ipſis eiuſdem Regni Principibus cum iuramento fidem dantibus. IV. Cunihildem Reginam eiuſdem Henrici vxorem 15. Kal. Auguſti. Obiit quoque die 15. Auguſti Budæ S. Stephanus Hungariæ Rex, & in Templo quod B. Virgini in cælum Aſſumptæ in Alba-regali erexerat ſepultus eſt, cùm annis 38. regnaſſet, ac Petrum ſororis ſuæ filium pro ſe Regem conſtituiſſet, quem poſtea ſubditi ob nimiam crudelitatem regno eiecerunt, vt ſuo loco monebimus. Plura de his dabunt Chartuitius, Bonfinius, Inchoferus, *&c.* Hic verò omnino diſplicet dum Petri patrem & Sarolæ Stephani Regis ſororis maritum Guillelmum Germanici ſanguinis Principum coniicit nulla ratione fultus fuiſſe Guillelmum Comitem Pictauienſem, cuius filiam Agnetem Henricus III. Conradi II. Imp. ex Gyſela nobiliſſimæ ſtirpis Carolorum matrona natus coniugem habuit. Enimuerò procul à Germania habitarunt Pictauienſes Comites in media Aquitania ad Oceanum ſiti. Imperator in peruigilio Pentecoſtes Capuam venit, eiectóque Pandulfo, qui Caſſinenſibus viciniſque plurimas intulerat moleſtias, ex Italia reuerſus in Germaniam ac Burgundiam, regnum illud, vt modò inſinuauimus, cum Ducatu Sueuiæ filio ſuo commiſit. De Theſſalonicenſi Epiſcopo pecuniam famis tempore abſcondente, & de Bretiſlao Poloniæ vaſtatore, qui Gneſna corpus S. Adalberti Pragenſis Ep. abſtulit, vide Baronium, & de Maniace ab Imp. C P. miſſo in Siciliam aduerſus Saracenos, Cedrenum, Curopalatam, Zonaram, ſimiléſque Græcos, & Leonem Oſtienſem lib. 2. cap. 68. de corpore ſanctæ Luciæ Syracuſis in theca argentea C P. cum omni honore, & reuerentia tranſmiſſo.

Anno Christi MXXXIX. *Henrici Regis* 12. *Monarchiæ* 8. *sub die Kalendarum Ianuarij, Indictione* 7. *Benedictus Episcopus Auenionensis, Clericis Trauialdo, Odoloni, Pontio, & Durando tradidit Ecclesiam S. Ruffi sitam in territorio Auenionensi subtus burgum ipsius ciuitatis, cum decimis, oblationibus,* &c. *consentiente Berengario Proconsule Auenionensi, qui tum pro Imperatore omnia administrabat, vnde emersit nouus Ordo Canonicorum S. Ruffi. Falempinensis Abbatia in diœcesi Tornacensi fundata, vt disces ex cap.* 86. *Notitiæ Mirai. Augusto verò mense rogatu Nithardi Leodicensis Episcopi SS. Episcoporum Monulfi, & aliorum ossa leuata sunt Traiecti ad Mosam à Gerardo I. Cameracensi Ep. ibidémque consecrata Basilica S. Seruatij, teste Balderico lib* 3. *cap.* 56. *Sigebertus confundit omnia hoc anno, & in Eclipsi Solis fœdè aberrat, quæ contigit die* 22. *Augusti feria* 4. *ex Glabro lib.* 4. *cap.* 9. *cuius editionem Ducheſnianam emendauimus in Chronico Technico versis IV. in VI. &* 1037. *in* 1039. *Post annos VI. facta est Eclipsis Solis vndecimo die Calendarum Septembrium feria* 4. *hora* 6. &c. *Eodem anno cum Conradi Imp. obitu adiungit biennio seriùs mortem Vvillelmi Pictauorum Comitis, qui liberatus fuerat multis pecuniis à captione, qua eum Fulconis filius Gosfredus cognomento Martellus, in prœlio captum spatio III. seu potius V. annorum tenuerat. Hugonis quoque Antissiodorensis Ep. viri nominatissimi mortem subiicit, de quâ certiora disces ex Historia Præsulum Antissiodorensium, quam edidimus Tomo I. Nouæ Bibliothecæ.* In Historia Landgrauiorum Thuringiæ c. 11. extat priuilegium Conradi, seu charta de donatione facta Ludouico cum Barba, quem volunt fuisse Caroli Ducis Lotharingiæ Aurelianis mortui ex Agnete filium, ob interuentum Giselæ contectalis suæ 5. Kal. Maij Ind. 7. imperij sui 13. regni 15. Vbbo Emmius pag. 79. rerum Chronologicarum refert diploma datum hoc anno 1039. Conradi 14. imperij 12. sed diem non adscribit, & in indictione errat, quam malè XII. pro VII. ponit: subiungit verò alterum paulò emendatius concessum Bernolfo Vltraiectensi Episcopo de prædio in ciuitate Groninga sito, in quo tempora sic signata: Datum XII. Kalendas Indict. 8. anno D. N. I. C. 1040. ordinationis Henrici Regis 13. regni 1. Imperator, inquit Chronicon Hildensheimense, Nuuimagi tempus Quadragesimæ, sanctum Pascha, & Ascensionem Domini podagra laborando transegit: vnde ad celebrandam Pentecostem Traiectum ad Rhenum, siue Vltraiectum Frisiæ, venit: sequenti verò die feria 2.

hora diei 6. pridie Nonas Iulij mensæ reficiendi gratia assidens subita defectione præreptus, vixdum confessionis sententiâ prolata flebiliter expirauit, & Spiræ in Cathedrali Ecclesia conditus est. Errant ergo qui morti eius ipsum Pentecostes diem, aut feriam tertiam adsignant, vt fecimus in Chronico Technico. De eadem re vide Wipponem, Hermannum, Hepidannum, Hugonem Flauiniacensem, Lambertum, Glabrum, qui minùs emendatè apud Saxoniam defunctum meminit, & pag. 55. obiisse tradit anno Christi 1041. quo terminus Paschalis 12. Kalendarum Aprilium, & Pascha fuit 11. siue 22. Martij, &c. Successit Henricus, Niger dictus, siue III. filius ipsius iam à patre suo constitutus Rex: & cum Hereberto Mediolanensi Archiepiscopo aliisque Italis pacem composuit. Godefridus Viterbiensis, atque ex eo aut simili aliquo fabulatore Vincentius Beluacensis, S. Antoninus Florentinus Archiep. & alij næniam ridiculam narrant, quòd Henricus Conradi non filius sed gener fuerit, quam veteres omnes ac sani repudiarunt hactenus. Conradus Carentanorum Dux patruelis defuncti Imperatoris 13. Kal. Augusti regio morbo diu fatigatus discessit. Theodoricus Hollandiæ Comes Hierosolymis moritur die 27. Decembris cùm præfuisset annis 46. succedente filio cognomine. Haraldo Anglorum Rege anno regni 4. defuncto suscipit regnum frater eius Hardenutus Daniæ Rex, qui etiam dicitur Canutus iunior, & Edoardum ex Emma vterinum fratrem Ethelredi Anglorum olim Regis filium ex Normannia euocauit, ac consortem regni sui fecit, ex Malmesburiensi, Rogerio, aliisque. Africani Saraceni iterum vincuntur in Sicilia à Græcis Normannísque. Decretum apud Venetos hoc primùm anno factum volunt, vt electione deinceps Duces crearentur. Multa quoque anno seq. instituta memorantur ab Vrso Patriarcha, Episcopis, & Duce Dominico Flabanico ad sartam tectam Ecclesiæ disciplinam, &c.

Anno Christi MXL. *Henrici Regis* 13. *Monarchæ* 9. *Fulco, Nerra dictus, Andegauorum Comes, qui ter Hierosolymam perrexerat, veniens ad Metensem vrbem ibidem obiit* 9. *Kalendas Iulij, eiúsque corpus ad monasterium Lucacense, quod ipse construxerat, delatum est, atque in eodem honorificè sepultum, vt docent Glaber extremo cap.* 9. *lib.* 4. *& Chronica Andegauensia. Filius eius Gaufridus Martellus interfue-*

rat Dedicationi Monasterij S. Trinitatis Vindocinensis factæ Indict. 8. regnante Henrico Rege Francorum anno 9. pridie Kalendas Iunij, quod cum Comitissa Agnete de rebus propriis ædificauerat. Adfuerunt cum alijs pluribus Arnulfus Turonensis Archiepiscopus, Amelius Albiensis Ep. Durandus Abbas S. Gildasij, & Odo Dolensis. Cæteros lege in instrumento super ea re edito cum operibus Goffridi Vindocinensis Abbatis à R. P. Iacobo Sirmondo. Eiusdem meminit Chronicon Malleacense. Henricus Rex Germaniæ regnique Lotharienſis, Nithardo Ep. Leodiensi confirmat Comitatum Hasbanienſem, seu Lossensem, aliúdque diploma concedit pro Niuellensi Cœnobio. Idem Princeps aduersus Odolricum siue Pezpremonem, aut Presłaum Boëmanorum Ducem profectus in silua, per quam ad eum iter suum disposuerat, plerosque de suis non infimos perdidit, atque in eis Comitem Verinerum, vt docent Hepidannus, Sigebertus, Lambertus, &c. Obiit Alanus Dux Britanniæ filius Gaufredi Kal. Octobris, succeßítque ei Conanus filius eius, quem genuit ex Berta sorore Theobaldi Comitis Turonensis, ex Chronico sancti Michaëlis in Periculo maris pag. 350. Nouæ Bibliothecæ. Raynaldus Comes Antissiodorensis Landrici Comitis Niuernensis filius, qui filiam Roberti Regis duxerat vxorem, à quodam milite generis infimi audacter interemptus est. Hunc ait Glaber cùm ob audaciam præpropere sibi funus imminere pertimesceret, Abbatiam in honore Domini Saluatoris constructam Monasterio B. Germani ex integro possidendam restituisse, in quo etiam sepultus est. Locum certaminis Siluiniacum alij, alij Saigniacum, aut Seligniacum vocant. Vide pagg. 396. & 400. eiusdem Bibliothecæ, vbi dicitur Comitatus Antissiodorensis gratiâ bello cum Duce Burgundiæ conflixisse, occisúmque Guillelmo filio triumphum simul & hæreditatem reliquisse. Smyrna ferè tota terræ motu corruit mense Februario. Maniaces Dux 50. Saracenorum millia vno prœlio in Sicilia profligat, sed in eius locum submisso Stephano homine imperito, Saraceni Siciliam iterum excepta Messana occupant, & Normanni duce Arduino in Apuliam redire coguntur: plura de his dabunt Cedrenus, similésque Græci, qui & Bulgarorum rebellionem duce Petro, & Dyrrachij, aliarúmque vrbium expugnationem, militúmque ab Imperatore defectionem, ac thesauri eius direptionem adiungunt. Occiso Duncano seu Donaldo Scotorum Rege, vel vt alij obseruant in Bithynia mortuo, regnum inuadit Macbetus seu Machabæus tyrannus ad annos 17. de quo præter Marianum, cuius hæc sunt verba: Donchad Rex Sco-

tiæ occiditur à duce ſuo. Magſinloech ſucceſſit in regnum eius. Conſule Hectorem, Maiorem, Leſlæum, Buchananum, cæteróſque recentiores. Obiit S. Cunegundis Auguſta die 3. Martij, ex Baronij ſententia Indictione labente 8. nam Chronicon Hildensheimenſe, Sigebertus, & alij mortuam aſſerunt anno 1033.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MXLI. *Henrici Regis* 14. *Monarchæ* 10. *contigit ipſo in tempore, inquit Glaber lib. 5. cap. 1. inſpirante diuina gratia primitus in partibus Aquitanicis, deinde paulatim per vniuerſum Galliarum territorium firmari pactum propter timorem Dei pariter, & amorem, taliter vt nemo mortalium à feriæ quartæ veſpere vſque ad ſecundam feriam incipiente luce auſu temerario præſumeret quippiam alicui hominum per vim auferre, neque vltionis vindictam à quocumque inimico exigere, nec etiam à fideiuſſore vadimonium ſumere. Quòd ſi ab aliquo fieri contigiſſet contra hoc decretum publicum, aut de vitâ componeret, aut à Chriſtianorum conſortio expulſus patria pelleretur. Hoc inſuper placuit vniuerſis, veluti vulgò dicitur vt Treuga Domini vocaretur. Et hoc ſatis iuſtè. Nam ſicut Dominicus dies propter Domini Reſurrectionem, venerabilis habetur, & octauus cognominatur, ita quintus, ſextus, & ſeptimus ob Dominicæ Cœnæ, & eiuſdem Paſſionis reuerentiam debent ab iniquis actionibus eſſe feriati. De eadem agit Hugo Flauiniacenſis pag. 187. Nouæ Bibliothecæ his verbis.* Henricus recepto regno Auſtraſiorum apud Byſuntinum, ſiue Veſontionem electione Cleri, & populi firmatum Odelricum Lingonenſem Archidiaconum ſpecioſis ornatum indumentis ad Lugdunenſem deſtinauit ſedem. Anno ipſo Treua Dei primùm ſtatuta eſt, & firmata. Quam cùm noluiſſet recipere gens Neuſtriæ, viro Dei Richardo Virdunenſi Abbate prædicante, & vt eam ſuſciperent, quia voluntas Domini erat, & à Deo, non ab homine, decretum hoc proceſſerat, admonente, diuino iudicio cœpit in eos dæſæuire ignis, qui eos torquebat, & eo anno ferè totus orbis penuriam paſſus eſt pro raritate vini & tritici, ſequuta eſt mortalitas hominum præmaxima, *&c. quæ ſubtexit.* Henricus Germaniæ Rex, nouo collecto exercitu, & per orationes ſanctorum virorum auxilio Dei ſibi procurato, Boëmiam cautiùs, quàm antea intrauit, vrbéſque expugnauit, & Ducem Preſlaum ſeu Odolricum, filium ſuum obſidem dare coëgit, ipſúmque

ipsúmque post se venire Radesponam fecit. Petrus Rex Hungarorum à quodam Comite proprio regno expulsus, ad Henricum confugit, qui quamuis ab eo priùs læsus, sortem humanam miserans, solatium rebus & verbis eidem exhibuit. Hungari cùm Petrum sibi non reddi indignarentur, tribus exercitibus in Germaniam immissis prædas ex Baioaria egerunt. Ouonem, Abanum alij aut Obbonem vocant, qui in Petri locum Rex suffectus est. Poloni turbato regni statu Casimirum Regem è Cluniacensi monasterio, vbi iam in Diaconum fuerat consecratus, reuocant, dispensante Romano Pontifice conditionibus illis, quas ex Longino, Dugloſſo, Chromero, aliisq; Scriptoribus Polonicæ Historiæ referunt Baronius, Inchoferus, *&c.* Regnauit annis 18. Normanni Duce Arduino Græcos ex Italiâ pellunt, & Apuliam occupant: Vide Leonem Chron. Cassinensis lib. 2. cap. 68. Pandulfus lib. 3. ait initum certamen inter Aufidum flumen, & Oliuetum castrum. Michaël Paphlago Orientis Imperator acta de peccatis pœnitentia obiit die 10. Decembris, cùm imperasset an. 7. menses fermè octo. Successit Michael V. dictus Calaphates, ab Augusta Zoe in filium adoptatus, de quibus plura dabunt Curopalates, Cedr. Zon. *&c.*

Anno Christi MXLII. *Henrici Regis* 15. *Monarchæ* 11. *quidam captum Theobaldum Carnotensium Ducem volunt, redditámque Turonensem vrbem Gauzfrido, qui cum vxore Agnete Pictauos venerit. Verùm meliùs ista videntur vsque in biennium differenda. Obiit Nithardus Leodicensis Episcopus 9. Kal. Septembris Ind.* 10. *éique succedit Vvazo, ex Clero S. Lantberti, inquit Sigebertus, vir spiritu sapientiæ, & scientiæ, ac feruore religionis insignitus.* Michael Calaphates Græcorum Imp. cùm Zoen Augustam in exilium eiectam in monialem detonderi iussisset, ortâ populi seditione exauctoratus, & effossis oculis in cœnobium trusus est die 21. Aprilis, cùm imperasset menses 4. & dies aliquot. Succèssit Constantinus Monomachus à Zoe creatus Imp. die 11. Iunij. Henricus Rex cum militibus in Hungariam irruit, & Ouonem siue Vbanem bis vincit, Posoniumque expugnat. Casimirus in Poloniam reuersus Masouiam recuperat. Missus ab Imp. Græco aduersus Seruios exercitus deletur, & Maniaces ab eodem Imp. desciscit, imposita sibi corona. Verùm paulò pòst in prœlio grauiter vulneratus occubuit, ex Cedreno ac

similibus. Hardecnutus Danorum Anglorúmque Rex, postquàm Haraldi fratris ossa è sepulcro iussisset eiici, mediis in epulis apoplexiâ correptus obiit die 20. Iulij feria 3. Successit Alfredus Edelredi filius ad paucos menses, lege latâ, ne quis Danus Anglis imperaret. Obiisse Heliam Scotum pridie Idus Aprilis docet Marianus, & an. seq. Annuchadum similiter Scotum inclusum in mon. Fuldensi, super cuius pedes stans ipse per 10. an. inclusus, quotidie Missas cantauit.

Anno Christi MXLIII. *Henrici Regis* 16. *Monarchæ* 12. *Ind.* 11. *data est Parisiis in aula Regis sub die* 13. *Kal. Iuniarum charta in gratiam Gunterij Fossatensis Ecclesiæ Abbatis, cui subscripserunt Henricus ipse Rex, Mainardus Senonensis Arch. Imbertus Parisiensis, & Frollandus Siluanectensis Episcopi, Rodulfus Comes, Vvillelmus Corboilensis Comes, Iuo Comes Bellimontis, Nanterius Vicecomes, Vvillelmus de Gomez, Baldricus Conestabulus, & Ingenulfus Buticularius, cum Balduino Cancellario. Fames miserabilis per totam Galliam hoc & seq. an. fuit quæ maximam plebis partem inaudito mortium genere consumpsit, inquiunt Chronica Andegauensia, Sigebertus,* &c. *Addit Chronicon Malleacense B. Robertum cœpisse ædificare monasterium suum Casa-Dei in honorem sanctorum Agricolæ & Vitalis, quod ipse primus extruxit, & rexit quindecim annis,* &c. Henricus iterum Hungariam ingressus cum paucis Obbonem Regem de bello fugauit, & lanceam insigne Regis recepit; Petrum verò, quem Obbo expulerat, Hungarorum regno restituit, & Hungariam sibi tributariam fecit, inquit Sigebertus post Glabrum lib. 5. cap. 4. Hepidannum, Hermannum, Marianum, Chronicon Hildensh. Lambertum, *&c. Idem Glaber eiusdem libri cap.* 1. *docet Henricum filium Conradi Regem Saxonum in re, Romanorum verò Imperatorem in spe, duxisse vxorem filiam Vvillelmi Pictauorum Ducis, nomine Agnetem, quam desponsauit in ciuitate Chrysopolitana, quæ vulgò Vesontio vocatur, eóque ob amoris beneuolentiæ gratiam conuenisse maximam nobilium multitudinem, & Episcopos* 28. *Erat autem Princeps affabilitate gratissimus, liberalitate præcipuus, humilitatis gratia præditus, sed proh pudor! incontinentia carnis luxuriæ infirmabatur. Illud enim vitium plus cæteris in genere humano rerum ordinem turbat.* Gisala Imperatrix Conradi Salici vidua mater Henrici dysenteriæ morbo obiit 16. Kalend. Martias & apud Spiram seu Nemeti iuxta maritum sepulta est, quamuis à sortilegis nonnumquam sibi vera prædicentibus decepta filio Re-

gis se superuicturam crederet. *Lilerienſe Canonicorum Templum in Arteſia excitatur à Vvinemaro Lilerienſi Domino, ex cap.* 88. *Notitiæ Miræi.* Alfredo mortuo regnat eius patruus Eduardus ad ann. 24. coronatus ipſo Paſchali die 3. menſis Aprilis. Poſt Alexium die 20. Februarij defunctum Michaël Cerularius creatus eſt Patriarcha CP. die 25. Martij, ex Cedreno, qui etiam narrat Ruſſos à Græcis terra marique cæſos fugatóſque. Normanni verò ereptam Græcis Apuliam inter ſe diuidunt, Guillelmo Aſculum ceſſit, Drogoni Venuſia, *&c.*

Anno Chriſti MXLIV. *Henrici Regis* 17. *Monarchiæ* 13. *Agnes Comitiſſa, inquit Auctor Chronici Malleacenſis, veniens Pictauis cum duobus filiis ſuis Petro atque Gaufredo, vnáque cum vitrico eorum Gaufredo Martello ſuóque marito cum omnibus Pictauorum Optimatibus fecerunt placitum. Vnus eorum Pictauorum Dux ordinatus, alter Comes Gaſconiæ factus; vtrique magna & fortia geſſerunt. Habúitque Gaufredus in vxorem filiam Audeberti Comitis Petracoriæ, quam poſtea reliquit cauſa parentelæ. Subdit Theobaldum captum ab eodem Martello* 12. *Kal. Septembris, redditámque poſt triduum Turonorum ciuitatem: ſed placet exſcribere Glabrum lib.* 5. *cap.* 2. *qui tum viuebat, ſcribebátque ſui temporis hiſtoriam:* Contigit poſt multas ſtrages vtrarúmque partium, Henrici ſcilicet & filiorum Odonis, vt Rex ab eiſdem dominium Turonicæ vrbis daret illud Gozfrido cognomento Tuditi filio Fulconis Andegauorum Comitis. Qui collecto magno exercitu ipſam ciuitatem anno vno, & ampliùs obſidione circumdedit. Aduerſus quem hoſtili manu pergentibus Odonis filiis, ipſe expetiuit auxilium B. Martini, promittens ſe humiliter emendaturum, quidquid in ipſius ſancti Confeſſoris cæterorúmque Sanctorum poſſeſſionibus raptu abſtraxerat. Itaque accepto vexillo S. Martini imponens illud propriæ haſtæ cum exercitu perrexit. Stephanus arrepta fuga cum aliquibus militibus euaſit; Theobaldus verò captus ad Turonenſem ciuitatem deducitur, ipsámque Gozfredo reddidit, & cum ſuis omnibus huc illúcque diſperſis in captione remanſit. Nulli dubium eſt beato Martino auxiliante, qui illum piè inuocauerat, ſuorum inimicorum victorem extitiſſe. Referebant enim aliqui ex acie fugientes, quod tota phalanx militum Gozfredi in ipſo procinctu belli tam equites, quàm pedites candidiſſimis indumentis videbantur adoperti. Nam ex rapina pauperum eiuſ-

dem Confeſſoris ferebant ſupplementum ſuis filij Odonis. Præbuit etiam vniuerſis audientibus formidoloſum ſtuporem, quòd mille ſeptingenti, & eò ampliùs viri armis inſtructi abſque ſanguinis effuſione in prœlio capti ſint, *inquit ille: qui & cap. præcedenti mentionem facit Lunaris deliquij die 8. Nouembris (monuimus enim in Chronico Technico vitio Librarij, vel editoris tam in margine, quàm in textu pro an. 1044. irrepſiſſe 1046. vt paullo ante pro 1043. 1045.) & capite proximè ſequenti, ſcilicet tertio, ſolaris defectus eiuſdem menſis Nouembris die 22. Addítque præter chaſma apparens apud caſtrum S. Florentini ſuper Armantionem fluuium, & ſurſum deorſúmque agitationem Phoſphori, & inter cæteras rerum inopias tantam vini raritatem, vt 29. ſolidorum foret pretium vnius modij, eodem menſe perductas in quibuſdam locis Galliarum præter ſolitum ad maturitatem ſegetes primæ ſationis Auguſti menſis collectas menſe Octobrio. Subiungit poſtea capite quarto diſſenſionem de Præſulatu Lugdunenſi, quæ ad aliquem ex præcedentibus annis haud dubiè pertinet, certè præcedentem, ſi Odolricus electus eſt cum Veſontione Henricus Agnetem Pictauicam duxit vxorem.* Ad hunc quoque annum ſpectat tum grauiſſima obiurgatio Henrici aduerſus Epiſcopos Simoniacæ philargyriæ per Galliam Germaniámque, ac multò ampliùs per totam Italiam cupiditate infames, tum abiecto Benedicto IX. qui Apoſtolicæ ſedi, quæ Vniuerſalis iure habetur in Orbe terrarum, contra ius fáſque ordinatus fuerat puer circiter annorum 12. ex conſenſu totius Romani populi, atque ex præcepto Imperatoris, ſubrogatio Gregorij VI natione Romani, viri religioſiſſimi ac ſanctitate perſpicui, cuius bona fama quidquid prior fœdauerat, in meliùs reformauit, quæ ſunt poſtrema verba Glabri Rodulfi, quem mendosè vulgò omnes exiſtimant hiſtoriam ſui temporis perduxiſſe ad annum 1046. cùm præſentem non exceſſerit, vt planum fecimus. Verùm de Benedicto, Silueſtro, ac Gregorio, quem Gregorius VII. tanquam legitimum Pontificem agnouit in Concilio Romano anni 1080. vide ex Hermanno, aliíſque, Baronium in ſacris Annalibus, Sigebertus corrigendus, qui ſub anni ſequentis periocha hæc adſcripſit, Benedictus ſimoniacè Papatu Romano inuaſo cùm eſſet rudis literarum alterum ad vices Eccleſiaſtici officij exequendas ſecum Papam conſecrari fecit. Quod cùm multis non placeret tertius ſuperducitur, qui ſolus vices duorum impleret. *Ex eiuſ-*

dem atque Hermanni, Lambertíque fide conſtat Gothelone Magno Gotefridi Ardennenſis fratre vtriuſque Lotharingiæ Duce defuncto filium eius Godefridum magnum, dum ei Ducatus Moſellanorum denegaretur, altero Ducatu, nimirum inferioris Lotharingiæ, repudiato, aduerſus Imperatorem rebellaſſe. Qui Gotheloni Ignauo dicto illius fratri Inferiorem Lotharingiam commiſit, Superiorem verò tradidit non Gerardo Alſatico Adalberti Comitis Metenſis filio, de quo dicemus poſtea Theoderici Strenui patre (à quo Sereniſſimorum Lotharingiæ Ducum deducenda eſt origo nobiliſſima, non verò à ſuppoſititio quodam Guillelmo Vaudani monſis Comite, quem eruditi omnes Genealogi à 30. & quod excurrit annis duce noſtro Sirmundo, & poſt eum Godefredo, Fabróque Canterello, exploſerunt: ſed de iis alius erit dicendi locus.) Verùm Adalberto Duce, quem, verba ſunt Schafnaburgenſis, prælio victum occidit, cædes hominum, & depopulationes agrorum, quammaximas fecit, loca omnia vſque ad Rhenum præter ea, quæ vel murorum præſidio hoſtilem impetum ſubterfugiebant, vel ſe data pecunia redemerant, in cinerem redegit: Haſpra teſte Miræo inter Camaracum, & Valentinianas ſita attribuitur Vedaſtinis Monachis, dato Rotomagi diplomate ex cap. 88. Notitiæ, verùm cùm ſubſcripti reperiantur Ricardus Normanniæ Comes, & Robertus Arch. Rotomagenſis eius frater ac Ricardus Ricardi filius, &c. non video quo demum miraculo fuerint excitati, qui iam à pluribus annis è vita migrauerant. Hepidannus in victoria Henrici de Hungaris deſinit. Rex contractis vndique auxiliis in Pannoniam proficiſcitur, cui cum infinita multitudine occurrit Vban ſiue Obbo Regulus. Nec mora Henricus prœlio victor nihil cunctatus vrbem aſcendit, vbi vxorem fugientis victíque Principis, & filios cum ingenti pecunia comprehendit. Petrum verò ſolio regni reſtituit, & re benè geſta in Saxoniam rediit. Hæc ille, cui ſubnectunt Marianus, Chronicon Hildensheimenſe, Henricum reuerſum ab hac expeditione Conſtantienſi Synodo affuiſſe, vbi cunctis debita dimiſit, pacémque in omnibus regni ſui prouinciis regia cenſura per edictum confirmauit. Deinde Agnetem Willelmi Pictauenſis Principis filiam Reginam apud Mogontiam vngi faciens regalibus ſibi nuptiis in Ingilenheim copulauit: Vnde infinitam hiſtrionum & ioculatorum multitudinem ſine cibo, & muneribus vanam, & mœrentem abire permiſit. Addunt Luipoldum Marchionem Adalberti filium poſt maximam Hungarorum cladem immaturè obiiſſe. De eodem anno ſu-

periori Hermannus, qui addit Treueri à patruo suo Poppone Archiep. sepultum. *Ludouicus Comes, inquit idem, Reginoldum Principem Agnetis Reginæ auunculum sed Henrico Regi inimicum, dum quoddam castellum eius, quod Mons Peligardæ dicitur, magna cum manu expugnare pararet cum parua militum suorum copia pugnam iniens vicit. Fragmentum Historiæ Francicæ pag. 87. Tomi IV. Duchesnianæ Collectionis vtriusque supradictæ Eclipseos meminit, adiungítque eodem anno in pago Aureliano inuentos fuisse duos panes sanguine madentes, vnum subcineritium, alterum in clibano coctum. Deinde Regem Henricum post Mathildis Reginæ hoc circiter tempore defunctæ humationem accepisse aliam coniugem filiam Iuriscloht Regis Russorum, nomine Annam, quæ ei genuit tres filios Philippum, Hugonem, Robertum, qui puer obiit. De iisdem nuptiis hæc habet Continuator Aimoini cap. 47. lib. 5. Idem Rex Henricus neptem Henrici (meliùs Conradi) Alemannorum Imperatoris duxit in vxorem, ex qua filiam vnam procreauit, quæ infra lustrum defuncta est, matre eius paullo post subsequente. Post cuius obitum Rex sibi quærens coniugij solatium ad Ruthenorum Regem, Galcherum cognomine Saueir, Meldensem Episcopum direxit, postulans, vt ei suam mitteret filiam Annam: quam conuocatá regni sui Procerum multitudine celebriter duxit in vxorem. Addit illam apud Siluanectum Ecclesiam in honore S. Vincentij construxisse, triúmque liberorum fuisse matrem.* De C P. populi aduersus Constantinum Monomachum seditione à Zoe Augusta eiusque sorore Theodora sedata, vide Cedr. aliósque.

Anno Christi MXLV. *Henrici Regis* 18. *Monarchæ* 14. *Agnetem Germaniæ Regi Vesuntione desponsam, ex corrupto Glabri, quem sanauimus, loco quidam volunt. Godefridus, testibus Sigeberto, Hermanno, Lamberto, Chronico Leodiensi, &c. hortatu quorumdam Dei fidelium ad recuperandam Imperatoris gratiam adductus, ab Imperatore capitur, & custodiæ in Gibekenstein mancipatur, datóque in obsidem filio seq. anno relaxatur. Quo defuncto in obsidatu ad rebellandum grassatur.* Petrus ab Henrico restitutus in regnum Vbam siue Ouonem regni sui Hungarici æmulum atque insidiatorem captum decollauit, inquit Lambertus, quo etiam auctore discimus Henricum Goslariæ Natalem Domini celebrasse, vbi & socrus eius de Pictauis cum primoribus gentis suæ aderat. Otho Palatinus Comes Dux Alemaniæ constituitur. Guntherus S. Stephani Hungariæ Regis cognatus, qui fuerat Monachus Altahensis, in quadam Boëmiæ silua, vbi vitam age-

bat eremiticam ab an. 37. ſancto fine deceſſit hoc, vel poſt ſeq. annum, ex Lamberto Schafnab. Hermannus ait Autumnali tempore ad Chriſtum migraſſe, & in Praga Boemiæ vrbe ſepultum quieſcere. Idem auctor de periculo Imp. veteri cadente ſolario, & morte Brunonis Wirtzburgenſis Ep. & de condicto apud Triburiam Regali colloquio plura: pauciora de Reginolt, & Gerolt Burgundionibus, qui eidem Regi apud Salodorum ad deditionem venerunt. Monachi Caſſinenſes capto Normannorum Principe ſua recuperant, ditionémque ſuam ab eorum iniuriis defendunt, vt pluribus narrat Leo Oſtienſis.

Anno Chriſti MXLVI. *Henrici Regis* 19. *Monarchæ* 15. *Hildegardis Comitiſſa Andegauorum Kal. Aprilis obiit bona & religioſa, & apud S. Nicolai monaſterium ſepulta eſt, vbi & maritus eius Fulco. Interea mater Comitum Agnes cum ſuo marito Gaufredo Andegauim reuerſa ibidem conſtruere fecit cœnobium in honore S. Trinitatis ex Chronicis Andegauenſi pag. 276. Nouæ Bibliothecæ, & Malleacenſi, quod teſtatur eodem tempore Monaſteria S. Mariæ Nucarienſis, ſanctæ Crucis Kemperlenſis, S. Crucis Talemonenſis, S. Benedicti Nantolij fuiſſe inchoata. Theodorico Metenſi Ep. defuncto ſuccedit, teſte Sigeberto, Adalbero fratruelis eius, vir magnæ prudentiæ & ſanctitatis. Obiit Ricardus Gratia-Dei dictus, Abbas S. Vitoni Virdunenſis ſanctiſſimus die* 14. *Iunij; die verò octauo Idus Nouembris Ricardus eiuſdem vrbis Antiſtes, de quibus conſule paginas* 189. 190. & 401. *Nouæ noſtræ Bibliothecæ. Eccleſia S. Gertrudis Niuigellenſis, quæ ante aliquot annos poſt iniuriam effuſi ſanguinis Domini concremata fuerat, in nouam reædificata benedicitur, præſente Henrico, quem credunt Paſcha Vltraiecti ſiue apud Traiectum Friſiæ celebraſſe, vbi nonnulla eripuit Theodorico IV. Hollandiæ Comiti, (Hermannus ait nauali expeditione in Phlatirringam freto traiecto eripuiſſe illi pagum quemdam quem ſibi vſurpauerat, vnde poſtea rebellionis cauſam ſumpſerit) dein Aquiſgrani Pentecoſten, vbi Godefrido Duci relaxato è cuſtodia Ducatum Moſellanorum miſertus reddidit, conſtituto in locum Gothelini Ignaui, qui paullo ante obierat, Lotharingiæ Inferioris Duce Friderico Adalberonis Metenſis Epiſcopi, & Henrici Baioariæ Ducis fratre, ex Hermanni Contracti Chronico. Lambertus de eodem hæc habet: Dux Godefridus cuſtodia abſolutus dum videret nec interceſſionem Principum nec deditionem, quam ſponte ſubierat, ſibi aliquid profuiſſe, & rei indignitate, & inopiæ familiaris tædio permotus, bellum rurſus de integro*

ſumpſit. Inter alias quas reipublicæ intulit clades Neomagum domum regiam miri & incomparabilis operis incendit, ciuitatem Virdunenſem cepit, maiorem in eâ Eccleſiam concremauit. Sed poſt modicum facti in tantum eum pœnituit, vt publicè ſe verberari faceret, capillóſque ſuos, ne tonderentur, multa pecunia redimeret, ſumptus ad reædificandam Eccleſiam daret, & in opere cæmentario per ſeipſum plerúmque vilis mancipij miniſterio functus deſeruiret. Eius inſtinctu Balduinum Comitem Flandrenſium contra Imperatorem rebellaſſe teſtis eſt Sigebertus. Alij addunt Henricum Regem Francorum Aquiſgranum inuadere molientem à Vvazone Leodienſi Epiſcopo cohibitum. De Henrici Imperatoris Romam aduentu eiúſque in die Natali Domini coronatione cum Agnete coniuge ſua à Clemente II. Romano Pontifice, multi multa: Hermannus Contractus, Lambertus Schafnaburgenſis, Chronicon Hildensheimenſe, aliíque, ex quibus hæc habet Gemblacenſis Monachus Sigebertus, Romæ vno contra duos, & duobus contra vnum de Papatu altercantibus, Rex Henricus contra eos Romam vadit, & eis Canonica & Imperiali cenſura depoſitis, Suidigerus Babenbergenſis Ep. qui & Clemens, Romanæ Eccleſiæ præſidet, & ab eo Rex Henricus benedicitur, iurantibus Romanis ſe ſine eius conſenſu numquam Papam electuros. Verùm de his omnibus conſulendis Baronius, qui & de Petro Damiani agit à Clemente ex Auellenſi eremo euocato, vt aduerſus Simoniacam labem, aliáque Clericorum vitia depugnaret. Hungari rebelles inſurgunt aduerſus Regem ſuum Petrum, quem Andreas propinquus dolo circumuentum excæcauit. Gerardus quoque Chanodienſis Epiſcopus, dum furenti populo, & ad idolorum cultum atque impietatem præcipiti reſiſtere parat, occiſus eſt hoc, vel vt alij malunt anno ſequenti, de cuius vita nonnulla habet Surius & Martyrologium Romanum 24. Septembris. Magnus Olai à Canuto olim pulſi filius Noruegiam recuperat, pulſo Sueino Danorum Rege, ex Rogerio, aliíſque. Leo Tomitius aduerſus Conſtantinum ab exercitu ſalutatus Imp. Hadrianopoli, obſidet CP. & tantumnon capit: ſed à militibus paulo poſt deſertus oculis priuatur in feſto Chriſti Domini Natali, vt docent Byzantinæ Hiſtoriæ Scriptores.

Anno Chriſti MXLVII. *Henrici Regis* 20. *Monarchæ* 16. *ex fide Chronici Malleacenſis, & S. Sergij Andegauenſis Kalendarij fuit* 6. *Ka-*

6. Kalendas Iulij Dedicatio ſancti Saluatoris apud Karrofium. Verùm quæ ſequuntur manifeſtè cum hoc anno pugnant, His diebus, inquit Anonymus, poſt Clementem Papam Damaſus ſuccedit. Cui Leo nonus Papa ſuccedit. Qui dedicationem præcepit fieri, & altare ſacratum miſit, quam fecerunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi numero tredecim circumquáque viciniarum. Extitit autem temporibus Leonis Papæ, & Iſemberti Epiſcopi, iunioris Guillelmi Acris Comitis Pictauorum, & Audeberti Comitis Marchiæ, &c. *Eodem quoque anno poſt benedictionem combuſtum eſt monaſterium cum villa, & S. Michaëlis ad Eremum cœnobium conſecratum. Aymo Bituricenſis Archiepiſcopus Aquitaniarum Primas dum Burdegalenſem pro more inſtitutóque maiorum viſitaret prouinciam præſente Gerardo de Gordonio Ep. Petrocoricenſi Abbatiam S. Franconis in eadem vrbe dedicauit, vt fidem faciunt vetera monumenta. Dedicationem quoque S. Ioannis Angeriacenſis hoc anno factum pluribus docet Sirmondus noſter in Notis ad Epiſtolas Goffridi Abbatis Vindocinenſis. Henricus Rex, vt teſtatur Chronici Veteris Excerptum pag. 97. Tomi IV. Ducheſnij, cum tribus tantùm millibus armatorum commiſit bellum cum 30. millibus Normannorum, eóſque ſuperauit, & venerabilem adoleſcentem Vvillelmum magni Normannorum Principis Roberti filium eis vi ſuperpoſuit, quem exhæredare volebant. Verùm de coniuratione Guidonis Comitis Burgundiæ cognati aduerſus Vvillelmum Nothum, & victoriâ Regis apud Vallundunas ſeu Vvalleſdunas vt vocant, plura per otium ſuggerent curioſis Vvillelmus Calculus, Ordericus Vitalis, aliíque Normannici ſcriptores. Halinardus Abbas ordinatus eſt Lugdunenſis Archiepiſcopus in loco, qui dicitur Erbreſtein coram Henrico Cæſare filio Cononis, inquit Anonymus Benignianus pag. 294. Nouæ Bibliothecæ. Godefridus hoc demum anno palatium Neomagi incendit, & irreparabiliter deſtruxit. Vrbem quoque Clauorum, quæ Virdunus dicitur, cum maiori S. Mariæ Eccleſia incendit, ex Sigeberto, quæ nos cum Lamberto iamante biennium retulimus. Franco Scholaſticus Leodienſium, ſcientia literarum, & morum probitate claret, qui ad Herimannum Archiep. ſcripſit librum de Quadratura Circuli.* Nix tanta in Occidente cecidit vt ſiluas frangeret. Poppone Treuerenſium Archiep. defuncto ſufficitur Eberardus Vormatiæ Præpoſitus. Henricus Baioariæ Dux abſque prole defunctus Treueris ſepelitur. Clemens Papa II. obiit nono ſuæ ſedis menſe die 9. Octobris, in Germania, quo Imperatorem fuerat ſecutus, & Bambergæ ſepultus eſt, cúmque Benedictus IX. iterum Romanam ſedem occu-

passet Imperator destinauit mittendum Romam Bopponem siue Popponem Brixiensem Episcopum, vnde quidam primum eius Pontificatus annum exorsi sunt, licèt anni demum sequentis die Iulij 17. Romæ consecratus fuerit: sícque accipiendum existimo Auctorem Historiæ Miraculorum S. Gudilæ, qui sic habet: MXLVII. *anno Incarn. Dominicæ*, XV. *Indictione, Damaso Apostolicam sedem præsidente summo Pontifice, Henrico III. regnante dedicatum est in monte Bruxellæ Templum VI. Kal. Decembris ad laudem nostri Redemptoris in honore S. Michaëlis Archangeli à Gerardo Cameracensi Ep. Lambertus verò qui & Baldricus Comes, Henrico fratri succedens, cuius prudentia tunc cuncta extiterunt illic decenter ordinata eodem die corpus sanctissimum S. Gudilæ de Ecclesia S. Gaugerici cum Episcopo cæterísque sacris Ordinibus leuauit, atque cum summo honore in Ecclesia S. Michaëlis reposuit: & annuente in omnibus vxore sua Oda, quæ fuit Gozelonis Ducis filia, ad seruiendum Deo sanctæque Gudilæ 12. Clericos ibi constituit, & ad vsus eorum ipsam Ecclesiam cum decimis, & alia plura legaliter contulit anno scilicet sequenti, quantum ex Notitia Miræi cap. 89. colligere possumus. Albertus II. Comes Namurcensis Alberti I. & Ermengardis Carolo Duce genitæ filius apud Riuoniam Ardennæ cæsus est. Vxor eius Regelindis Gozelonis Magni filia nupsit postea Frederico Duci, cuius vxor Gerberga Bononiensis obierat.* Henricus Imperator, vt ad eum reuertamur, rebus Romæ compositis inde Beneuentum vicinásque regiones peragrans, castellis quibusdam versus Apuliam receptis, confirmatísque Drogoni Normanno adeptis possessionibus, sanctum Domini Pascha Mantuæ in redeundo celebrauit, Ascensionem verò Augustæ, vbi Epponi Ep. defuncto Henricum subrogauit: deinde exercitum naualem per Rhenum duxit in Frisiam contra Godefridum, eiusque adiutorem Theodericum, ibíque duas vrbes munitissimas cepit, &c. consule Lambertum, Hermannum, apud quem nonnihil de socru Imperatoris aliísque, Leonem Ostiensem, &c. ac de Concilio Romano aduersus Simoniacos à Clemente celebrato Baronium, Biniúmque. Turcos in Mediam Armeniámque irruentes Ambustus Orientis Præfectus astu vincit, auctoribus Cedreno, aliísque. Sueinus verò superatus iterum à Magno Noruegiæ Rege, Daniáque pulsus, post eius obitum eandem recuperauit cum ipsa etiam Noruegia, ex Rogerio ac similibus.

Anno Christi MXLVIII. *Henrici Regis* 21. *Monarchæ* 17. *Albertus siue Adalbertus, qui Ducatum Mosellanorum, verba sunt Sigeberti, Godefrido negatum susceperat, ab eodem Audaci Godefrido perimitur: Ducatúmque eius Gerardus de Alsatia non frater, vt quidam scripserunt, sed alterius Gerardi filius obtinet, alterum verò Ducatum scilicet Inferioris Lotharingiæ, Comes Luzelburgensis obtinebat Fridericus. Hermannus Godefridum Ex-Ducem vocat, qui etiam narrat sanguinem Domini diuina reuelatione Mantuæ inuentum, pluribúsque miraculis declaratum: Henricos quoque Imperatorem Regémque Francorum in Metensi se conuenisse, pacémque iuramento firmasse.* Dum verò S. Michaëlis Archangeli festum idem Imperator Polethæ celebrat, ibi postero die Dietmarus Comes frater Ducis Bernardi, à milite suo Arnoldo accusatus de inito contra Imperatorem consilio, congressúsque cum eo, vt obiectum crimen manu propria purgaret, victus & occisus est, teste Lamberto Schafnaburgensi. Designatus ab anno superiore Romanus Pontifex Poppo Brixinensis Ep. Romam venit ibíque die 17. Iulij acceptis Pontificiis insignibus Damasus II. est appellatus. Verùm paullo post exagitatus à Benedicto IX. & factione Comitum Tusculanorum, Prænestè vicinam vrbem adiit, vbi post 23. à consecratione diem veneno extinctus perhibetur, Benedicto iam quartùm Romanam sedem inuadente. Romani Legationem ad Henricum Imp. in Germaniam miserunt, vt quem vtilem fore putaret, in Vrbem mitteret à Romano clero pro more eligendum. Habebatur tunc Vormatiæ præsente Imp. Conuentus Episcoporum, & Procerum, quos inter & *Bruno Tullensis Præsul ex Dasburgensibus Comitibus, Hugonis Comitis Egisheimensis, & Heluidæ filius*, adfuit. Hunc Apostolico dignum honore cuncti iudicarunt, licèt ipse hoc onus subterfugere omni modo conaretur, rediénsque Vormatiâ Tullum Leucorum, summâ deuotione ibidem Natalem Domini celebrauit, vt docet Wicbertus Archidiaconus in eius vita, quam anno 1615. edidit Parisiis Sirmondus noster. De eodem Sigebertus, qui hoc anno refert obiisse *Vvazonem Leodiensem Episcopum, Popponem Stabulensem, & Olbertum Gemmelacensem Abbates, nam quod ad Odilonem spectat obitus eius in seq. annum differendus est, necnon Gerardi Episcopi Cameracensis, qui contigit* 14. *Martij, succedente Lietberto, de quo Baldricus lib.* 3. *cap.* 65. *&* 66. *Obiit quoque Isarnus Abbas S. Victoris, Mas-*

silienſi ex Chronico eiuſdem cœnobij, & ex quorumdam ſententia die 7. Iunij Berno Augienſis Abbas. Concilia Stampenſe, & Senonenſe ſub Gilduino Archiepiſc. qui cum ſuis confirmauit monaſterium S. Aygulfi Pruuinenſis, à Theobaldo Comite Campaniæ erectum. De Abraamo Turcorum Duce aduerſus Ambuſtum confligente, & de Patzinacis poſt ſuſceptam religionem Chriſti eâ deſertâ, tranſmiſsóque Iſtro in Moſcouiam redeuntibus, Cedrenum ſimiléſque Græcos conſule.

Anno Chriſti MXLIX. *Henrici Regni 22. Monarchiæ 18. Kalendis Ianuariis ad ſuperos abiit Siluiniaci apud Boios S. Odilo Cluniacenſis Abbas ætatis anno 87. de quo plura Petrus Damiani, aliíque, quos vide in Bibliotheca Cluniacenſi. In eius locum iuſſu Odilonis & electione omnium fratrum ordinatus eſt Hugo nobilis paſtor vitæ merito non diſſimilis, qui ad annum vſque 1109. Cluniacenſem rexit Abbatiam: vt miraculo proximum ſit duos illos Abbates ſpatium annorum ferè 115. tenuiſſe, tréſque Galliæ Reges Robertum Henricum atque Philippum centum ac viginti annis imperaſſe. Bruno Leucorum Ep. Tullo profectus venit Cluniacum Pontificio ornatu inſignis, cúmque omnes illi vt ſummo Pontifici ſolitos præſtarent honores,* vnum ferunt Hildebrandum Monachum æmulatione Dei plenum conſtanter eum de incepto redarguiſſe, cùm illicitum eſſe diceret per manum Laicam ſummum Pontificem ad gubernationem totius Eccleſiæ violenter introire. Verùm ſi ſuis credere velit conſiliis vtrumque, & quod Maieſtas Imperialis in ipſo non exacerbetur, quodque libertas Eccleſiaſtica in electione canonica renouetur. Inclinatus ille, inquit Otho Friſingenſis lib. 6. cap. 33. ad monitum eius purpuram deponit, peregriníque habitum aſſumens Romam venit, factáque à Clero & populo electione die Februarij 12. Dominica prima Quadrageſimæ coronatus eſt omnium aſſenſu Romanus Pontifex dictus Leo Nonus, ac illum ipſum Hildebrandum, quem itineris Comitem habuerat, inter S. R. E. Cardinales cooptauit. Paſcha ibidem celebrauit die 26. Martij: Contra Simoniacos Romæ & Papiæ Synodos coëgit, & poſt Pentecoſten in Germaniam per *Montem Iouis* contendit ad componendum Eccleſiarum ſtatum & pacem *Belgicæ Galliæ* reddendam ſedatis motibus quos *Balduinus* & *Godefridus* concitarant. Coloniæ Agrippinæ Imperatorem conuenit, & Colonienſi Eccleſiæ petente Herimanno Archiepiſcopo conceſſit, vt ad altare

S. Petri ſeptem Preſbyteri Cardinales in Sandaliis quotidie diuinum celebrent officium, addito eidem eiúſque ſucceſſoribus officio Cancellariæ Romanæ ſedis, tributáque illis Eccleſia S. Ioannis ante Portam Latinam, *Colonia Aquaſgrani, & inde Leodium venit, vnde Fridericum Godefridi Magni Lotharingiæ Ducis fratrem ſecum in Italiam adduxit, qui poſtea Romanus fuit Pontifex Stephanus ordine IX. Stabulenſis ac Malmundarienſis monaſteriorum priuilegia confirmauit 3. Nonas Septembris. Leodio tranſiit in Hannoniam vt Richildem Comitiſſam Hermanno Comiti nuptam inuiſeret, ibíque prope oppidum Bellummontem Sacellum S. Venantij dedicauit, ab Herimaro Abbate S. Remigij Remenſis inuitatus nouam illius cœnobij Baſilicam Kalendis Octobris conſecrauit, ad quam vrbem incredibilis hominum multitudo ad eum viſendum confluxit. Celebratum eſt ibidem Concilium 20. Epiſcoporum & 50. ferè Abbatum, quod hîc integrum exhibere non eſt modò mei inſtituti, vt nec cætera, quæ penes me habeo cum duabus eiuſdem Papæ Epiſtolis, vnâ ad Catholicos per vniuerſum Francorum regnum conſtitutos, alterâ ad Eudonem Britonum Principem, Alanum Comitem, & cæteros Britanniæ Principes, quâ eos excommunicabat non ſolùm propter præſumptionem, qua ſubiici Eccleſiæ Turonicæ dedignabantur, ſed etiam propter ſimoniacam hæreſim*, &c. *Metis quoque petente Guarino Abbate Baſilicam S. Arnulfi dedicauit*, tum Autumnali tempore Moguntiam ingreſſus aliam in ea Synodum Epiſcoporum 42. inſtituit præſente Imp. & Proceribus Germaniæ, vbi Sibeche Spirenſis Epiſcopus de criminibus, quibus impetebatur facta communione ſe purgauit: *& Dux Godefridus interuentu Papæ, & Principum gratiam Imperatoris obtinuit: Balduino pertinacius agente, contra quem Imperator exercitum duxit, Papa Aquiſgrani reditum eius præſtolante, quam in vrbem tandem condicto die flexus Balduinus poſitis armis aduenit, & Imp. ſatisfecit, redditis Camaraco, & Antuerpiâ.* Iis peractis, ac dedicata in honorem S. Crucis apud Augiam Eccleſia poſt Dominicam ante Aduentum profectus per Auguſtam Vindelicorum, & Baioariam tranſiens Natalem Domini Veronæ tranſegit. De quibus omnibus conſulendos moneo Wibertum, Hermannum, Lambertum, Ordericum, Leonem Oſtienſem, &c. quorum nonnulli Baronio Binióque fuerunt ignoti. Idem Hermannus auctor eſt glaciali hyeme viam ſternente nonnullos Principes ac milites à Theoduino Leodicenſi, Bernoldo Vltraiectino, & Adalberone Metenſi

Episcopis adiutos in Fladrilingam (vicum Hollandiæ ad ostia Mosæ infra Roterodamum) venisse, commissáque pugnâ Theodericum Hollandiæ Comitem occidisse, ac prouinciam illam Imperatori subiecisse. Quâ tamen non multo post à Godefrido Magno Duce occupata eumdem ab iis victum vix effugisse, quæ huius anni primordia designant. Aliter omnino mortem Theodorici ex vulnere die 15. Maij narrat Chronicon Magnum Belgicum, quod per ocium si libuerit tibi legendum suadeo. *De consecratione monasterij S. Hilarij Pictauensis ab Arch. & Ep. circa tredecim plura dabit Chronicon Malleacense.*

Anno Christi ML. *Henrici Regis* 23. *Monarchæ* 19. *S. Theobaldus inter nobiles Francorum non infimus clarebat, qui mundo & semetipso abnegatis secutus Christum, inquit Sigebertus, in Vincentia Venetiæ vrbe reclusus, ibi* 12. *conuersionis suæ anno beato fine quieuit miraculis post mortem insignis. Ossa eius in Gallias translata multam multis in locis venerationem meruerunt.* Idem tradit Bardonem Moguntiæ Episcopum obiisse, cuius sanctitas per multam miraculorum gratiam patuit. Hermannus tamen differt in annum sequentem cum Lamberto, vt dicemus postea. Leo Papa Romam ineunte Ianuario reuersus Synodum, quam in Remensi Concilio indixerat, celebrauit post Pascha, in quâ damnata est Berengarij hæresis, & Gradensis sedes Venetias translata cum Patriarchali titulo. Berengarius ad alteram Synodum, quæ Vercellis in Langobardia sub Autumnum coacta est mense Septembri, iussus adesse, non comparuit. *Inde Pontifex Gallias reuisit, suúmque Tullensem Episcopatum, vbi S. Gerardi prædecessoris sui ossa honorificè transtulit*, quo tempore Agnes Augusta Henricum die 11. Nouembris peperit, quem Papa ipse baptizasse dicitur ab auctore Chronici Andegauensis, quod Vindocinense passim dicitur. Sunt qui asserant matrem eius draconem in vtero gestare sibi visam ex Poeta scriptore vitæ Mathildis Comitissæ lib. 1. cap. 18. *Chronicon Malleacense refert Gaufridum Martellum à Leone Papa excommunicatum propter Geruasium Episcopum, quem tenebat captum.* Vormaciam quoque idem Pontifex petiit, vbi peractis Christi Domini Natalitiis Imperatori Henrico valefaciens in Italiam reuersus est, abducens secum Godefricum Ducem, & fratrem eius Fredericum, aliósque quamplures tam Clericos, quàm Laïcos in

re militari probatissimos, quorum virtute Normannis, qui Apuliam occupauerant, obuiam ire parabat, ex Lamberto, Hermanno, Wiberto, *&c. quibus quod ad Berengariũ spectat adiungendi Lanfrancus in libro de Sacramento altaris, & Guitmundus Auersanus libro primo aduersus eumdem Berengarium.* Sweinus Danorum Rex literis Leonis Papæ obsequutus incestas cum sobrina sorore nuptias diremit. Casimirus Polonorum Rex ad Henricum Imp. venit, quem Pascha Vltraiecti celebrasse memorant. Albertus Austriæ Marchio Andream Hungariæ Regem prœlio superat. Turcæ in Mediam irruptione facta cùm commeatu carerent, omnibus incolarum studio in munita loca abductis redire in Persidem re infecta coacti sunt, ex Cedreno, *&c.* Rex Scotiæ Machetad, inquit Marianus, Romæ argentum seminando pauperibus distribuit.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MLI. *Henrici Regis* 24. *Monarchæ* 20. *Balduinus Insulanus Flandrensium Comes Hannoniam inuadit, eáque subactâ Montibus sine Castriloci nuptias celebrat Balduini filij sui cum Richilde Hannoniæ Comitissa Hermanni Comitis vidua, filia atque hærede Ragineri IV. Comitis. Hinc renatum bellum cum Imperatore Hannoniensem Comitatum tanquam Imperij seu Lotharienſis regni feudum repetente. Cúmque Lambertus Louanienſis Comes Flandrensium partes sequutus rebellare moliretur, ab Imp. ad deditionem compulsus est. Francia, inquit Sigebertus, turbatur per Berengarium Turonensem, qui asserebat Eucharistiam, quam sumimus in altari, non esse reuerà Corpus, & Sanguinem Christi, sed figuram Corporis & Sanguinis Christi. Vnde contra eum, & pro eo multum à multis, & verbis & scriptis disputatum est. Vnus ex istis qui aduersus hæresim illam scripserunt, creditur fuisse Theoduinus Leodienſis Episcopus, cuius liber Durando eiusdem vrbis Præsuli malè tributus fuisse quibusdam dicitur.* Imperator Pentecosten celebrauit Podelbrumen, verba sunt Schafnaburgensis, vbi Bardo Archiepiscopus ad Missam habito sermone obitum suum instare prædicens orationi fidelium se commendauit, qui eodem mense decessit 3. Idus Iunias, eíque Lupoldus successit. Addit natum Imperatori filium Henricum IV. Regem 3. Idus Nouembris, de quo anno superiori ex aliis Chronographis; & in Natali Domini quam Polethæ celebrauit, filio suo adhuc catechumeno Principes regni sub iuramento fidem promittere feciſ-

Pontificem tempore Missæ exorta, non est operæ pretium hoc loco disputare. *Obiit Radulfus Trudens quintus Dominus Dolensis ex Chronico Dolensi.* Circa hæc tempora exortum est bellum Normannos inter ac Romanum Papam cùm Humfredus Apuliæ Comes, qui Drogoni fratri successerat, Ecclesiæ fines inuasisset, Richardus Capuam deditione accepisset, *&c.* de quibus Leo, aliique. Ferdinandus in Hispania magnam sibi Portugalliæ partem eiectis Mauris subiecit. Tangrolipix Turcarum Dux Cutlumusum fratrem victum in Iberiam fugat, sed à Græcorum exercitu in Persidem redire compellitur. Marianus anno 1028. natus hoc anno sæculum reliquit, & seq. de Arderico Barboso ex Hibernia eiecto agit.

Anno Christi MLIII. *Henrici Regni 26. Monarchæ 22. Ictcrius post Iordani mortem electus Lemouicensis Episc. pridie Nonas Ianuarij ordinatus est ab Aymone Bituricensi Archiepisc. eiúque suffraganeis, vt diximus in Chronico Technico nostríque Miscellaneis. Philippi Regis Francorum natiuitatem hoc anno collocat Chronicon sancti Petri Catalaunensis pag. 296. Nouæ Bibliothecæ. Hoc circiter tempore fuit detectio corporis sancti Dionysij, quæ iussu Henrici I. Regis facta est ad confutandam nouam Germanorum de sancti Dionysij corpore assertionem. Narrationem ex codice MS. Bibliothecæ Thuanæ edidit Ducheſnius pag. 157. Tomi IV. Historicorum Franciæ, cum Episcoporum Abbatum ac Laicorum, qui cum Odone memorati Regis fratre, & fidcli nuncio adfuerant. Balduinus Flandrorum Comes terminos Lotharingiæ incursans Hoium oppidum incendit. Godefridus rebellat, quod Imperatoris iussu à Langobardia ob ductam Bonifacij Marchionis vxorem fuisset exclusus.* Græcis in hæresim multiformem declinantibus, auctore Michaële Cerulario Patriarcha C P. & Leone Archidiacono Bulgarorum Archiep. Leo Papa eorum errores redarguens scribit contra eos librum firmis Scripturarum testimoniis roboratum. Nicetas etiam Monachus C P. dictus Pectoratus, scripsit contra Romanos librum plenum erroris & stultitiæ, prætitulatum de azymo, de sabbato, de nuptiis sacerdotum. Hæc Sigebertus, qui sub anni seq. periocha pluribus agit de missis à Leone Papa cum epistola ad Imp. Constantinum Apocrisariis, Humberto Cardinale Ep. Siluæ candidæ, Petro Amalphitano Archiepisc. Friderico Godefridi Ducis fratre Leuita & Cancellario, de Græcorum hæresibus, de Niceta librum

ſuum incendente, de excitatis à Michaële P. CP. turbis, eóque à gratia & palatio Imp. remoto, de libris Humberti de Latino in Græcum tranſlatis, & iuſſu Imp. à Græcis receptis. Videndus quoque Wibertus Archidiaconus lib. 2. cap. 9. Hermannus narrat I. Leonem Papam Vormaciæ egiſſe cum Imperatore de Fuldenſi Abbatia aliiſque, quæ D. Petro antiquitus donata ferebantur, pro quibus in Romanis partibus multa ad ius Imperatorium pertinentia accepit. II. Eundem de Normannorum iniuriis conqueſtum ad hos propulſandos auxilia ab eodem Imp. impetraſſe, dein itinere per Alemaniam ſuſcepto Purificationem ſanctæ Mariæ egiſſe Auguſtæ & Quinquageſimam Mantuæ, ac tandem infra dies Quadrageſimæ Romam peruenisſe. III. Tiberis Nariſque illuuione multa ædificia diruta cum Ponte Narnienſi, multóſque mortales abſumptos. IV. Imp. cum Sueino Daniæ Rege Merſeburgi in Saxonia Paſcha egiſſe, ibíque Conradum Baioariæ Ducatu priuatum. V. Papam habita poſt Paſcha Synodo contra Normannos exercitum mouiſſe, qui 14. Kalend. Iulij valida pugna confligentes primâ acie à Teutonicis penè victi ſunt, ſed ſuccenturiatis copiis ex inſidiis circumuenientes victores effecti ſunt, Italis citiùs terga vertentibus, Teutonicis maxima ex parte, occulto Dei iudicio, ſiue quia tantum Pontificem ſpiritalis potiùs quàm pro caducis rebus carnalis pugna decebat, ſiue quòd nefarios homines contra itidem ſceleſtos ſecum ducebat, *&c.* VI. Ipſum Papam in quodam ab eis caſtello obſeſſum, cùm expugnata iam iámque munitione neceſſitate coactus communionem eis priùs interdictam reddidiſſet, acceptum ab eis (menſe Iunio vigilia S. Ioannis Bapt.) Beneuentum cum honore reductum eſſe, ibíque aliquanto tempore detentum, nec redire permiſſum, vſque ad 12. diem menſis Martij anni ſeq. vt quidem aſſerunt. VII. Imp. Henricum magno apud Triburiam conuentu habito filium æquiuocum Regem à cunctis eligi, eíque poſt obitum ſuum, ſi rector iuſtus futurus eſſet, ſubiectionem promitti fecit. VIII. Conradum ad Andream Regem Hungariæ acceſſiſſe, ab eóq; grataner ſuſceptum, illi diſſuaſiſſe, ne fœdus cum Imp. perficeret, eiúſque auxilio quandam Carentani partem cepiſſe. IX. Imp. filio ſuo Henrico Ducatum Baioariæ tradidiſſe, Natalem Domini Ottingæ egiſſe, ibíque Bamber-

genſis Eccleſiæ Præſulatum conſobrino ſuo Adalberoni donaſſe. Lambertus nonnulla obſeruat haud penitus contemnenda (vt ſileam quæ de Normannorum victoria refert Leo Oſtienſis lib.2.cap.88. præter ea quæ iam ſupra obſeruauimus) I. collatis prope Beneuentum ſignis ob Langobardorum in prima congreſſione fugam Teutonicos penè ad vnum interfectos fuiſſe. II. Papam obſeſſum in Beneuento, víxque poſt multas tribulationes liberatum cunctos dies, quibus ſuperuixit, in luctu & mœrore egiſſe. III. Fridericum fratrem Godefridi Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum, CP. Sedis Apoſtolicæ Legatione fungentem, cùm in Synodo Imp. CP. & Patriarcham euocaſſet, & illi Primatus ſui maieſtatem vindicantes dicto obtemperare dedignarentur, egreſſum Vrbem publicè ſuper eos ſandalia ſua more Apoſtolorum excuſſiſſe. Quo facto tantum terrorem CP. omnibus incuſſum, vt Imperator & Patriarcha cum clero, & populo ſequenti die ſacco & cinere obuoluti ad eum procederent, & Apoſtolicam auctoritatem in eo proni in terram adorarent. Is deinde reuerſus in Italiam in Caſſino monte Monachus factus eſt, dein Abbas, ac tandem Papa, nomine Stephanus IX. Leo verò in antiqua Baſilica Conſtantiniana ſepultus tali ornatus fuit Epitaphio:

Victrix Roma dole nono viduata Leone:
Ex multis talem vix habitura patrem.

De controuerſia inter Sueinum Daniæ Regem, & Hamburgenſem Archiep. conſule Baronium. Ferdinandus Legionis & Caſtellæ Rex fratrem ſuum Garſiam Nauarræ Regem ſibi bellum inferentem vincit ac trucidat. Patzinacæ ingenti clade Græcorum exercitum delent, & cum iis ad 30. annos pacem componunt.

Anno Chriſti MLIV. *Henrici Regis* 27. *Monarchæ* 23. *Henricus Imperator filio ſuo Henrico puero in Regem Aquiſgrani ſublimato die* 21. *Iunij ab Herimannō Arch. Colonienſi* [ægrè ſuper hos impetrato conſenſu Lupoldi Archiep. Moguntini ad quem propter Primatum Moguntinæ Sedis Regis conſecratio pertinebat] *contra Balduinum Flandrenſium Comitem proficiſcitur, eóque fugiente Scaldm tranſit, & apertis Clauſulæ portis multam cædem inimicorum facit, & vltra progreſſus Lantbertum II. Louanienſem Comitem Balduini ſatellitem cum multis perimit (errare videntur, qui*

mortem eius die 13. Kal. Iulij collocant) multos etiam Flandrenſium primores concludit intra Tornacum, & obſeſſos capit, teſte Sigeberto. Balduinus lib. 3. cap. 70. teſtatur Lambertum Comitem Lenſenſem Euſtachij Bolonienſis Comitis fratrem apud caſtellum Iſlenſe pro Flandro pugnantem occubuiſſe. De prælio apud Mortuum mare in Caletenſi pago, in quo Franci à Normannis victi ſunt, & Guido Pontiui Comes captus, vide pag. 150. Tomi IV. Ducheſnij, Anglicóſque Malmeſb. Huntindon. Houedenum, &c. ac Normannicos Scriptores Vvillelmum, Ordericum alióſque ab eodem Ducheſnio editos. Humbaldus & Gilo fratres Eccleſiam S. Iacobi Confeſſoris in Capella-Gilonis dicta concedunt Abbatiæ S. Sulpitij Bituricenſis conſenſu Aymonis Archiep. & Stephani Vicecomitis Bituricenſis, Odonis de Albiniaco, Gimonis Satyrienſis caſtri Domini, & aliorum quos vide pag. 176. & ſeqq. Appendicum ad Elogium Bituricenſe. Ex Hermanno diſcimus I. Imp. colloquio Ratiſponæ habito Turegi Quadrageſimam inchoaſſe, & per ripales Rheni vrbes paulatim deſcendentem Paſchale feſtum Moguntiæ celebraſſe, *vbi Theobaldus Othonis quondam filius ad eum de Galliis veniens miles eius effectus eſt cùm ei auxilium ſuum fuiſſet pollicitus.* II. Leonem Papam IX. cùm apud Beneuentum diuino intentus ſeruitio diu demoratus eſſet, tandem ipſo inſtante Paſchali tempore Romam ægrotantem reuerſum inualeſcente in dies languore glorioſo exitu 16. Kal. Maias ſeu 19. Aprilis obiiſſe, & in Baſilica S. Petri iuxta ſepulcrum S. Gregorij ſepultum claruiſſe miraculis. Sedit annis 15. menſ. 2. & diebus 7. III. *Erupiſſe tum Godefridi aduerſus Imp. iteratam rebellionem, de cuius cauſa iamnon ſemel pauca præmiſimus.* Ipſe verò Hermannus Wolferadi Weringenſis Comitis & Heltrudis filius ab infantia omnibus ſuis membris Contractus, ſed omnes tunc temporis viros ſapientia, & virtutibus præcellens, Augiæ Maioris Monachus, hîc finem ſui libri ſimul viuendíque fecit in Aleshuſem prædio ſuo, cuius Chronicon vſque ad annum huius ſæculi poſtremum continuauit Bertoldus Conſtantienſis Præſbyter. Hinc arguitur error Caluiſij, qui hoc anno floruiſſe dicit, quem extinctum ſcribere debuerat. Romana ſedes reliquo vacauit anno, nam deſignatus ab Imp. in Conuentu Moguntiæ facto Gebehardus Eiſtatenſium Epiſcopus Romam anno tantùm ſequenti peruenit, & exeunte Quadrageſima in Cœna Domini Papa ordinatus Victoris II. nomen accepit. Conſtantinus Mono-

machus Græcorum Imp. obiit die 30. Nouembris, postquàm imperasset annis 12. mens. 5. & diebus 20. Succedit Theodora filia Constantini Iunioris, & soror Zoes Augustæ, quæ Nicephorum à Monomacho Imp. designatum in exilium abire iussit.

Anno Christi MLV. *Henrici Regis* 28. *Monarchæ* 24. *Concilium Turonis celebratum memorant Chronica Andeg. & Malleacense, in quo præsente Hildebrando Victoris Papæ Legato Berengarius resipiscens Catholicam fidem professus est, testibus Lanfranco, & Guitmundo in libris aduersus eundem scriptis. Idem quoque Hildebrandus, non Lugduni, sed incerto quodam loco Lugdunensis Prouinciæ Synodum coëgit, in qua Simoniacus quidam Episcopus Spiritus sancti nomen proferre non potuit. Vide Petrum Damiani ep. 9. ad Nicolaum Papam, & Nicolaum Aragonium Cardinalem citatum in Annalibus Ecclesiasticis Card. Baronij. Obiit B. Fredericus Abbas cœnobij S. Florentij Salmurienſis, quod ipse de nouo ædificauit, vixitque* 33. *annis, succedente Sigone ad* 14. *annos. Geruasius apud Castrum Lidi natus ex Cenomanensi Episcopo factus est post mortem Vvidonis Remensis Archiepiscopus Idibus Octobris, vt docet Chronicon Remense pag.* 360. *Nouæ Bibliothecæ. Balduinus Flandrensis cum Godefrido auunculum suum Fredericum Ducem intra Andouerpum obsidet, sed concurrentibus Lotharingis ab oppugnatione desistit, inquit Sigebertus, qui etiam testatur Annonem ordinatum fuisse Colonienſem Archiepiscopum, quanquam ex eius Vita constet eum anno demum seq.* 5. *Nonas Martij die Dominica consecratum fuisse*; & Imperatore in Italia constituto milites eius cum Sclauis, & Lutitianis bello congressos magno munero captos aut peremptos. Ex Hermanni appendice constat. I. Imp. peracto Goslariæ Domini Natali expeditionem in Italiam parasse, diem sanctum Paschæ Mantuæ egisse, & diem Pentecostes Florentiæ, vbi eo præsente à Victore II. Papa, qui die 13. Aprilis feria quinta in Cœna Domini, quam Diem Viridium vocitant Germani, Romæ ordinatus fuerat Summus Ecclesiæ Pontifex, generali Synodo habita multa correcta sunt. II. Othonem Nouarienſem Episcopum ab Henrico Imp. missum C P. pro Constantino, (sic enim legendum non Michaële) quandam fæminam (Theodoram) totius regni monarchiam tenentem inuenisse, quæ illum seq. anno suis etiam legatis adiunctis ad pactum confirmandum Imperatori remisit. III. Beatricem ad deditionem sponte venientem

causa mariti sui quanquam data fide detentam filiúmque eius Bonifacium venire hac de causa veritum non multis interpositis diebus mortuum fuisse. IV. Eundem Imp. de Italia per Baioariam reuertentem natalem Domini apud Turegum celebrasse, ibíque Othonis Marchionis filiam æquiuoco filio suo desponsasse. *Lambertus de Godefrido ac Beatrice plura subministrabit curiosis Lectoribus quæ indicasse sufficiat.* Brecislao Bohemorum Duce mortuo die 10 Ianuarij successit filius Spigneus qui Germanos è Bohemia pepulisse dicitur. Missi ad Ferdinandum Legionis Regem à Romano Pontifice Legati persuasserunt, vt ab Imperatoris, quem arrogarat sibi titulo abstineret, quâ de re & in Trecensi Concilio in Galliis celebrato, & apud Papam conquestus fuerat Henricus, vt pluribus narrat Mariana.

Anno Christi MLVI. *Henrici Regis 29. Monarchiæ 25. Conanus Dux Britanniæ cepisse dicitur Eudonem patruum suum, qui multos habuit filios pag. 350. Nouæ Bibl. ad calcem Chronici S. Michaëlis in Periculo maris. Cœnobium de Caritate super Ligerim hoc anno cœpit Priore ac fundatore Girardo, vt docent Chronica Fiscanense, Vezeliacense, Roberti S. Mariani, & alia cum Historia Episcoporum Antissiodorensium, &c. Vide Bibliothecam Cluniacensem, & Nouam nostram. Anselmus hoc anno scripsit librum de Gestis Episcoporum Leodiensium ad S. Annonem Archiep. Colonienſem.* Lambertus præmissa visione Guntherij Cancellarij refert. I. Imp. regressum de Italia sanctum Pascha Podelbrunnæ celebrasse, breuíque commoratum in Gozlaria, *perrexisse ad villam Yuosium* (mendosè dicitur *Ciuois* in editionibus Germanicis quas vidi) *in confinio sitam regni Francorum ac Teutonicorum, collocuturum cum Henrico Rege Francorum: A quo hostiliter obiurgatus, quòd multa sæpè sibi mentitus fuisset, & quòd partem maximam regni Francorum dolo à patribus eius occupatam reddere tam diu distulisset, respondisse dicitur se paratum singulariter cum eo conserta manu obiecta refellere.* II. Imp Natiuitatem B. Mariæ Gozlariæ celebrasse, ibíque Victorem Papam à se inuitatum magnifico apparatu excepisse: inde profectum Botfeldem, cùm ibi aliquamdiu venationi deditus moraretur, comperisse Willelmum Marchionem, & Diodericum Comitem, quos cum exercitu Saxonico aduersus Lutitios miserat malè gestis rebus occubuisse. III. Non multo post eumdem corporis molestia correptum, cùm septem aut eò

ampliùs diebus lecto decubuiſſet, diem clauſiſſe extremum 5. Octob. in eodem loco ad Hercyniam Siluam, cùm vixiſſet annis 39. imperaſſet annis 9. menſibus totidem, & diebus 12. regnaſſet verò ab obitu patris annos 17. & menſes 4. V. Præſentes adfuiſſe Romanum Pontificem, Aquileienſem Patriarcham, Ratiſponenſem Epiſcopum, qui erat patruus Imperatoris, alióſque. VI. Corpus eius Spiram tranſlatum, & celebratis regio more obſequiis die natalitio Apoſtolorum Simonis & Iudæ, quo ſcilicet natus fuerat, ſepulturæ eſſe traditum. VII. Regnum pro patre obtinuiſſe filium eius Henricum IV. non quinto vt malè Caluiſius, Miræus, aliíque poſt Lambertum, quem à librariis corruptum arbitror, ſed 8. aut 7. ætatis anno, & poſtquam in Regem vnctus fuerat, tertio. VIII. Summam rerum & adminiſtrationem penes Agnetem Imperatricem remanſiſſe, quæ tantâ arte periclitantis reipublicæ ſtatum tutata eſt, vt nihil in ea tumultus, nihil ſimultatis tanta rei nouitas generaret. IX. Conradum alterum Imperatoris filium Baioariæ obiiſſe, eúmque Ducatum ab Henrico datum Imperatrici priuato iure quoad vellet poſſidendum. Addit Hermanni Appendix in Eccleſia S. Mariæ quam ipſe conſtruxerat adhuc imperfectâ iuxta patrem matrémque ſepultum, & à primoribus Henricum ſeprennem commendatum fuiſſe matri ad educandum. Solito in Pontifices imbutus felle Caluiſius Henricum hunc tertium ſcripſit vltimum fuiſſe, qui maieſtatem Imperij contra tyrannidem Pontificiorum illibatam conſeruarit. Victor Papa inde Coloniam petiit, ſuaſurus *Godefrido* atque *Balduino*, vt pace ab Auguſta impetrata ab iniuriis in poſterum abſtineant. Marianus ait ſe peregrinum pro regno cæleſti factum patriam ſuam reliquiſſe, & Coloniæ 5. feria Kal. Aug. Monachum effectum. Theodora Imperatrix Orientis obiit die 22. Auguſti poſt imperij annum vnum cum menſibus 8. & diebus circiter 23. Michaël Stratioticus ab Eunuchis Auguſtæ, vt ferunt, electus, eodem, vel vt alij vltimo eiuſdem menſis die, Imperator declaratus eſt, necquicquam renitente Theodoſio Monomachi patruo, qui in exilium eiectus eſt, vt docent Cedrenus, aliíque. *Concilium Toloſanum Victoris Papæ iuſſu celebratum fuit ab* 18. *Epiſcopis Idibus Octobris, præſidentibus eius vice Rambaldo Arelatenſi, & Pontio Aquenſi Archiepiſcopis ob funditus exſtirpan-*

dam Simoniacam hæresim, ac reparandum S. Ecclesiæ statum iuxta priscorum scita canonum, vt habet Præfatio præfixa Canonibus 13. Concilium quoque Compostellæ actum est præsidente Cresconio Arch. de Ecclesiastica disciplina.

Anno Christi MLVII. *Henrici Regis* 30. *Monarchæ* 26. *quo labente ipse Henricus diploma publicè edidit Kal. Martij Indictione* 10. *in Andegauensi ciuitate, subscribente Balduino Cancellario, vt monuimus in Chronico Technico, ibique emendauimus subscriptionem donationis factæ à Gersendi filia Odonis senioris Domini de Dolis. Hugo filius Rotberti Burgundiæ Ducis incendio subdidit villam S. Bricij, & perierunt intra Ecclesiam viri, & mulieres cum infantibus numero* 120. *& eodem anno ipse interfectus est, inquit Auctor Chronici Antissiodorensis pag.* 298. *Nouæ Bibliothecæ. De cerno ingenti à Geruasio Remensi Archiepiscopo ex ære facto feruntur hi versus:*

Dum Cenomannos saltus lustrare solebat
Geruasius, Ceruos tunc sufficienter habebat:
Hunc, memor vt patriæ sit semper, condidit ære.

Ciuitas Namnetica Comiti Goffrido Martello ab Hoel Comite reddita est, qui non bona vsus fide, auferre eam illi tentauit, sed vix 40. *dies retentam turpiter amisit, inquiunt Chronica Andegauensia pagg.* 281. *&* 287. *eiusdem Nouæ Biblioth. vnde etiam discimus Regem Henricum Andecauam vrbem aduenisse. Coloniæ generali conuentu habito Balduinus, & Godefridus mediante Victore Papa ad gratiam Regis & pacem reducuntur, & omnes bellorum motus sedantur, teste Sigeberto, qui addit ex MS. Lipsiano, Balduinum Iuniorem Marchisum Neruiorum siue Hannoniæ Comitatum imperiali munificentia, & auctoritate Apostolica suscepisse, & Rabodonem Comitem interfectum fuisse.* Victor Papa ex Germania in Italiam reuersus in Quadragesima, & Romæ celebrato Concilio Florentiam petiit, vbi die 28. Iulij mortuus est, & in D. Reparatæ Virginis templo conditus, cùm sedisset annos 2. menses tres, & dies 15. Succedit 2. Augusti electus à Romano clero Fridericus, de quo sæpè iam diximus, & vocatus est Stephanus IX. De iis ex Leone, Petro Damiani, Lamberto, aliísque consule Baronium, qui hoc anno refert ex vetusto MS. codice, quæ fuerit tunc Romanæ Ecclesiæ Hierarchia, ac in ea ministrantium ordines, quáve ratione Papa thesaurum Cassinensis Cœnobij afferri referríque iusserit, cùm Godefridus frater quem Occidentis imperio destinabat, tempori adesse non potuerit. *In ep. ad Geruasium*

uasium Remensem Archiep. hæc scripsit Stephanus: sed & de Bituricensi Archiepiscopo, quia dilectus filius noster Hildebrandus, cui illius causa maximè nota est, abest, hoc tantùm respondemus, quod eo reuertente, & te cum illo ad nos veniente, tam ex hoc, quàm ex aliis Ecclesiasticis negotiis tuum consilium habebimus. Deinde Synodum Romæ indicit celebrandam, quintodecimo die post Pascha, &c. Lambertus de Saxonibus rebellionem ab Henrico meditantibus multa exhibet, & de victoria Regij exercitus duce Egberto Brunswicensi, subiungit Cononem cognatum Regis factum esse Ducem Carentanorum, & fratrem eius Henricum Palatinum Comitem Luthariorum instinctu dæmonis monasticam vitam in Gorzia professum, eâ abiectâ, vxorem & possessiones recepisse. De rediuiuo Icaro vide Chronicon Belgicum. Michaël Stratioticus imperio se abdicat, positáque purpura pullam in cœnobio vestem induit die 31. Augusti, cùm imperasset annum vnum, & dies decem: postridie, vel vt aliis placet, perendie coronatus fuit Isaacus Comnenus cum Ægatherina coniuge, qui à Ducibus exercitus Imperator fuerat declaratus die 8. Iunij præcedentis. Vide Cedrenum, qui in hunc annum ab orbe condito perduxit Historiam siue Chronicon Vniuersale ex Eusebio, Syncello, Theophane, Curopalata, aliisque consarcinatum. Maccabæus seu Macbethus Scotiæ Rex, cùm diu tyrannidem in nobiles exercuisset, tandem victus occiditur à Malcolmo Duncani filio, qui exulabat in Anglia, & tanquam Rex omnium votis exceptus est, ex Hectore, Maiore, Leslæo, Buchanano, Gordono. De instituta in monasterio Gamugensi quotidiana Officij B. Virginis recitatione vide Epistolam Petri Damiani ad fratres Eremi, in qua etiam de luctuoso damnati ad æternas pœnas Benedicti IX. exitu plura referuntur.

Anno Christi MLVIII. *Henrici Regis* 31. *Monarchæ* 27. *obiit Radulfus Infans filius Radulfi Prudentis sine liberis, ex Chronico Dolensi. Clandestina irruptione captum est castrum S. Germani à militibus Rotberti Burgundiæ Ducis, & Tetbaldi Campaniæ Comitis, qui ingressi, nutu diuino territi, quantocyus exierunt, & hoc intra venerabilis Quadragesimæ dies, ex Chron. Antissiodorensi pag. 293. Nouæ Bibl. obsessum quoque ab Henrico Rege Timerience castrum discimus ex charta Abbatiæ S. Germani de Pratis. Sub finem vitæ domni Burcardi venerabilis Comitis Corbolienſis ab Odone Monacho Fossatensi scriptæ, & à*

Breulio ac Ducheſnio editæ, hic Chriſti annus comparatur rectè cum anno Henrici Regis 28. qui poſt 20. Iulij diem cœpit excurrere. Vvillermus, qui & Petrus, cognomento Acer, adunato exercitu vallauit caſtrum Salmurum, & Gaufridum Martellum in eo incluſit, ſed dolore dyſenteriæ percuſſus ac redire compulſus ex eadem infirmitate obiit, relictâ Ermeſende, quæ amore illius vouit ſe viduam caſtámque vſque ad mortem permanſuram. Succeſſit Goffredus, qui iam Gaſconiam acquiſierat armis, & induſtria. Qui relinquens filiam Audeberti Comitis vxorem ſuam cauſa parentelæ, aliam Maleodam vocatam accepit in coniugio, de quâ tantummodo vnam filiam habuit, quæ fuit vxor Adelfonſi Regis, filij Ferdinandi & nepotis Garſiæ, de quorum pluſquam ciuili bello nonnulla obſeruat Auctor Chronici Malleacenſis. Ferdinandum eundem huius anni menſe Iunio labente æra 1095. ſeu potius 1096. obiiſſe quidam volunt, cùm Sanctio natu maximo Caſtellanum regnum, Alfonſo Legionenſe, Garſiæ verò Galleciæ Luſitaniæque partem reliquiſſet: ſed de iis plura Rudericus, Mariana, aliíque Hiſpani. Stephanus Papa, cùm ſediſſet menſes fermè octo Florentiæ extremum duxit halitum, ſepultum fuiſſe apud vrbem Lucenſem, vbi multæ fiunt ad eius tumulum virtutes, inquit Hugo Flauin. pag. 192. Lambertus tamen, & Leo docent in Florentina vrbe conditum fuiſſe, & de ſignis ac prodigiis atteſtantur. De eius in extremis cum dæmone lucta vide Vitam ſancti Hugonis Cluniacenſis Abbatis ad 29. Martij apud Surium. Eo verò mortuo Ioannes Mincius Tuſculani Comitis filius ambitione & malis artibus obtruditur Pontifex dictus Benedictus X. ad nouem menſes, de quo vide ex Leonis Oſtienſis lib. 3. cap. 102. & aliis Baronium. Robertus Guiſcardus ex Normannorum proſapia pulſo Bagelardo Godefredi filio Comitatum Apuliæ inuadit, & cùm aliarum, tum Eccleſiaſticæ ditionis fines, incurſionibus inquietat, ex Leone, Pandulfo, &c. Saraceni Meſſanam ad fretum Mamertinum expugnant, totiúſque Siciliæ domini euadunt. In Friſonia captis ab Henrico aliquibus caſtellis Freſones à rebellione refrænantur, inquit Sigebertus, qui de Paderbrunnæ incendio, & de Paterno Monacho Scoto, qui propter propoſitum recluſionis exire nolens ſe comburi paſſus eſt, nonnulla ſubiicit poſt Marianum Scotum, qui eodem anno, cùm Paterni ſepulcrum cauſa nationis viſitaſſet, Fuldam venit. Ab Iſaaco Com-

neno die sacro sancti Michaëlis Archangeli relegatus Michael Cerularius Patriarcha CP. paullò post obiit, suffecto in eius locum Constantino, qui dictus est Lichudes, ex Zonara aliísque Græcis. Mortuo quoque Casimiro Poloniæ Rege die 28. Nouembris anno regni 18. successit filius Boleslaus ad annos 22. Lambertus à Schafnaburg, cuius sæpè testimonio vtimur, Idibus Martiis ex Meginheri Abbatis Herfeldensis manibus sanctam vestem suscepit, & in ieiunio Autumnali à Lupoldo Archiepiscopo ordinatus Presbyter, statim peregrinationem Hierosolymitanam zelo Dei aggressus est, vt ipse scribit.

Anno Christi MLIX. *Henrici Regis* 32. *Monarchæ* 28. cùm Romani Principes ab Henrico Germanorum Rege Pontificem petiissent, Gerardus natione Allobrox, Florentinus Episcopus, in quem & Romanorum, & Teutonicorum studia consenserant, Romam per Godefridum Marchionem transmissus est, pulsóque inuasore Benedicto, mense Ianuario consecratus, assumpto Nicolai II. nomine, in Apuliam rogatus à Normannis venit, exactóq; fidelitatis iuramento, & annui tributi pensitatione Capuanum Principatum Richardo, Roberto verò Guiscardo Apuliæ, & Calabriæ Ducatum confirmat: sunt, & qui Siciliam addant: formam iuramenti præstiti exhibet Baronius. Eorum verò fratrum opera vsus est idem Pontifex ad domandos tyrannos in Campania, & locis Romæ proximis. De Generali Synodo Romæ in æde Lateranensi mense Aprili celebrata, ad quam vocatus Berengarius pœnitentiam egisse dicitur, præter ea, quæ Baronius habet, vide Hugonem Flauiniacensem pag. 192. Nouæ Bibl. Iuonem Carnot. Parte II. cap. 10. & fragmentum Historiæ Francicæ pag. 87. Tomi IV. *Ea tempestate Berengarius Andegauensis Ecclesiæ Archidiaconus, cuius tunc nomen inter sectatores diuinæ Philosophiæ celeberrimum habebatur, in hæresim de Corpore, & Sanguine Domini incidit, dicens, esse tantùm Sacramentum, quod consecratur super altare, non rem sacramenti. Qua de causa à Nicolao Papa euocatus, Romam petiit; vbi in præsentia eiusdem Papæ, & multorum Episcoporum examinatus suum confitens anathematizauit errorem, Ioannem Scotum igni comburens, cuius lectione ad hanc nefariam deuolutus fuerat sectam. Professus est deinde esse in veritate Corpus & Sanguinem D. N. I. C. quod consecratur super altare, non tantum-*

modo Sacramentum, & ſuam ipſe profeſſionem ab Humberto Cardinale conditam in eodem Concilio ſuo recitauit ore. Vide De Conſecrat. Diſtinct. 2. can. Ego Berengarius, &c. *Lanfrancum libro de Sacramento altaris, Guitmundum libris II. & III. alióſque. Extant Nicolai Papæ epiſtolæ aliquot ad Geruaſium Remenſem Archiep. duæ ad Epiſcopos Galliæ, vna ad Rutenenſem Comitem pag. 193. Nouæ Bibliothecæ vna ad Annam Reginam Galliæ apud Petrum Damiani lib. 7. ep. 9. vna quoque Stephani Cardinalis eiuſdem Papæ Legati ad I. Archiep. Dolenſem, in qua mentio Concilij Turonenſis*, &c. *Henricus Francorum Rex ſenio ſe grauari conſpiciens Philippum filium ſuum ſeptennem conſecrari fecit in Regem Remis ante altare B. Mariæ in feſto Penteco-ſtes die 23. Maij à Geruaſio Remenſi Archiepiſcopo, aſtantibus quamplurimis Archiepiſcopis, & 32. Epiſcopis, plurimíſque Abbatibus, cum Hugone Biſuntino Ep. Nicolai Papæ Legato, Guidone Duce Aquitaniæ, Hugone filio Roberti Ducis Burgundiæ, aliíſque regni Primatibus: plura de his in Chron. Technico: & Tomo IV. Ducheſnij pagg. 98. 150. ſed præcipuè 161. & ſeqq. vbi multa referuntur ſcitu digniſſima ex MS. Codice Petauiano, qui ſic incipit: Anno I. D. 1059. Ind. 12. regnante Henrico Rege anno 32. eadem die completo 10. Kal. Iunij Epiſcopatus Geruaſij anno 4.* &c. *& ex MS. libro Monaſterij S. Theoderici prope Remos de Ratione Temporum. Niuellenſis Eccleſiæ prædia in tres partes diuiſa fuere, quarum prima Xenodochio. 2. Abbatiſſæ. 3. Canonicis & Canoniſſis tributa ex cap. 89. Notitiæ Miræi. Dedicatio Monaſterij S. Sergij 3. Nonas Nouembris ex Kalendario eiuſdem loci.* Lambertus Schafnab. peractâ peregrinatione Hieroſolymitanâ reuerſus eſt in monaſterium 15. Kal. Octobris, vt ipſe narrat, vbi 6. Kal. eiuſdem menſis obiit Meghinerus Abbas. Obierunt quoque Burcardus Halberſtatenſis Ep. & Lupoldus Moguntinus Archiep. 7. Idus Decembris, qui mon. S. Iacobi extruxit foris murum in monte, qui dicitur Specioſus. Orto inter Mediolanenſes & Ticinenſes bello, multi ex vtraque parte perierunt, ex Appendice ad Hermannum. Andreas Pannoniæ Rex cùm priùs pacem per Legatos, cum Henrico Rege confirmaſſet, etiam ſororem eius minorem filio ſuo adhuc puero ſponſam obtinuit, cúmque à fratre ſuo Bela regnum circumquáque vaſtante multas iniurias perpeſſus fuiſſet, tandem febre pulſatus omnes theſauros ſuos in caſtrum Medillecka, filium verò ſuum Salomonem Henrico Regi per Teobaldum Comitem tranſmiſit anno ſeq. vt eadem Appendix

annotat, Lambertus differt in annum 1061. Inchoferus verò noſter, qui non vlteriùs Annales ſuos Eccleſiaſticos Hungariæ promouit de iis plura Lectori ſubminiſtrabit. Iſaacus Comnenus imperio Orientis ſe abdicat, & in cœnobio Studitarum monaſticam vitam ſub obedientia Archimandritæ profitetur, cùm imperaſſet annis 2. & menſibus tribus. Conſtantinus Ducas in eius locum ſuffectus coronatus eſt die 25. Decembris: de vtroque vide Zonaram, Glycam, ſimiléſque. *Corpus B. Maxentij Adiutoris oſtenſum, & conditum in ſepulcro nouo, quod dedicatum fuit 6. Nonas Octobris, ex Chronico Maxentiano ſeu Malleacenſi, quod multa ſubdit de Pontio Comite Toloſano eiúſque filiis ex Almode, Raymundo de S. Ægidio, & Guillermo de Toloſa, ac ſimilibus. In pago Bracbatenſi iuxta Tornacum multitudines colubrorum prælio inter ſe concurrunt, & multis vtrimque occiſis victa pars fugiens in cauo arboris ſe abſcondit: altera pars vincentium more inſequens, cum ſibilo circumſtrepebat, donec circumiecto ab hominibus igne omnes concremati ſunt, inquit Sigebertus.* Marianus Scotus apud Verzeburgum conſecratus Preſbyter media quadrageſima 3. Idus Martij Fuldam reuerſus ad 18. an. recluſus eſt feria 6. poſt Aſcenſionem pridie Idus Maij.

Anno Chriſti MLX. *Henrici Regis* 33. *Monarchæ* 29. *Philippi Regis primo edita eſt charta fundationis Regalis monaſterij S. Martini de Campis Indict.* 13. *Pariſius, cui ſubſcripti ſunt cum Regibus, Regina, & Præſulibus, præcipui quíque domus Regiæ Miniſtri, vt monitum in Chronico Technico, vbi etiam diſſeruimus de Diplomate quodam San-Dionyſiano. Henricus ipſe Rex cum regnum ferè per* 30. *annos rexiſſet, cauſa corporeæ ſalutis à Ioanne Medicorum peritiſſimo* [*Carnotenſem fuiſſe, & ex cuentu Surdum cognominatum, inquit Ordericus Vitalis Vticenſis Monachus lib.* 3. *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ pag.* 480.] *potionem accepit (vide pag.* 150. *Tomi IV. Ducheſnij) ſed veneno nimiam ſitim inferente iuſſum Archiatri ſpreuit, & à Cubiculario potum accipiens, dum Medicus abeſſet, ante purgationem bibit: vnde nimis infirmatus eodem die poſt perceptionem ſacræ Euchariſtiæ obiit* 4. *Auguſti Vitriaci in Bieria, ex Chronico Senonenſi, cùm regnaſſet ab obitu patris annos* 29. *cum diebus* 15. *in vniuerſum verò annis* 33. *& vno vel duobus menſibus.* PHILIPPVM *filium ſuum ſub tutela Balduini Flandrenſis Comitis conſtituit, qui eum nobiliter & fideliter educauit,* Philippus. *& Regnum eius ſtrenuè defendit: vnde in Sigeberti Codice Lipſiano ad ſeq. an. Balduinus Flandriæ Marchiſus regni Francorum Magiſtratus*

efficitur. Quòd verò Riuius ex insulso nescio quo Flandriæ Chronico quòd falsò Vetus appellat, nugatur ea lege datam tutelam, vt si infantes absque hæredibus mori contingeret, ipse Balduinus Francorum Rex esset ex parte vxoris suæ, quæ amita eorum erat, adeóque per Salicam à Regni successione fœminas olim exclusas haud fuisse, sibilis potius quàm refutatione indiget, vt inuictissimè docuerunt Assertor Vindéxque Gallicus in refutatione næniarum Chiffletij, ex cuius tecore despere solet Riuius. Henrico Rege defuncto Anna Regina Rodulfum Comitem Vadensem in coniugio accepit, eóque mortuo natiuum repetiit solum, post aliquot scilicet annos, ex Anonymo pag. 98. Tomi IV. Ducheſnij. Facta seditione inter Iterium, & Aganonem Crociacum castrum concrematum est à Tetbaldo Campaniæ Comite, inquit Auctor Chronici Antissiodorensis pag. 405. Nouæ Bibliothecæ. Eodem anno obiit Gaufridus Martellus, Comes Andegauensis, Fulconis Nerræ siue Hierosolymitani filius, 18. Kal. Decembris, feria tertia, hora diei prima, Monachali habitu priùs susceptо à Domno Adraldo Abbate S. Nicolai. Huic succesſerunt nepotes eius Goffredus, & Fulcho Rechin, filij Alberici Contracti Comitis de Gastina, vt discimus ex Chronico Malleacensi, & ex Andegauensibus monumentis. Goffredus Dux Pictauorum Hugonis Liziniaci Comitis ditiones vastauit, quem milites sui occiderunt ad portam castelli 8. Idus Octobris, succedente Hugone filio ex Almode, qui Diabolus vocatus est, vt docet idem Chronicon Malleacense. Adela Flandriæ Comitissa Messinense cœnobium ad Insulas fundare incipit. Petrus Damiani Card. Ep. Ostienſis missus à Nicolao Pontifice Legatus turbulentos Mediolanensium motus componit, reformátque Ecclesiasticam disciplinam. Normanni è Calabria transmisso freto Saracenos in Sicilia vincunt, Messanámque deinde recipiunt, vt pluribus Leo Ostienſis, & alij Itali. Sanctius Castellæ Rex fratres inuadit Alfonsum Garsiámque. De Mariano Scoto nonnihil hoc anno Sigebertus. Verùm certiora repetes ex ipsius Mariani Chronico, vbi præcipua quæque vitæ suæ acta enumerat.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MLXI. *Philippi Regis 2. Gaufridus Dux Pictauensium, vt quidam volunt, ab Andegauinis fratribus superatus est prope Sanctonas, vnde versus in Malleacensi Chronico descripti:*

Cùm de Pictauis bellum sit & Andegauinis
Inque die Martis fuit, & sancti Benedicti

Circa fortè caput Vultonnæ contigit esse
Annus Millenus tunc sexagesimus vnus.

Verùm character feriæ 3. designat annum præcedentem more Romano, cuius litera Dominicalis fuit A. siue agas de die obitus, siue de Translatione S. Benedicti, aut certè quod in peruigilio Festi alicuius factum est id ipso Sancti illius festo contigisse censetur, quod alia quoque occasione à nobis aliàs obseruatum. Florentius Hollandiæ Comes vlturus cædem fratris sui Theoderici IV. cum validis copiis irrumpit in Hermannum Comitem Cudicensem, Vvichardum Gelriæ Aduocatum, aliósque, à quibus trucidatur in vico Hemert inter Mosam, & Vahalim 14. Kalendas Iulij, & in Egmondano cœnobio conditur. Succedit Theoderitus V. filius sub tutela Roberti, Flandriæ Comitis filij, ex Beka, aliísque. Nicolaus II. Summus Pontifex obiit die 3. Iulij, vel vt alij 6. Kalendas Augusti post sedem annorum duorum, & mensium sex. Eo defuncto, ait Bertoldus, Romanos Henrico Regi IV. coronam, & alia munera mittentes de Summi Pontificis electione cum interpellasse. Qui generali Concilio Basileæ habito, imposita corona à Romanis transmissa Patricius Romanorum est appellatus. Addit communi omnium consilio Cadaloum Parmensem Episcopum 7. Kalendas Nouembris Papam electum Honorium II. appellatum, sed numquam Papatum possedisse, quia 27. die ante eius promotionem Anselmus Lucensis Episcopus à Normannis, & quibusdam Romanis fuerat ordinatus, & Alexander dictus, qui per an. 12. Simoniacam hæresim destruxit, & Clericorum incontinentiam prudenter refrænauit, cuius constitutionis, quâ nimirum prohibiti sunt per bannum Laïci Clericorum incontinentium officia audire, Hildebrandus, tunc Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, maximè auctor fuisse dicitur hæreticis valdè infestus. Consule Leonem Ostiensem lib. 3. cap. 20. De Andrea & Bela Hungariæ Regibus plura Lambertus, qui addit I. Imperatricem Ottoni dedisse Ducatum Baioariæ, quem ipsa post mortem Conradi filij sui administrauerat. II. Henricum Palatinum Comitem Luthariorum vxorem suam manu propria interfeciſſe, sícque tandem publicatâ euidentiùs infestatione Dæmonis, missum fuisse in monasterium Epternacense, ibíque diuturna vexatione consumptum interiisse. Aliter id narratur in Appendice Hermanni, quæ subiungit Conradum, qui Carentanorum Dux solo nomine

fuerat, ſucceſſorem habuiſſe Bertoldum Sueuigenam. Petrus Damiani Card. Ep. Oſtienſis dimiſſo Epiſcopatu illo, & procuratione Eugubinæ Eccleſiæ in eremum rediit, vt pluribus Baronius, qui de eius Epiſtolis, ingenio, aliiſque ſcriptis tractat. Eum Alexander Papa in epiſtola, quæ dicitur XVI. Tomo IV. Ducheſnij pag. 204. *cuiuſque titulus mendosè inter Epiſcopos numerat M. Bituricenſem pro A. vel R. id eſt Aymone, vel ad ſummum Ricardo*, appellat ſuum oculum, & Apoſtolicæ ſedis immobile firmamentum. In eiuſdem Collectionis Tomo III. pag. 700. annus 1061. pro 1071. reponendus, vbi Nicolao ſuffectus Alexander, & Richardus Capuam intraſſe, & primus ex Normannis illic factus princeps Robertus perhibetur.

Anno Chriſti MLXII. *Philippi Regis* 3. *conuenire videtur epiſtola Geruaſij Remenſis Archiep. ad Alexandrum Papam, quæ ſic incipit: Regnum noſtrum non mediocriter conturbatum eſt. Regina enim noſtra Comiti Radulfo nupſit: quod factum Rex noſter quam maximè dolet. At cuſtodes ipſius non æquè grauiter ferunt. De vxore verò Comitis Radulfi, quæ veſtræ conqueſta eſt paternitati ſe à viro iniuriâ eſſe dimiſſam*, &c. *pag.* 207. *Tomi IV. Ducheſniani. Traditio Vitriaci ex Chronico S. Petri Catalaunenſis pag.* 296. *Nouæ Bibliothecæ. De Dedicatione Monaſterij Noui apud Andegauam ciuitatem pridie Nonas Apriles, vide Andegauenſia Chronica pagg.* 276. *&* 287. *eiuſdem Bibliothecæ. Goffredus Dux obſedit Santonas caſtris in circuitu poſitis, & fame & gladio vaſtauit, vſquequo Andegauenſes & ciues, qui in ea erant ſe cum ſuis omnibus in manibus tradiderunt. Inde abiens in Hiſpaniam cum multis Normannis Barbaſtam ciuitatem nomini Chriſtiano adquiſiuit. Eodem anno Luna obſcurata eſt Kal. Auguſti. Hæc Chronicon Malleacenſe nondum editum, quo referas velim verba Anonymi pag.* 88. *Tomi IV. Ducheſniani: Dux Aquitaniæ Guillelmus VIII. & quidam alij Optimates Galliarum, quiſquis de ſuo exciti loco copioſum in Hiſpaniam conduxerunt exercitum. Cuius ditiſſimam vrbem Barbaſtam*, &c. *ſed hæc in ſeq. annum differenda multi ſuadent, atque imprimis Sigebertus cuius hæc ſunt verba: Exercitus multus à Galliis in Hiſpanias ad debellandos Saracenos proficiſcitur, ſed omni regione à Saracenis vaſtatâ inefficax reuertitur.* Anno Epiſcopus Colonienſis, inquit Sigebertus, conſilio Primorum regni indignè ferentium per Agnetem matrem Henrici regnum non viriliter gubernari, puerum violenter, & induſtriè captum

ſub

sub tutela sua accepit, & Imperij regimen à matre eius amouit. At Imperatrix non solùm honore regni, sed etiam onere sæculi reiecto, Romæ ad limina Apostolorum se contulit, ibíque vsque ad finem vitæ omnibus bonis exemplo, & miraculo fuit. Lambertus tamen, qui rem omnem prolixius exposuit, & longè accuratiùs, docet præcipitem Reginæ ad renunciandum sæculo impetum amici maturioribus consiliis fuisse inhibitum. Idem de morte Willelmi Thuringiæ Marchionis, eiúsque successore Othone fratre agit. *Is cum Adela vxore Sept. die 21. prædia aliqua Ecclesiæ S. Seruatij donauit. Horum filia Adela nupserat Henrico II. Comiti Louanienſi.* Cadalous Parmensis Antipapa Romam consecrandus adiit, cui Romani occurrunt armati, & primo quidem congressu multi occisi & in Tiberi submersi, vt tradit Appendix Hermanni, postea tamen victores effecti Cadaloum castris exutum Parmam redire coëgerunt. Concilium in Osborio Germaniæ collectum est, vbi agente imprimis S. Annone Colonienſi Arch. inter Henrici Regis, qui aderat, Aduocatum & Romanæ Ecclesiæ Defensorem causa Antipapæ acta est, ac labefactata die 18. Octobris. Quam in rem consule Baronium. Ranimiro Aragoniæ Rege occiso successisse dicitur filius Sanctius.

Anno Christi MLXIII. *Philippi 4. ab eo confirmatur Collegium Canonicorum à Balduino Pio, ciúsque vxore Harlebeccæ prope Curtracum fundatum, vt docet Notitia Miræi cap. 91. ex seq. verò constat, necnon ex Sigeberto, ab iisdem Principibus Eihamense cœnobium prope Aldenardam fuisse constructum, primo Abbate Vvaltero ex Vedastina Abbatia euocato. Robertus eorundem Balduini, & Adelæ minor natu filius Gertrudem Florentij I. Hollandiæ Comitis viduam duxit vxorem, & in Hollandiam profectus priuignorum suorum nomine bellum Frisiis indixit, partem regionis subegit, indéque nomen Frisonis sibi peperit.* De dissensione inter Camerarios Hecelonis Episcopi Hildensheimensis, & Wideradi Fuldensis Abbatis, ac similibus consule Lambertum: qui etiam subiungit, Belâ, qui regnum Hungariæ inuaserat, mortuo, filium eius Ioam seu Geisam Henrico Regi mandasse, si sibi apud Salomonem filium Andreæ natalibus, & meritis condignus honor haberetur subditum se ei futurum: itáque Henricum Hungariam cum exercitu ingressum Salomonem in solium patris restituisse, iuncta ei in coniugium sorore sua. Petrus Damiani de-

ſtinatur à Pontifice Florentiam ad ſeditionem ſedandam inter Epiſcopum & Monachos, cuius controuerſiæ occaſione celebrata eſt Synodus Lateranenſis 100. Epiſcoporum, de qua & de Petro Igneo Monacho ex familia Aldobrandinorum, qui poſtea factus eſt Cardinalis, ſuper carbones ignitos nudis pedibus ambulante, Baronius, Binius, ſimileſque. *Alexander Papa ſcripſit ad Odricum Abbatem Vindocinenſem, quem Alodiarium S. Petri appellat, eique & omnibus eius ſucceſſoribus Eccleſiam S. Priſcæ concedit*, &c. *De aliis eiuſdem Papæ Epiſtolis ad Geruaſium Remenſem alioſque pluribus dicendum eſſet, ſed non ſinunt Compendij noſtri anguſtiæ. Concilium Cabilonenſe hoc anno, non vt ſcripſeram alias* 1072. *actum eſt ab Epiſcopis numero* 13. *præſide Petro Damiani Sedis Apoſtolicæ Legato aduerſus Drogonem Matiſconenſem Epiſcopum, qui Clericorum ſuorum ſuaſione pellectus Cluniacenſis Monaſterij priuilegia violarat vallatus cuneis militum S. Hugone Cluniacenſi Abbate, qui anno demum Salutis humanæ* 1109. *pia morte deceſſit, non verò S. Odilone, qui Kal. Ian. anni* 1049. *fuerat mortuus. Indiculum iuramenti, pœnitentiam Epiſcopi, & ſimilia exhibent fuſiùs Cluniacenſes tabulæ. Dedicatio Eccleſiæ S. Mariæ Rothomagenſis eodem anno ponitur, quo Cenomanenſis vrbs ſubiugata eſt Normannorum Comiti Vuillelmo, ex Chronicis Rotomagenſi, & S. Michaëlis, aliiſque. Ordericus in an. ſeq. differt his verbis:* Poſt mortem Herberti iuuenis Cenomanenſium Comitis Willelmus Dux cum valida manu armatorum Sartam fluminum tranſiit, multóſque Cenomanorum ſeſe illius manui ſubdentes clementer ſuſcepit, & quamdiu poſtea vixit ſubiectos iure poſſedit. Præfatus nimirum iuuenis poſt obitum Herberti Senioris patris, qui vulgò Euigilans-canem cognominabatur, propter grauiſſimas infeſtationes, quas à perfidis ſuis affinibus Andegauenſibus patiebatur, conſilio Bertæ matris ſuæ ſe ſuúmque patrimonium fortiſſimo Duci Normannorum commendauerat, & Margaritam ſororem ſuam Rodberto eiuſdem Ducis filio in coniugium dederat: cum qua hæreditatem ſuam Comitatum ſcilicet Cenomanenſem ſi ſine liberis obiret, conceſſerat. Sed quia Walterius Pontæſienſium Comes filius Drogonis Comitis Biotam Hugonis Cenomanenſium Comitis filiam, quæ amita prædicti iuuenis erat in coniugium habebat totum Comitatum Cenomanicum calumniabatur, & ex parte poſſidebat: nam ipſam vrbem quæ caput eſt Prouinciæ Gothfredus

de Meduana & Hubertus de S. Susannâ aliíque potentes in fidelitate Walterij acriter tenebant: quia Normannicum iugum his quibus imminet grauissimum est, subire nimis formidabant. Itaque dum magnanimus Dux rebelles impeteret, *&c.* quæ per ocium, si libuerit, volutabis. De Sanctio Castellæ Rege proditione occiso æra 1101. & fratre eius ac successore Alfonso VI. qui Legionense quoque regnum est adeptus, vide Rudericum, Marianam, *&c.*

Anno Christi MLXIV. *Thilippi 5. Ind. 2. Oscelinus Reginæ Marescallus dedit SS. Bartholomæo atque Maglorio molendinum in magno Ponte Parisius, ex Veteri charta S. Maglorij in codice Petauiano* 1185. *cui subscripti Amalricus Dapifer Reginæ, Stephanus Reginæ Præpositus*, &c. *Ex iisdem schedis constat Parisiorum vrbem graui flagrasse incendio. Henricus Rex, qui Leodij Pascha celebrauit, interuentu Friderici, Godefridi, & Gerardi Lotharingiæ Ducum restituit possessiones Ecclesiæ Vltraiectinæ per Hollandos Comites ablatas, vt liquet ex Notitiæ Miræi cap. 93. Lietbertus Cameracensis Episcopus Abbatiam sancti Sepulchri extra vrbem fundat.* Sigefridus Moguntinus Archiep. Willelmus Vltraiectinus aliíque Antistites Hierosolymam profecti sunt, vt Lambertus, Marianus, Ingulfus, aliíque testantur: ad septem hominum millia abiisse, quorum pleríque ab Arabibus occisi sunt, addit Sigebertus an. seq. Quod verò idem Chronographus tradit Herimannum nobili Alamannorum prosapia procreatum à renibus deorsum contractum, *&c.* suum hoc anno computum edidisse, & famosissimam de naturali Lunæ cursu quæstionem subtilissimè inuestigatam absoluisse, à scopo aberrat, cùm constet eum à decennio vita functum fuisse, ex Bertoldo, Appendice, aliísque. Cyclus Magnus annorum DXXXII. bis à Christi Natiuitate exactus tertiò incipit, in cuius fine futurum laborem doloremque veteres dixere Computistæ. In Concilio Mantuano, conuenientibus etiam ex Germania Galliâque Episcopis pulsus, & exauctoratus est Cadalous causa Alexandro II. adiudicata. Sigebertus seriùs de ea his verbis agit sub anno 1067. Mantuæ Synodus colligitur, & mediante Annone Colonienſi Archiep. Alexander se iureiurando de simonia expurgans, in sede Apostolica subrogatur, Cadelo verò, vt simoniacus, repudiatur: qui collectis paulò pòst copiis vrbem Leoninam molémque Hadriani occupauit, in qua per biennium

obsessus tandem persoluta pecunia dimissus est. De terræ motu, quo Asia Thraciáque concussæ, & CP. Templum S. Sophiæ, multáque alia ædificia corruerunt, consule Scylitzam, similésque.

Anno Christi MLXV. *Philippi 6. Auctor Chronici Vezeliacensis asserit Regem hunc ab Arpino emisse Bituricas pretio 6000. solidorum, sed falsò: idque videtur mutuatus ex Continuatore Aimoini, qui lib. 5. cap. 47. hæc habet: Rex videns dominium suum per insolentiam prædecessorum suorum esse diminutum, & ferè adnihilatum, cupiénsque illud reaugere, à quodam milite Harpino nomine, emit Bituricas pretio 60. millium solidorum. Ex quo fonte error in cæteros dimanauit. Verùm, vt aliàs iam monui, promptum mihi est decem vndecímve insignes nostratium Historicorum ac Chronologorum de Odone, cognomento Arpino, Vicecomite Bituricensi, allucinationes propalare ac refellere. Drogo Taruanensis Ep. petentibus Balduino Pio, & Adela Flandriæ Comitibus talem Cœnobio Messinensi libertatem tribuit, qualem Bertefridus Ambianensis Episcopus anno 7. Clotarij III. Regis Corbeiensi ad Somonam Monasterio concesserat. Eiusdem Messinensis cœnobij prædia an. seq. Philippus I. Francorum Rex firmauit diplomate Furnis dato, cum subscriptione Godefridi Bononiensis, Parisiensis Episcopi, regníque Cancellarij, vt habetur cap. 94. Notitiæ Miræi. Vdo Tullensis Episc. res Ecclesiæ S. Gengulfi confirmat 12. Kal. Iulij anno ordinationis suæ 13. Ind. 3. coram Henrico Rege, testibus Gerardo Duce, & Theoderico eius filio, qui postea Strenuus dictus est, & per Simonem filium Lotharingicam familiam adhæc vsque tempora propagauit. Friderico Lutzenburgio Lotharingiæ Inferioris Duce mortuo, Godefridus Magnus ex Italia reuersus, & Scutarius Henrici Regis factus, Ducatum recepit, ex Sigeberto. Errat ergo Caluisius qui ex Annalibus quibusdam Flandricis Friderico successisse vult Gerardum Ducem Mosellanum.* Idem in hunc annum differt Ferdinandi Legionensis Regis mortem die 27. Decembris, relictis tribus filiis, Sanctio Castellæ, Alfonso Legionis, & Garsia Galleciæ Principibus. Henricus Rex celebrato Vormatiæ Paschate 6. Kal. Aprilis Ind. 3. eiusdem Paschalis hebdomadæ die tertio 4. Kal. Aprilis anno regni sui nono ætatis suæ 14. gladio accinctus fuit per concessionem Adalberti Bremensis Archiepiscopi, qui pulso Annone Colonienſi, aliísque primas tum in aulâ partes agebat. Arnolfo Vormatiensi Ep. successit Adalbero Monachus ex Monasterio S. Galli, frater Rodulfi Ducis, vir

per omnia dignus ſpectaculo, inquit Lambertus. Petrus Damiani egregiè tum certabat aduerſus Clericos turpis connubij aſſertores, dictos paſſim Nicolaitas ſiue Cadaloitas. Eduardus Angliæ Rex ſub finem huius anni morti proximus hæredem teſtamenti tabulis ſcripſit Willelmum Northum Normanniæ Ducem, quibus ſubſcripſit cum aliis & ipſe Haroldus Comes, qui anno ſeq. regnum ipſemet vſurpauit.

Anno Chriſti MLXVI. *Philippi 7. Balduinus Pius Flandriæ Comes Inſulenſe S. Petri Canonicorum Collegium à ſe inſtitutum dotat, curátque baſilicam coram Philippo Rege conſecrandam. Lietbertus Cameracenſis Ep. amotis Canonicis ſæcularibus Regulares ſubſtituit in cœnobio S. Autberti: de morte Radulfi Vadenſis ſiue Creſpeicnſis Comitis, qui anathemate Eccleſiaſtico innodatus obiit, quod repudiata propria vxore Annam Henrici Regis viduam ſuperduxiſſet, & de filij eius Simonis vitâ ac virtutibus alius erit pluribus dicendi locus. Nunc tempus ex Chronico Senonenſi annotaſſe ſufficiat. Fulco Vindocini Comes, Anſerulus dictus, obiit* 11. *Kal. Decembris natali S. Columbani meridie, inquit Auctor Chr. Andeg. pag.* 288. *Nouæ Bibliothecæ. Obiit S. Theobaldus in Vincentia Venetiæ vrbe recluſus ex Sigeberto. Eberardus Treuerenſis Archiepiſcopus XIII. (corrigendum XVII.) Kalendas Maij Sabbato ſancto Paſchæ completis à ſe ipſius diei officiis ipſis ſacerdotalibus veſtibus indutus requieuit in pace. Cui Cuonradus ſeu Cuno Colonienſis Præpoſitus debuit ſuccedere, ſed à ciuibus non eſt electus. Vnde quidam Comes, nomine Theodoricus, eundem ad Treuerorum vrbem tendentem comprehendit, & quatuor mulitibus necandum commiſit. Paſſum Kal. Iunij huius anni docet Bertoldus, cuius rationes inter initia turbatæ in pleriſque periochis annorum apparent. Certiora de iis repete ex Lamberto Schafnaburgenſi, & Sigeberto, qui in annum ſeq. differt, & de pœnitentia Theoderici Comitis, quædam ſubiungit, neque enim vacat eos exſcribere. Vdo deinde Præſul Treuirenſis conſtitutus eſt.* Cometæ ſunt viſi, inquit idem Bertoldus, in octaua Paſchæ VIII. (ſcribendum VIIII.) Kalendas Maij, & per 30. dies apparuêre. De conſpiratione aduerſus Adalbertum Bremenſem Archiep. & de ægritudine Henrici Regis atque eius nuptiis Triburiæ celebratis cum Bertha filia Othonis Marchionis Italorum & Adelheidæ, Lambertus non pauca, vt omittam Conradum Lictenauium Abbatem Vrſpergenſem, ſimileſque recentiores. S. Eduardus Anglorum Rex moritur abſque liberis die 4. Ianuarij, cùm annos regnaſſet præter pro-

pter 23. Regnum eius Haraldus Comes inuasit, tenuítque mensibus ferè decem, dum Willelmus Neustriæ Dux exercitum pararet, & classem ad transfretandum in Britanniam. Harwich Rex Northanymbrorum cum mille pænè nauibus venit in Angliam regnaturus, inquit Sigebertus, & in vrbe Eboraci plusquam mille laicos, & centum Presbyteros de Anglis occidit. Cui Haraldus Rex Anglorum cum septem legionibus superueniens eum cum multis occidit. *Interim Guillelmus Comes Normannorum cum Francis Angliam intrat, & conserto cum Anglis prælio Haraldum cum multis millibus perimit die 14. Octobris, atque hac vna memorabili victoria totum sibi subegit regnum, in sequenti solemnitate Christi nascentis ab Episcopo Eboracensi Aldredo Rex apud Londoniam coronatus ad annos 30. fecítque ibi monasterium vbi bellum fuit in honore S. Martini, &c. Verum de iis plura, Ingulfus, Gemeticensis, Ordericus, Malmesburiensis, Huntindonensis, Rogerius, Matthæus Paris S. Albani Monachus, qui inde suam vsque ad annum 1152. perduxit Historiam, Vvestmonasterensis, &c. vt omittam Chronica quamplurima. Anonymus pag. 88. Tomi IV. Ducheśniani fatetur barbaros illius insulæ mitigasse mores, cultúmque Christianæ religionis, qui in ea modicus erat, ampliasse. Illo item anno, inquit Auctor Chronici Andegauensis pag. 288. Nouæ Bibliothecæ Comes Britannorum Conanus iuuenis Andegauorum terram superbè peruasit, & in ea subita morte præreptus est; proditio verò Gaufredi Barbati ad annum seq. pertinet.* Post mortem Constantini factus est Patriarcha CP. Ioannes Xiphilinus, qui libros Historiarum Dionis Cassij redegit in epitomem, de quo videndus Zonaras.

Anno Christi MLXVII. *Philippi 8. Gaufridus Comes iunior Andegauensis, quem Barbatum cognominarunt, traditus est à suis Fulconi Rechino fratri suo, & ciuitas Andecauis pridie Nonas Aprilis feria quarta hebdomadæ, quæ dicitur Pœnosa, scilicet inter duo Pascha, ex Anonymo pag. 88. Nouæ Bibliothecæ, qui etiam subdit die Dominicæ Cœnæ ab Andegauina turba maligno spiritu turbata peremptos tres auctores præcipuos illius traditionis, Gaufridum de Pruliaco, Raynaldum de Castro Gunterij, Giraldum de Monasteriolo, &c. Addit insequenti anno eundem Gaufridum à Fulcone fratre in bello publico captum, cúmque ab Andecauinis, vellent nollent, in Comitem receptum. Plura vide in Gestis Consulum Andegauensium. Chronicon Malleacense addit prima Dominica Quadragesimæ quinto Kal. Martij traditionem Salmuri*

castri factam fuisse Fulconi, &c. *Concilium quoque Pictaui factum docet alter Anonymus, pag.* 282. *Gandaui Templum S. Bauonis dedicatur, & ibidem S. Macarij Antiocheni Ep. corpus incorruptum reperitur à Balduino Nouiomensi, & Lietberto Cameracensi Episcopis coram Philippo Francorum Rege Balduino Pio seu Insulano Flandriæ Comite, eiúsque filio Balduino VI. Montensi dicto siue Hasnonio, qui eodem anno successit patri suo Kalendis Decembris defuncto, & Insulis sepulto in Templo S. Petri quod fundauerat. Adela Roberti Regis Francorum filia, Balduini vidua, post mariti obitum, Romam profecta ad Alex. II. Papam, sacrum velamen accepit, indéque reliquias S. Sidonij Martyris attulit, & Messinensibus Monialibus se adiungens ibidem reliquum vitæ piè peregit.* Adamus Bremensis hoc viuebat tempore, vt indicat lib. 4. cap. 16. *Obiit Robertus primus Abbas & fundator Casæ-Dei in Aruernorum vastâ eremo, cuius vitam Deo dante breui vulgabimus: obiit Maurilius Rothomagensis Archipræsul Monachus Fiscanensis. Huic succedit Ioannes, verba sunt Chronici Rothom. pag.* 366. *Nouæ Bibliothecæ, filius Radulfi Comitis, fratris Ricardi primi, qui priùs Abrincensi Ecclesiæ* 7. *an. & 3. mens. præfuit, & postea rogatu Alexandri Papæ concedente Vvillelmo Principe Norm. & Rege Anglorum adeptus est cathedram Metropolitanæ Rothomagensis Ecclesiæ.* Ranimiro post regni Aragonici annos 32. in pugna aduersus Sanctium Castellæ Regem trucidato succedit filius Sanctius ad annos 27. Aliud tamen de morte Ranimiri refert Anonymus Floriacensis in fragmento Historiæ Francicæ pag. 88. Tomi IV. *Secundam expeditionem in Hispanos Dux Burgundionum Hugo pluréque alij Principum Galliæ parauerunt. Quibus Rex Aragonensis Sancio, cuius patrem Milonem (corrige Mironem seu Ranimirum) scilicet Regem ipsi Saraceni iamdudum excoriauerant, obuiam venit, eíque ducatum contra eosdem præbuit Saracenos. Quo duce Hispaniam ingressi, captáque vna nobilium eiusdem vrbium, & deuastata ex parte ipsa regione plurima onusti præda domum remeant, quamplurimis captiuis adductis, sed hæc postea.* Const. Ducas Imp. Orientis per ann. 7. & mens. 6. obiit die 5. Iunij, cuius vxor Eudocia cum filiis Michaële, Constant. & Andronico imperat reliquo anno. Xiphil. P. C P. syngrapham mala fide restituit eidem Augustæ, quæ hortante marito abiurauerat secundas nuptias: Cùm enim speraret eius cum Barda germano suo nuptias, illa Romanum Diogenem in coniugem atque Imp. elegit Cal. Ianuarij subsequentis, ex Curop. Zonara, aliísque.

Anno Christi MLXVIII. *Philippi* 9. *Castum Salmurum horribili incendio combustum est à Guidone Godefrido, qui & Guillelmus VIII. Comite Pictauorum cum Ecclesia S. Florentij aliísque, vt testatur Chronicon Malleacense, ex quo etiam discimus eundem Guidonem relicta Matode duxisse vxorem Aldeardim filiam Roberti Ducis Burgundiæ, & neptem Henrici Regis, captóque Lucionensi castro monasterium B. Virginis combussisse, ac multos in eo extinxisse. De Theodorici Comitis Treuirorum exilio, pœnitentia, & peregrinatione Hierosolymitana ex alio quopiam auctore Synchrono Sigebertus, qui addit, Hinc Francis, hinc Scotis Angliam infestantibus Anglos fame consumptos multósque eorum humanis carnibus pastos. Concilium Tolosæ habitum pro disciplina Ecclesiastica præside Hugone candido S. R. E. Cardinale, cum Archiep. Guillelmo Auscensi, & Aymone Bituricensi, Episcopis nouem, pluribúsque Abbatibus, vt ex ipsis Actis constat, in quibus mirum mentionem fieri annorum Philippi Regis sub tuitione Balduini Flandrensis Comitis, qui ab an. superiore obierat. Guillelmus Burgundiæ Comes Romam veniens iureiurando se adstrinxit S. R. E. & Pontificum adiutorem fore.* Alexander Papa à Guillelmo Angliæ Conquæstore denarium sancti Petri ex recepto à maioribus more exigit, vt docet epistola, quam in Annalibus Baronianis leges. *Henricus II. Louanienſis Comes moritur, successore relicto filio Henrico III. ad annos* 28. *Obiit quoque Balduinus Ep. Nouiomensis, cui suffectus Radbodo.* Romanus Diogenes Turcas numeroso exercitu Syriam & Cappadociam vastantes repulit, multis prœliis attritos prædáque exutos hoc & sequenti anno, receptis aliquot oppidis, vt docent Curopalates, Zonaras, *&c.*

Anno Christi MLXIX. *Philippi* 10. hyemali glacie adstrictis fluminibus terram Luticiorum Henricus Rex ingressus eos nimia cæde prostrauit, inquit Sigebertus. Idem quoque asserit Bertoldus, qui anno præcedenti non satis appositè hæc adscripsit: Henricus Rex adolescentiæ suæ errore seductus, legitimæ coniugis adeò obliuiscitur, & tam nefandis criminibus inuolutus esse diffamatur, vt etiam eius principes eum regno priuare molirentur; nam Lambertus Schafnaburgensis apertè docet post Pentecosten Coloniæ celebratam Vormatiæ in conuentu publico Henricum de repudio vxoris suæ Bertæ cum Arch. Moguntino secretò egisse, vt omittam cætera, quæ fusiùs exequitur. Missus eam ob rem à Papa

Petrus

Petrus Damiani Legatus omnia, saltem in speciem, composuit. Fundatur in Anglia Selebiense cœnobium à Benedicto Monacho, qui S. Germani Antissiodorensis Ep. digitum furto sublatum attulerat anno 3. Guillelmi Anglorum Regis. Huius monasterij Historiam anno 1174. descriptam edidimus pag. 594. & seqq. Tomi I. Nouæ Bibliothecæ. De Guillelmo rebellantium Anglorum, qui Canutum Daniæ Regem euocarant, domitore consule Rogerium, Malmesburiensem, similésque. Hilpericum Monachum S. Galli Astronomum insignem, qui scripsit de musica, computo, aliísque hoc anno collocat ex Trithemio Caluisius, qui à Sigeberto haud dubiè dissentit, qui de eo ante plures annos meminit. *Godefridus Magnus Lotharingiæ Dux, rogante coniuge sua Beatrice, Sathanaci in Ecclesia S. Dagoberti Martyris Monachos Gorzienses amotis Canonicis constituit, tabulis in acie Bulionensi datis, quas exhibent Miræus cap. 99. Notitiæ, & Vvilthemius noster in notis ad Acta S. Dagoberti. Ex eiusdem Notitiæ cap. 100. discimus Ardulfum Canonicorum Collegium in Ariæ oppido fundasse in honorem S. Audomari Taruacensis Ep. quod Balduinus eiusdem quoque Ariæ dominus mutauit an. 1144. in Abbatiam Ordinis Præmonstratensis. Bertoldus asserit Godefridum Ducem inter sæculares excellentissimum, & in recordatione peccatorum suorum ad compunctionem lacrymarum facillimum, in erogatione eleemosynarum largissimum, in vigilia Natiuitatis Domini satis laudabili fine quieuisse. Alij cum Sigeberto in annum seq. differunt.* Marianus Scotus iussu Arch. Moguntinensis, & Abbatis Fuldensis feria 6. ante Palmas 3. Nonas Aprilis solutus è clusa venit Moguntiam, & in festiuitate septem Fratrum secundò inclusus est.

Anno Christi MLXX. *Philippi* 11. *Gerardo de Alsatia Mosellanorum siue superioris Lotharingiæ Duce mortuo, subrogatus est eiusdem ex Hadvvige filius Theodericus Strenuus. Viuebat verò eadem Hadvvigis filia Ermengardis Comitissæ Namurcensis Carolo Duce genitæ anno* 1067. *ex charta Epternacensi, aliísque monumentis. Obiit quoque eodem anno, Sigeberto & Lamberto testibus, Godefridus Magnus, qui Virduni sepultus est, successorem nactus filium Gibbosum Godefridum, & si corpore exiguum tamen animo eximium. De vtroque strictim agunt Chronica Leodiense, & S. Vitoni Virdunensi à nobis edita, Balduinus, Hasnonius dictus Flandriæ & Hannoniæ Comes migrauit è viuis die* 12. *Kal. Augusti, & in Hasnoniensi templo, quod Canonicorum Collegio in Benedictini Ordinis Abbatiam verso à tribus E-*

piſcopis 3. Nonas Iulij conſecrandum curauerat ſepultus. Arnulfo maiori natu filio Flandriam Balduinus teſtamento aſſignauerat, fratríque ſuo Roberto, Friſonidicto, tutelam Arnulfi commiſerat: Sed ea artibus Comitiſſæ Richildis denegata, Robertíque Comitatu Aloſtano, aliíſque ditionibus occupatis ipſe conciliatis ſibi Flandrorum animis Richildem cum filiis Flandria exturbauit, quæ Lutetiam Pariſiorum fugiens à Philippo Rege auxilium aduerſus inuaſorem petiit, & impetrauit, ex Iperio, Sigeberto, qui biennio moratur, aliíſque. S. Godelena iuſſu Bertulfi mariti ſtrangulatur Giſtellæ ſecundo ab Oſtendâ lapide, cuius vitam ſcripſit ad Radbodonem Drogo Monachus Vvinocibergenſis. Euſtachius II. Comes Bononienſis & Lenſenſis, eiúſque vxor Ida parentes Godefredi Bulionij Lenſenſe Canonicorum Collegium prædiis priuilegiiſque augent. Ex Anglia Dani & Scoti prædas abducunt. Lanfrancus Papienſis Italus Abbas S. Stephani Cadomenſis vir per ea tempora eruditiſſimus in locum Stigandi in Vindeſſotenſi Synodo cum anathemate depoſiti, vt docet Order. lib. 4. aliíque ſimiles, conſecratus eſt Cantuar. Archiepiſc. Angliæ Primas die Dominico 29. Auguſti, ex Rogerio, Weſtmonaſt. aliíſque. Anonym. Floriac. præter Lanfranc. tradit hoc tempore tam in diuina, quàm in humana philoſophia floruiſſe Guidonem Langob. Maingaudum Teuton. *Brunonem Remenſem qui poſtea vitam duxit eremiticam,* Ioannem qui artem Dialecticam ſeu Sophiſticam vocalem eſſe diſſeruit, *Robertum Pariſiacenſem, Roſcelinum Compendienſem, & Arnulfum Laudunenſem,* Ioannis auditores, & plurium aliorum magiſtros pag. 90. Tomi IV. Ducheſniani. Bambergenſis Epiſcopus ob ſimoniam accuſatus vocatúſque Romam, ſuam non ſolùm probat innocentiam, ſed etiam pallium, & alia quædam Archiepiſcopatus inſignia percipit: Moguntinus verò Archiepiſc. vix & ægrè abductus eſt auctoritate Summi Pontificis à voluntate abdicandi ſe Epiſcopatu, vt teſtatur Lambertus. Hungari contra Salomonem Regem ſuum rebellionem parant, ſed terrore Henrici Germaniæ Regis refrænantur, ex Sigeberto. Piſani ob Corſicam inſulam aduerſus Genuenſes bello certantes victoriam reportant. De Manuele Comneno inſigni Duce in Turcarum delapſo inſidias videndus Zonaras.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MLXXI. *Philippus I. Francorum Rex labente regni ſui 12. die 20. Februarij Dominica Se-*

ptuagesimæ cum Arnulfo Flandriæ Comite, ciúsque matre Richilde vincitur, quamplurimis vtrimque trucidatis, à Roberto Frisio Flandriæ inuasore, prope Castellum Morinorum, quod alij vocare solent Casletum. Inter alios Arnulfus, meritò dictus Infelix, cecidit. Richildis post pugnam relaxata statim à Paschate Leodium ad Henricum IV. Imperatorem se contulit ab eodem, vt & à Theoduino Leodiensi Episcopo auxilium imploratura. Sigebertus hoc anno Godefridum Ducem scribit bello aggressum vlteriores Fresones eos pænè ad internecionem deleuisse: seq. verò docet Arnulfum pugna cum patruo suo Rotberto conserta peremptum, Philippum verò Regem fuga liberatum, multisque occisis, hinc Richildem Arnulfi matrem, illinc Robertum captos, & altero pro altera relaxato bellum inter eos vario euentu protractum. Ordericus, qui ista lib. 4. fusiùs exequitur falsò ait Arnulfum fuisse fratrem Roberti, & Balduinum eius nepotem fuisse occisum. Rectè autem docuit Guillelmum Comitem, Normanniæ custodem, in eadem pugna occisum in Cœnobio Cormelienſi fuisse sepultum, quod construxerat ipse cum Lirensi secus Risellam fluuium. Hallucinatus quoque videtur in iis quæ sequuntur: Rotbertus totam sibi Flandriam subegit, & ferè 30. annis possedit, amicitiámque Philippi Regis Francorum facilè promeruit. Ipsi namque maiorum origine erant consobrini, & ambo coniuges habebant filias Florentij Fresionum Marchisi (& hoc falsum, Bertha enim vxor Philippi Regis priuigna fuit ipsius Roberti non verò vxoris eius soror) *Plura in eamdem rem dabunt Meyerus aliique Belgicæ Scriptores Historiæ. Treuiris inuenitur corpus S. Paulini Episcopi cum aliorum SS. reliquiis, qui sub Richiouaro passi fuerant, vt docet Sigebertus Gemblacensis.* Nam Scafnaburgensis in annum seq. differt, & in nonnullis discrepat. Idem Sigebertus testatur Godefridum Ducem Inferioris Lotharingiæ (adiuuante Guillemo Vltraiectino Antistite) Frisones bello aggressum eos pænè ad internecionem deleuisse. Lambertus intra cætera habet. I. Welfum filium Azzonis Italorum Marchionis per interuentum Rudolfi Sueuorum Ducis Ducatum Baioariæ suscepisse. II. Castello Hamerstein ad Rhenum instaurato Henricum Pascha Coloniæ celebrasse. III. Viduam Balduini Comitis Flandrorum Leodij eundem Henricum conueniisse aduersus Rotbertum, in cuius historia recensenda nonnulla peccauit, quæ studiosus Lector ex superioris anni periocha haud ægrè deprehendet, refelletque. Iis verò narratis subdit. *1. Richildem*

cum filio Balduino, vt Teutonicorum Regem sibi magis obnoxium haberet, Comitatum Regineri quondam Comitis, cum castello munitissimo, Mons nomine, quæ scilicet prædia mater eius à priore marito suo dotis nomine acceperat, S. Lamberto tradidisse, quæ rursus Episcopus Leodiensis Duci Godefrido, ille itidem ipsi filio Balduini beneficij loco dedit. II. Regem hoc quasi præmio redemptum Episcopo Leodiensi atque Duci Godefrido, & alius Lotharingiæ Principibus præcepisse, vt in arduis rebus præsidio illi essent. III. Coadunato exercitu in Flandriam profectos comperto quod Robertus cum Francorum Rege iam in gratiam, præstitâ scilicet clientelari fide, rediisset, infectis rebus in sua rediisse, temerarium iudicantes cum potentissimo Rege priuatis viribus acie confligere. Deinde occasione Lupoldi proprio gladio dum fortè caballo laberetur perempti, quædam de gladio Attilæ nugatur Historico indigna, atque in morte Caroli eodem anno in Synodo Moguntina ab Episcopatu Constantiensi deiecti desinit, de quo etiam videndus Bertoldus. Trithemius quoque de Willelmo qui Hirsaugiensis factus est Abbas in Ascensione Christi die Maij 17. Alexander Papa rogatus à Desiderio Abbate Cassinum venit, & S. Benedicti templum ab eodem erectum dedicauit. *Ortus est Guillermo Aquitanorum Duci vndecimo Kalendas Nouembris Guillermus filius huius nominis verè nonus, licet à Besslyo, aliisque passim dicatur tantummodo VIII. Addit Chronicon Malleacense natam post hunc filiam, quam desponsauit Petrus filius Sancij Regis Aragoniæ.* Sanctius fratres suos Alfonsum ac Garsiam Ferdinandi filios capit, totáque fermè dominatur Hispaniâ. Normanni duce Roberto Guiscardo Panormum in Siciliâ occupant. Romanus Diogenes Græcorum Imperator Andronici priuigni proditione victus, captúsque à Turcis memorabili clementiæ exemplo à Sultano liber dimittitur spe futuræ inter vtramque gentem pacis: sed C P. rediens, vbi Michaël VII. dictus Ducas, siue Parapinacius, filius Constantini Ducæ, & Eudociæ, suffectus fuerat Imperator, ab eodem Andronico captus, oculísque priuatus, cùm nullum adhiberetur medicamentum, enatis in capite vermibus Octobri mense periit, cùm imperasset annos tres, menses 8. & dies 12. ex Curopalata, Cedreno, aliísque. Theophylactus Bulgarorum Archiepiscopus hoc florebat tempore, vt ex eius Epistolis constat.

Anno Christi MLXXII. *Philippi* 13. *Robertus Frisius Han-*

n oniam aggreſſus ad Broqueroiam hoſtes adeò fregit, cecidítque, vt deinceps Balduinus infelicis Arnulfi frater intra maternæ Hannoniæ terminos ſe continuerit, Roberto Flandriam pacificè poſſidente, qui multa templa in honorem S. Petri excitaſſe dicitur, Canonicos ſæculares regularéſve Caſleti, Torohlti, Vvatenis conſtituiſſe, poſſeſſiones S. Petri Gandauenſis ſuo diplomate firmaſſe, &c. de quibus Miræus ſimiléſque Belgæ, qui etiam aſſerunt ab Heriberto Abbate Bertinenſi ruſſum fuiſſe Alciacum vnum è monachis Suelgerum nomine, ibíque primùm inſtitutam Abbatiam. Robertus Burgundiæ Dux in conuentu Epiſcoporum Auguſtoduni celebrato operâ S. Hugonis Cluniacenſis Abbatis, vt docet Hugo Monachus in eius Vita, Haganoni Epiſcopo, aliíſque adeò pacatus eſt, vt ipſe Dux mortem ſui filij interfectoribus condonarit. De Rotomagenſi Concilio in Metropolitana S. Mariæ Eccleſia acto gubernante Guillelmo Angliæ Rege, præſide verò Ioanne Archiep. de fide ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & SS. Patrum ſeruandis inſtitutis Paſtorum incuria neglectis. Vide Ordericum Vitalem S. Ebrulfi Monachum lib. 4. Eccl. Hiſtoriæ, qui canones 24. refert, meminítque Concilij Lexouienſis. Habitum quoque fuit Ventanæ in Anglia Generale Concilium totius Inſulæ 6. Idus Aprilis, iubente Alexandro Papa, in quo ſecundum Cantuarienſem Archiep. aduerſus Eboracenſem pronuntiatum fuit, ex Malmeſburienſi, aliíſque. Petrus Damiani, Rauennatenſi Eccleſia, ad quam poſt obitum Archiep. Cadaloo Antipapæ addictiſſimi ab Alexandro miſſus fuerat, cum Romanâ Eccleſiâ reconciliatâ, cùm legatione perfunctus Romam rediret, Fauentiæ diem clauſit extremum 23. Februarij, 66. ætatis anno, de cuius laudibus multi, atque inter primos Bertoldus Conſtantienſis. Guillelmus Conquæſtor Angliæ, ob receptos, qui ex Anglia profugerant, Edgarum Eduardi filium S. Eduardi nepotem, ciúſque ſororem Margaritam, quæ poſtea Malcolmo III. nupſit, alióſque plurimos Normannis infenſos bellum Scotis indicit, tum pace initâ ac Cruce, vt volunt, pro limite regni fixa, Malcolmus turpes abrogaſſe leges, nouos inſtituiſſe Epiſcopatus, nouóſque Nobilium titulos erexiſſe perhibetur. Obierunt Adalbertus Bremenſis Archiep. mediante Quadrageſima 16. Kal. Aprilis, & Adalbero III. Metenſis Ep. cui ſucceſſit Herimannus Leodienſis Præpoſitus, ex Lamberto, qui de S. Annone Colonienſi Archiep. ad aulam Henrici Regis euocato, de Agnete matre eius ex Tranſalpinis partibus,

vbi ſex aut eo ampliùs annos iam demorata fuerat ſub nimiâ auſteritate vitæ, ad filium Vormatiam veniente cum S. Hugone Cluniacenſi Abbate, Rudolfi Ducis Sueuiæ reconciliatione, aliiſque plura narrat. Sancio in obſidione Zamoræ ex inſidiis trucidato ſucceſſit eius frater Adelfonſus VI. qui Garſiam fratrem alterum in carcerem truſit, regnauítque annis 36. Hunc Toletum Saracenis eripuiſſe docet Anonymus Floriacenſis pag 89. Tomi 4. Ducheſnij, & duxiſſe in vxorem Conſtantiam filiam Roberti Ducis Burgundionum, de qua ſuſcepit filiam, quam in matrimonium dedit Raymundo Comiti, qui Comitatum trans Ararim tenebat. Addit alteram filiam ſed non ex coniugali thoro natam dediſſe Henrico vni filiorum filij eiuſdem Ducis Roberti, eóſque ambos in finibus Hiſpaniæ collocaſſe contra Agarenorum imperium. Turcæ, quibus Aſan præerat, non tam debilitatis ac factione diuiſis Imperij viribus, quàm ignauia Michaëlis Auguſti ad regnandum ineptiſſimi, Syriam occupant, ſenſímque ſibi minorem Aſiam à Laodicea vſque ad Helleſpontum ſubiiciunt, ex Zonarâ ac ſimilibus.

Anno Chriſti MLXXIII. *Philippi* 14. Alexander II. Papa Lucenſi ſuæ Eccleſiæ Epiſcopum præficit virum eruditum Anſelmum, dein Romæ obiit die 22. Aprilis poſt ſedem annorum vndecim menſium 6. & dierum 22. Eodem die Hildebrandus, natione Tuſcus, ex Cluniacenſi Monacho S. R. E. Archidiaconus, omnium votis electus eſt Romanus Pontifex Indictione & Luna vndecimâ, feria 2. vt ex Actis Vaticanis docuimus in Chronico Technico. Multa pro eo viri pij & Catholici aduerſus Bennonem, ſimiléſque Schiſmaticos ac recentioris memoriæ Hæreticos, qui eum proſcindere omni mendaciorum ac calumniarum genere aſſolent. De eo vide Lambertum Schafnaburgenſem, Bertoldum Conſtantienſem, Leonem Oſtienſem, Guill. Bibliothecarium, Hugonem Flauiniacenſem in Noua noſtra Bibliotheca, Domnizonem, Bernriedenſem, Brunonem, Anonymum, alióſque quos in vnum, ſi res id à me tempúſque poſtularet, congerere poſſem. Is plurimas iam ab hoece anno epiſtolas ſcripſit. Tu ſi vacat conſule 6. ad Giraldum Oſtienſem, & Raimbaldum Apoſtolicæ ſedis Legatos 7. ad omnes Principes in terram Hiſpaniæ proficiſci volentes qua ſignificat *Comitem Euulum*

siue Ebalum de Roceio fama inclytum Hiſpanias ad honorem ſancti Petri ingredi, & à Paganorum vinculis eripere cupientem obtinuiſſe conceſſionem ab Apoſtolica ſede, vt partem illam, vnde Paganos ſuo ſtudio expelleret, eam ex parte S. Petri poſſideret. 13. & 14. *ad Manaſſem Arch. Remenſem & Hugonem Abbatem Cluniacenſem pro Monachis S. Remigij* 16. ad Giraldum Oſtienſem, 32. *ad Airaldum Ep. Carnotenſem* 35. *ad Roclenum Ep. Cabilonenſem, in quâ inuehitur in Philippum Regem Francorum, qui ad eum Albericum Cubicularium ſuum miſerat*, &c. 36. *ad Humbertum Archiep. Lugdunenſem*, ac ſimiles quæ ex Regiſtro editæ ſunt. *De Electione Hugonis in Epiſcopum Dienſem coram Giraldo Apoſtolicæ ſedis Vicario è Cabilonenſi Concilio reuertente communi omnium conſenſu in locum Lancelini Simoniaci die* 19. *Octobris, vide pag.* 194. *Nouæ Bibliothecæ, ex Hugone Flauiniacenſi, cui narrationem illam debemus. Monachi S. Audoëni inuaſerunt Ioannem Rotomagenſem Archiep. Miſſam celebrantem in ſolemnitate eiuſdem ſancti cum armata manu virorum: vnde iudicatum eſt in Concilio in eadem ciuitate congregato anno ſeq. præſidente Rege Anglorum Vvillelmo*, inquit *Auctor Chronici Rotomagenſis pag.* 367. *eiuſdem Nouæ Bibliothecæ, Monachos huius criminis reos per Abbatias in carceribus retrudi ad placitum Archiepiſcopi*, &c. *de quibus Matthæus Paris, aliíque. Theodoricus Comes Treuerorum pœnitentia ductus, inquit Bertoldus, quod in Conradum Metenſium Præſulem deputatum commiſit, cum aliis Hieroſolymam cœpit ire. Qui cùm mare nauigio intraſſent ſubitâ tempeſtate circumuenti, & marinis fluctibus emundati à peccatorum ſordibus migrarunt ad Dominum* 13. *Kal. Martij.* De defectione Rudolfi Alamaniæ, Bertolfi Carenthiorum, & Welfi Baioariæ Ducum totiúſque Thuringiæ atque Saxoniæ ab Henrico Rege plura dabunt idem Bertoldus, Sigebertus, Lambertus, aliíque. Anno quoque Colonienſis Antiſtes ſenium cauſatus miſſionem ab aula petiit, eáque impetratâ Rex ſtatim in omnia genera flagitiorum ruptis modeſtiæ ac temperantiæ frænis præcipitem ſe dedit. De pſeudoſynodo Erphesfurdenſi 6. Idus Martij habitâ fusè Lambertus, & de Epiſcoporum regni Lotharienſis aduerſus Gregorium VII. cum Henrico Rege expoſtulatione, aliíſque quamplurimis. Duobus fratribus Ruſſorum Regibus de regno contendentibus, inquit Sigebertus, alter eorum (Demetrius) à conſortio regni pulſus interpellat Henricum, ſe & regnum Ruſſorum ei ſubmittens, ſi eius

auxilio regno reſtitueretur. Sed id fruſtrà fuit, quia grauiſſima illa, quam modo attigimus, in Imperio Romano orta diſſenſio monebat magis ſua tueri, quàm aliena acquirere. De Crabbatis ſeu Seruiis à Bulgarorum, quos vexabant, finibus ejectis, conſule Zonaram.

Anno Chriſti MLXXIV. *Philippi* 15. *Concilium Rotomagenſe celebratum, de quo anno ſuperiori. Gregorius Papa ſcripſit hoc anno ad Guillelmum Comitem Burgundionum, vt cum Raymundo Comite S. Ægidij ſocero Richardi Capuani Principis, & Amedeo filio Adelettæ, aliiſque veniat auxilio Eccleſiæ, & pacatis Normannis, tranſeat C P. in adiutorium Chriſtianorum aduerſus Saracenos, deinde ad Arnaldum Abbatem S. Seueri, ad Manaſſem Remenſem Arch. ad Herimannum Metenſem, ad Canonicos S Hilarij Pictauenſis, ad Bigorritanum, alióſque Suffraganeos Arch. Auſcienſis Eccleſia, ad Rogerium Ep. Catalaunenſem, ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem, ad Giraldum Ep. Siſtarcienſem, ad Froterium Ep. Nemauſenſem, ad Guillelmum Comitem Dienſem, ad Iſembertum Ep. Pictauienſem, ad Beluacenſes, ad Philippum Francorum Regem in cauſa Beluacenſis Eccleſiæ, ad Humbertum Arch. Lugdunenſem, ad Anicienſes, ad Vdonem Arch. Treuirenſem, ad Epiſcopos & Abbates Britanniæ, ad Guillelmum Comitem Pictauenſem, quem laudat quod vxorem conſanguineam dimiſerit, & in aliâ vt admoneat Regem Francorum Philippum, ad Gozelinum Arch. Burdegalenſem, ad Richardum Bituricenſem Arch. de lite inter Dolenſe monaſterium, & Abbatem S. Sulpitij, & de Lanzelino parochiano ſuo, ad Abbatem Bellilocenſem, ad Hugonem de S. Maura, alióſque, ex quibus epiſtolis multa haud dubiè colligi queunt ad Hiſtoriam Francicam ſpectantia, quæ vulgares noſtri Hiſtoriographi omiſerunt.* Idem Romanus Pontifex menſe Martio celebratâ Synodo, Simoniacos anathematizauit, & vxoratos ſacerdotes Nicolaitas à diuino officio remouit, Laïciſque Miſſas eorum audire interdixit. Quod decretum à calumnia Sigeberti Henricianis partibus addictiſſimi vindicat Baronius in Annalibus numero 36. & ſeqq. Videndus quoque Marianus Scotus, qui Henrici vitia illatáſque Saxonibus iniurias exponit. Hermannus Marchio, filius Ducis Bertoldi, vitâ Angelicam Cluniaci arripiens, vxore, & vnico filio, & omnibus, quæ poſſederat, derelictis, migrauit ad Dominum 7. Kal. Maij, ex Bertoldo, quem cum Lamberto euolue de pace initâ inter Henricum Regem eiúſque ſubditos, de Legatis Apoſtolicæ ſedis

ad

ad eum missis, quibus se sub sponsionis correctione commisit, de tumultu Colonienſium aduersus suum Archiepiscopum, aliisque, ac præsertim de natiuitate Conradi pridie Idus Februarij feria 4. ac de *Vvillelmo*, cognomento *Bastard*, sic enim legendum, non, vt in editionibus Germanicis habetur, *Bostar*, Rege Anglorum, de Ioâ seu Geisâ Rege Hungariæ, de Synodo Erfurdensi mense Octobri, *&c.* de quibus etiam multa Baronius. Nicephorus Botaniates in Asiâ, & Nicephorus Bryennius in Thraciâ inuadunt imperium aduersus Michaëlem Ducam ignauiâ CP. torpentem.

Anno Christi MLXXV. *Philippi 16. Robertus Dux Burgundiæ patruus Regis obiit, ex Chronicis Diuionensi, & Vezeliacensi p. 294. & 396. Nouæ Bibl. vbi etiam additur Hugonem ex Henrico filio nepotem auo succeſſisse, & Antisiodorum succensam fuisse. Ex Chr. Catalaunensi pag. 296. redditio Vitriaci. Guillelmus Angliæ Rex Fiscanni Pascha celebrauit, Cæciliam filiam suam per manum Ioannis Arch. Rotomagensis Deo consecrandam obtulit, & Mathildi Abbatissæ in cœnobio Cadomensi educandam tradidit, cui postea præfuit per an. 14. & anno 1127. 3. Idus Iulij obiit, teste Orderico Vitale, qui se hoc anno natum ac sacro fonte renatum profitetur. Idem Rex castellum Rodulfi Comitis quod Dolum nominatur tamdiu obsedit donec Francorum Rex Philippus illum inde fugaret, inquit Rogerius. Gregorij Papæ Epistolas lib. 2. & 3. leges, cùm vacauerit, scriptas ad Hugones Diensem Ep. & Abbatem Cluniacensem, ad Eurardum Clericum Aurelianensem, ad Manassem Remensem Arch. ad fratres Abbatiæ Romanensis super fluuium Isaram, ad Ep. Leodicensem, ad Yuonem Abbatem S. Dionysij in Parisio & ad Monachos, &c. Hugo Flauiniacensis à pag. 196. multa refert de Hugone Ep. Diensi Apostolicæ sedis Legato, qui Iarentonem Monasterij Casæ-Dei Priorem ad Ecclesiasticos promouit ordines, & Legationis sibi creditæ sollicitas seruans excubias, primum Concilium celebrauit apud Ansam, secundum apud Clarummontem, in quo Stephano Aruernensi Episcopo Podiensis sedis inuasore, & Vvillelmo Simoniaco & Aruernensis sedis inuasore depositio consecratus est Aruernorum Ep. Durannus in Abbatiâ Casæ-Dei B. Roberti successor. Tertium Diuioni, iugem in omnibus aduersus Simoniacos, & perpetuum exercens conflictum.* Idem præmisit Gregorij Papæ in Romana Synodo 50. Episcoporum Decretum in hæc verba, si quis deinceps Episcopatum vel Abbatiam de manu alicuius personæ Laicæ susceperit nullatenus inter Episcopos vel Abbates habeatur: nec vlla ei, vt

Episcopo, vel Abbati, audientia concedatur. Insuper ei gratiam B. Petri, & introitum Ecclesiæ interdicimus, quoad vsque locum, quem sub crimine, tam ambitionis, quàm inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, cœpit, deseruerit, &c. *Finis Chronicæ Rainaldi Archidiaconi S. Maurilij ex Andegauensibus monimentis pag 282. Nouæ Bibliothecæ. Guigo Comes Gratianopoli in Allobrogibus initium dedisse dicitur Delfinis Viennensibus. De Concilio apud S. Maxentium præside Gozelino Burdegal. Archiepisc. 7. vel 8. Kal. Iulij, & de Monasterio Nouo Pictauensi dato S. Hugoni Cluniacensi Abbati consule Chron. Malleacense.* S. Anno Coloniensis Episcopus obiit die 4. Decembris feria 6. qui parochiam suam rebus, & monasteriis à se fundatis ampliauit, inter quæ eminet cœnobium Sigebergense, vbi conditus. Vide Vitam eius apud Surium, Lambertum, Marianum, Bertoldum, Sigebertum, Ægidium, alioſque. Is verò paullo ante Theoduini Leodiensis Episcopi successorem Henricum vitâ, & genere nobilem consecrarat, teste Sigeberto, ex quo etiam duo discimus. I. Henricum Saxones (ad Vnstrutum in Thuringia prope Neilstadium die 9. Iunij, feria 3.) grauissimo prœlio vicisse, eósque iteratâ expeditione perurgentem cunctos eorum Principes, Episcopos, Duces, Comites, ceteróſque potentes ad deditionem coëgisse, aliter paullò Marianus Scotus, qui tum viuebat, scribebátque, dum Henrici victoriam tantùm appellat, eámque dolo acquisitam: atque in illo die de exercitu illius occidisse Ernestum Marchionem cum aliis multis. II. Hungaros contra eundem rebellasse, Regémque suum Salomonem regno deturbatum sub diutina custodia excruciasse. De Romana Synodo in prima hebdomada Quadragesimæ aduersus Episcopum Spirensem Henricum Simoniacum, qui eodem tempore obiit, vide Bertoldum, & Lambertum, qui I. de Demetrio Ruzenorum Rege, II. de Monachis S. Iacobi Bambergensis, & de excommunicatione Episcopi eiusdem vrbis, III. de Bello Saxonico, cui interfuerunt Theodericus & Gozelo, seu Godefridus Gibbosus vtriusque Lotharingiæ Duces, IV. De Synodo Moguntina, V. De Conuentu Gozlariensi in Natali Domini plurima subiungit: Aderant, inquit Hildebrandi Papæ Legati denunciantes Regi, vt secunda feria secundæ Hebdomadæ in Quadragesima ad Synodum Romæ occurreret, de omnibus, quæ

obiicerentur cauſam dicturus, alioquin ſciret ſe abſque omni procraſtinatione eodem die de corpore S. Eccleſiæ Apoſtolico anathemate abſcindendum eſſe. Quæ Legatio Regem vehementer permouit, ſtatímque abiectis cum graui contumelia Legatis, omnes, qui in regno ſuo eſſent, Epiſcopos & Abbates Wormatiæ Dominica Septuageſimæ conuenire præcepit, tractare cum eis volens ad deponendum Romanum Pontificem, ſi qua ſibi ratio, ſi qua via pateret, in hoc cardine totam verti ratus ſalutem ſuam, & regni ſtabilitatem, ſi is non eſſet Epiſcopus. Narrat ſubinde, quæ Quincius Romanæ vrbis Præfectus à Papâ excommunicatus nocte Natalis Domini cum armatis inopinatò irruës in Eccleſiam egerit, quæ breuitatis ſtudio nunc omitto, & quædam alia ex Bertoldo ſelecta.

Anno Chriſti MLXXVI. *Philippi* 17. *Idibus Ianuarij ex Chronico Malleacenſi Pictauis fuit Concilium, præſide Giraudo Legato, de Corpore & Sanguine Domini, in quo Berengarius fermè interemptus eſt. Addit Philippum Regem eodem anno Pictauos veniſſe, adfuiſſe etiam Hugonem Magnum Regis fratrem ex charta Octobri menſe ibidem data docet Beſlyus. Godefridus V. Gibboſus dictus Godefridi Audacis filius, Inferioris Lotharingiæ Dux Antuerpiæ inſidiis Roberti Flandrorum Comitis percuſſus interiit* 4. *Kalendas Martij, nulla prole relictâ. Godefrido Bullionenſi eius ex Idâ ſorore nepoti, Euſtachij Bononienſis filio, poſt an.* 1061. *nato, datus eſt Marchionatus Antuerpienſis, ſiue Præfectura limitanea ſub Conrado Henrici Regis filio primogenito, qui vix trimus in Paſchate Vltraiecti celebrato Ducatum illum à patre accepit poſſeditque ab hoc anno vſque ad* 1088. *quo traditus fuit Godefrido prædicto Bullionenſi, ob egregia facta inclyto. Plura dabunt tum Bertoldus, & Sigebertus, qui etiam docet Lietberto Ep. Cameracenſi ſucceſſiſſe Gerardum, & Balduinum puerum, fratrem Arnulfi occiſi ad Doncngium bellaſſe contra exercitum patrui ſui Roberti, eúmque pugnando deuiciſſe, tum etiam Baldricus & Lambertus, de quo poſtea. B. Stephanus, de Mureto dictus, natione Aruernus, Thiernenſis, gradu Diaconus, ætatis anno* 30. *conuerſus, in territorio Lemouicenſi* 50 *annis eremiticam vitam duxit, Ordinis Grandimontenſis fundator, vt ex eius vita aliiſque conſtat. De obſidione Dolenſis caſtri à Guillelmo Angliæ Rege vide Chron. Andeg. Malmeſb. Houedenum, alióſque. Obiit Raymundus Berengarius Comes Barcinonenſis ex Chronico S. Victoris Maſſilienſis nuper edito. Ex epiſtolis Gregorij Papæ hoc anno datis legendas ſuadeo libri III.* 16. *ad Richerium Senonenſem.* 17. *ad Rai-*

nerium Aurelianenſem cum iureiurando Roberti Carnotenſis Epiſcopi, cui ſubſcripſerunt Ingelrannus Decanus, & Iuo tunc Magiſter Scholarum in eadem Eccleſia. Libri IV. 2. ad Herimannum Metenſem. 4. ad Clerum & populum Dolenſem. 5. ad Epiſcopos Britanniæ. 6. ad Henricum Leodienſem. 9. ad eundem Richerium Senonenſem. 10. ad Adelam Flandriæ Comitiſſam. 11. ad Robertum Comitem Flandriæ. Ex Lamberto conſtat Vormatiæ in Dom. Septuag. Conuentum habitum ab Henrico aduerſus Pontificem, eúmque oblatis ab Hugone, cognomento Blanco, Cardinale Romano, ob ineptiam & inconditos mores de ſtatione ſuâ amoto mendacibus ſcriptis indignum Pontificatu pronuntiant, omnia promouente præ cæteris Willelmo Traiectenſi Epiſcopo, qui cauſam Regis pertinaciùs tuebatur. II. Literas nomine omnium, qui conuenerant Epiſcoporum atque Abbatum ſcriptas à Legatis Romam allatas pridie, quàm Synodus indicta celebraretur, iiſque nihil permotum Pontificem poſtera die, cùm Clerus & populus frequens confluxiſſet, & literæ recitatæ, cunctis, qui conuenerant, Epiſcopis id fieri decernentibus, Regem excommunicatum, & cum eo quoſdam Antiſtites. III. *Godefridum, quem Gozilonem appellat, ex vulnere deceſſiſſe 4. Kal. Martij, & Virduni iuxta patrem ſepultum.* IV. Principes Saxoniæ qui in deditionem venerant in vltimas regni partes relegatos, direptis eorum bonis. V. Hildolfum factum Colonienſem Archiep. VI. Initam à Principibus & Epiſcopis aduerſus Henricum conſpirationem. VI. Traiectenſem Epiſcopum grauiſſima ægritudine correptum, miſerabili eiulatu coram omnibus, qui aderant, vociferantem iuſto Dei iudicio ſe, & præſentem vitam amiſiſſe, & æternam, quòd Regi ad omnia, quæ perperam intendiſſet, operam ſuam ſummo anniſu præbuiſſet, atque in ſpem gratiæ eius Romano Pontifici ſanctiſſimo, & Apoſtolicarum virtutum viro, [audiant hoc Nouatores] graues contumelias ſciens & prudens innocenti irrogaſſet, ſine communione, ſine vlla ſatisfactione expiraſſe. VII. Geronis Comitis filios Saxones ad rebellionem excitaſſe. VIII. Vdonem Ep. Treuerenſem communicare noluiſſe Moguntino, & Colonienſi Epiſcopis, aliiſque, obtendens, & eos, & ipſum Regem excommunicatos eſſe à Romano Pontifice. IX. Halberſtatenſem Epiſcopum liberatum miro ſtratagemate in Saxoniam

rediisse. X. Conuentu Vlmæ habito Rudolfum Ducem Sueuorum, aliósque edixisse, vt omnes 17. Kal. Nouembris Triburiam conuenirent, & variis cladibus, quibus Ecclesiastica pax turbabatur, tandem aliquando malorum pertæsi finem facerent. Adfuisse Triburiensi Conuentui Legatos Sedis Apostolicæ interim, dum Rex contractis in vnum suæ partis assertoribus in villa, quæ dicitur Oppenhein, se contineret, Rheno vtraque castra dirimente. XI. denique Rege pœnitentiam simulante, ne alius eligeretur Princeps, & meliora sanctè pollicente, Pontificis iudicio negotium illud permittendum in conuentu Augustæ ad Purificationem B. Virginis celebrando. XII. *Regem Spirâ digressum cum vxore, & filio paruulo Vesontione in Burgundia Natalem Domini celebrasse, magnificè habitum à Vuilelmo Comite matris suæ auunculo, cúmque Cluſæ aditúsque Alpium ab hostibus anticipati fuissent, appositis custodibus, in loco qui Ciuis (legendum arbitror Cenis) obuiam habuisse socrum suam, filiúmque eius, Amedeum nomine, Sabaudiæ Comitem, nec tamen ab iis transitum sub terminos suos concessum, nisi quinque Italiæ Episcopatus possessionibus suis contiguos eis redimendi uineris pretium traderet*, &c. Iis verò adde quæ aliunde collegit Baronius in Annalibus ad hunc annum. De temperata à Theodorico Hollandia ope vitrici sui Roberti Frisonis Flandrensium Comitis, ac similibus, vide Ioannem Bekam, & de Haraldo Suueini Danorum Regis successore Rogerium ac Sigebertum an. seq.

Anno Christi MLXXVII. *Philippi* 18. *Giraudus cœpit ædificare Cœnobium S. Mariæ Siluæ-maioris, ex Chronico Malleacensi. Guarmundus Abbas Dolensis factus est Archiepiscopus Viennensis, vt docet eiusdem Abbatiæ Chronicon. Quid sibi velit exercitus de Fissa, siue Fixa, quam modo Flexiam dicimus, explicandum relinquo Andegauinis, & Cenomanensibus scriptoribus. Dedicationes Ecclesiarum Baiocensis, Ebroicensis, Beccensis, & S. Stephani Cadomensis memorat Ordericus. Rogerius docet Robertum à curtis ocreis cognominatum Vuillelmi Regis primogenitum eò quod Normanniam possidere non licebat Franciam adiisse, & auxilio Regis Philippi patri suo non paruam molestiam intulisse. Obiit Adalbero Abbas Diuionensis, & eodem anno in Concilio Augustodunensi Domnus Iarento Prior Casæ-Dei ordinatus est Abbas S. Benigni* 15. *Kal. Octobris, vide pag.* 294. *Nouæ Bibliothecæ, & pag.* 198. *& seqq. vbi Hugo Flauiniacensis Abbas Concilij illius occasiones, & acta fusiùs recenset, ac de Iarentonis*

electione agit. Gregorij Papæ Epistolas ex libris IV. & V. per otium adi missas ad Rodulfum Arch. Turonensem, ad Carnotenses, ad Richerium Senonensem, ad Clericos Romanenses, ad Vvillelmum Regem Anglorum, ad Canonicos Anicienses, ad Episcopos Galliarum, ad Ioffredum Ep. Parisiacensem, ad Hugonem Diensem, ad eumdem Richerium, & Richardum Bituricensem Arch. ad Rainerium dictum Ep. Aurelianensem, & quosdam alios. Bertoldus refert Agnetem religiosissimam Imperatricem iam 20. annis in viduitate Deo deuotissimè seruientem, nec filio suo contra Apostolicam sedem in aliquo consentientem, Romæ obiisse, sepultámque ibidem in Ecclesia S. Petronillæ. Ex eodem discimus. I. Ducem Poloniæ se in Regem coronasse. II. Henricum propriæ causæ diffidentem, & idcirco generalem auctoritatem subterfugientem, furtiuè Italiam contra Papæ præceptum, & consilia Principum intrasse, & Papæ ad condictam diem Augustam tendenti, ante B. Mariæ Purificationem obuiasse Canusij, vbi & ab eo per inauditæ humiliationis simulationem communionis concessionem vix demum extorsit: dato tamen priùs sacramento, vt de obiectis criminibus ad iudicium Papæ satisfaceret, nec Papæ, & alicui eius fideli aliquam inferret molestiam. III. Iuramentum illud nec 15. dies obseruasse, captis Geraldo Ostiensi, & Anselmo Lucensi Episcopis. IV. Papam missis Legatis declarasse Regni Principibus, se parum in Henrico profeciisse, quòd eum in communionem acceperit, cùm simoniaci & excommunicati non minùs tunc fouerentur ab eo, quàm pridem. V. His auditis Principes regni generali colloquio apud Forcheim 3. Idus Martij habito Rudolfum Sueuiæ Ducem sibi in Regem sublimasse, quem 7. Kal. Aprilis, vbi medium Quadragesimæ eo anno occurrit, siue vt distinctiùs alij 26. Martij Dominica quæ dicitur Lætare, coronarunt: eodémque die niuem, quæ ante Kal. Nouembris anni prioris totam terram obtexerat, resolui tandem incepisse. VI. In die Coronationis eius per suggestionem Simoniacorum Clericorum maximam seditionem Moguntiæ ortam esse. VII. Cincium ad Henricum Papiæ morantem venisse, ibíque subitanea morte præuentum. VIII. Eumdem Henricum apud Vlmam imposita sibi coronâ interdictum regnum vsurpasse, ciúsque Cancellarium Vercellensem Ep. vitam simul & Episcopatum misera-

biliter depoſuiſſe: quod etiam contigit circa Kal. Iulij Imbriconi Ep. Auguſtenſi periuro. IX. Sigehardum Aquileienſem Patriarcham in auxilium Henrici contra bannum Apoſtolici venientem apud Ratiſponam repentina morte interceptum. X. Papam vtrique Regi ex parte S. Petri præcepiſſe, vt treugas ad inuicem facerent, & Legatis mandaſſe, vt ex duobus Regibus illum excommunicarent, qui non obediret; obedientem verò ex parte S. Petri in regno confirmarent, quod & poſtea factum eſt in die ſequenti feſtiuitatem S. Martini Gozlariæ Henrico pro inobedientia iterum excommunicato; Rudolfo verò in regnum ſublimato. Denique Geraldum Oſtienſem Ep. de huius vitæ ergaſtulo liberatum 8. Idus Decembris. Lambertus à Schafnaburg Monachus Heruelденſis, qui vltra hunc annum prouectus ſcribendo non eſt, nonnulla obſeruat à nobis obiter pro more delibanda. I. Papæ Roma egreſſo ducatum præbuiſſe Mathildam derelictam Godefridi Ducis Lotharingorum, filiam Bonifacij Marchionis, & Beatricis Comitiſſæ, eíque in omnibus ſedulum exhibuiſſe officium. II. Regis fautores, præcipuè Clericos, quibus illicita coniugia prohibebat, impudenter iactaſſe inceſti amoris ſuſpicionem, quàm egregiè refellit, tum ex aliis, tum quod ſigna & prodigia, quæ per orationes Papæ frequentiùs fiebant, eiúſque pro Deo, & Eccleſiaſticis legibus feruentiſſimus zelus eum contra venenatas detractorum linguas communiebant. III. *Diedericum Virdunenſem Ep. dum Regem in Italiam inſequi vellet captum, & ſpoliatum ab Adalberto Comite de Caſtellò, quod dicitur Caleuuo.* IV. Henricum Mathildam ad colloquium euocatam, precibúſque ac promiſſionibus oneratam ad Papam tranſmiſiſſe, & cum ea ſocrum ſuam, filiúmque eius, Azzonem etiam Marchionem, & Abbatem Cluniacenſem, *&c.* V. Cùm tres dies ieiunus mane vſque ad veſperam nudis pedibus perſtitiſſet quarto demum die in conſpectum Papæ admiſſum, & ab excommunicatione abſolutum eâ lege, vt die & loco, quemcúmque Papa deſignaſſet, euocatis ad generale Concilium Teutonicis Principibus præſto eſſet, *&c.* VI. Papam ſumptione Euchariſtiæ innocentiam ſuam probaſſe, reſiduámque partem Dominici Corporis Henrico porrigere voluiſſe, quod ille diſtulit. VII. Eumdem nullo honore ſibi ab Italis exhibito, fœdus

cum Papâ initum abrupiſſe, reuocatis, quos ille ab eius contubernio remouerat. VIII. Miſſos à Papâ Bernardum Abbatem de Maſſiliâ, virum eximiæ conuerſationis, & multarum in Chriſto virtutum, cum Benardo Cardinale ad Principes Teutonici regni, qui 3. Idus Martij Forcheimij conuenturi erant ad electionem Rudolfi Regis, quam ipſe noluit attingere. Extant editæ à Ioanne Piſtorio Nidano additiones quædam vſque ad annum 1472. ab Erphudienſi quodam Monacho ignoti nominis. In Geiſæ Hungarorum Regis defuncti locum ſufficitur Ladiſlaus, inquit Sigebertus, cuius aduerſus Hildebrandum calumnias refellunt Genebrardus, Baronius, Gretſerus ſub finem Tomi II. Defenſionis Card. Bellarmini, aliíque. Xiphilino poſt annos ferè 12. mortuo Coſmas creatur Patr. CP. ex Zonara.

Anno Chriſti MLXXVIII. *Philippi 19. Balduinus Nouiomenſis Epiſcopus Chronicon ſuum Cameracenſe à Georgio Coluenerio anno 1615. editum dedicauit. Gerardo II. Epiſcopo Camerac. Gregorius Papa ſcripſit aliquot Epiſtolas ad rem Gallicam attinentes, Libri V.* 14. *ad Clerum & populum Aurelian.* 17. *in qua de Manaſſe Remenſi, Hugone Bizuntino, Richerio Senonenſi, Radulfo Turonenſi Archiepiſcopis, & de Richardo Bituricenſi qui dicitur virgam & annulum recepiſſe, cùm irato animo & non iudicio Synodali Eccleſiam ſuam dimiſiſſet, ac promiſiſſe ſe de obiectis coram Legato Apoſtolico ſatisfacturum.* 19. *ad Guillelmum Regem Anglorum.* 20. *ad Rainerium Aurelianenſem.* 21. *ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem.* 22. *ad Hubertum & Teuzonem Legatos,* 23. *ad Comites Britanniæ, Oelum, Gaufredum Redonenſem, & Gaufredum filium Eudonis. Libri VI.* 2. *ad Manaſſem Archiep. Remenſem,* 3. *ad Hugones Dienſem & Cluniacenſem.* 7. *ad eumdem Dienſem.* 8. *ad Comites de caſtro S. Pauli.* 9. *ad Archidiaconos & Canonicos Taruanenſes.* Nunc ad Concilia accedamus, non Romana duo, de quibus non ſecus ac de Bennone Schiſmatis aduerſus Papam coryphæo, de Hugone Candido Cardinale, aliiſque Schiſmaticis, conſule Baronium: *ſed Pictauenſe, ab Hugone Dienſi celebratum, vbi quanta Deus operatus ſit, & quanta erga ſeruos Chriſti diabolus conatus ſit, refert ex ipſius ad Papam literis Hugo Flauiniacenſis pag.* 202. *& ſeqq. Chronici Virdunenſis Tomo I. Nouæ Bibliothecæ, cui ſubiungitur Epiſtola Manaſſæ Remenſis Archiep. ad Gregorium Papam, Lugdunenſe & Auenionenſe, de quibus poſtea. Idem quoque Romana non omiſit pag.* 214. Corrigen-

dus

dus ergo error Chroniti Malleacenſis, vbi Pictauenſe Concilium ab Hugone Legato (quem minùs rectè Lugdunenſem Ep. vocat) primo die apud S. Petrum & alio die ad S. Hilarium habitum differt in an. ſeq. Herluinus primus Beccenſis Abbas 7. Kal. Sept. obiit ætatis 84. Monachatus 44. & interpoſitis paucis diebus Anſelmus, qui tunc erat Prior, Abbas electus eſt, & ſeq. anno in feſto Cathedræ S. Petri ab Ebroicenſi Ep. conſecratus, de quo ac ſimilibus plura Ordericus. Henricum, ait Bertoldus, contra Papæ præceptum maxima multitudine flagitioſorum adunatâ procinctum in Saxoniam parauiſſe, eíque Rudolfum Regem apud Strunam, vel vt habet Erphordienſis Monachus, iuxta Medelrichſtat, cum exercitu obuiantem campum victoriæ obtinuiſſe 7. Idus Auguſti. Ex eius tamen parte occubuiſſe Wecelonem Magdeburgenſem Archiep. S. Annonis Colonienſis fratrem, & captum fuiſſe Vormacienſem Ep. Idem fatetur Marianus Scotus, licet Vrſpergenſis, & quidam alij velint, æquo Marte pugnatum: Sigebertus in Henricum pro more propenſior narrat eum Sueuiam peruagatum, caſtella fregiſſe, & omnia depopulando, inimicis ſuis formidinem, amicis addidiſſe fortitudinem, multóſque, qui ex deſperatione rerum à ſe defecerant, ad ſe retraxiſſe. *Hermannum verò Epiſcopum Papæ ad animam, vt eius verbis vtar, confœderatum, ac per hoc Imperatori rebellem, Mettenſi vrbe pulſum.* Michaël Ducas Parapinacius, cùm annos ſex totidémque menſes imperaſſet, ſponte abdicauit in cœnobium cum vxore detruſus die 7. Aprilis ſabbato ſancto. Nicephorus verò Botaniates, qui Turcorum auxiliis fretus Nicæam in Bithynia inuaſerat, Imperator C P. acclamatus die 25. Martij, coronatur à Coſma P. C P. Xiphilini ſucceſſore. Is miſſo in Thraciam Alexio Comneno Nicephorum Bryennium victum captúmque luminibus priuauit, & Durazzonem alium tyrannum oppreſſit, ex Zonara. Interim Turcæ Orientem vaſtant, Mediámque integram, Cyprum, Rhodum, aliáſque inſulas occupant, Sigebertus anno ſeq. tradit Turcos ſuper Arabes ac Saracenos inualuiſſe, & Armeniam, Syriámque incurſantes, multas vrbes, ipsámque Antiochiam cepiſſe.

Anno Chriſti MLXXIX. *Philippi* 20. Gregorius Papa Synodum Romæ menſe Februario collegit in qua Berengarius iam tertiò conuictus (prope octogenarius) hæreſim ſuam abiurauit, & anathematizauit, quæ aſſerit corporales res in al-

tari positas non verè, sed figuratè tantum in corpus & sanguinem Domini transire: ita Bertoldus, quique editus est in Noua Bibliotheca Hugo Flauiniacensis pag. 215. qui & ipsam abiurationis formulam refert, addítque Papam præcepisse Berengario (quem Bruno Signiæ Episcopum egregiè refelliſſe perhibetur) auctoritate Apostolica, vt de Corpore & Sanguine Domini numquam vlteriùs cum aliquo disputare, vel docere præsumeret, excepta causa reducendi ad fidem eos, qui per eius doctrinam ab ea recesserant. *Idem Summus Pontifex hoc anno scripsit ad fratres in Monasterio Massilienſi commorantes, ad Hugonem Abbatem Cluniacensem, ad Centullum Comitem, ad Arelatenses, ad Aurelianenses, ad Amatum Ellorensem in Vasconia Episcopum, ad Arnaldum S. Seueri Abbatem, ad Fulcardum Insulanæ Congregationis Præpositum, eiusdémque Canonicos tam minores quàm maiores, ad Monachos Dolensis Monasterij, qui in locum Vvarmundi Archiep. Viennensis Gualterium Abbatem elegerant, ad Rodulfum, Odonem, Epponem, Humbaldum, Euerardum, Bosonem, Giraldum, Adelardum, & cæteros Principes Biturícæ regionis de eodem negotio, ad Archiep. Episcopos, Principes, Clericos, Laicósque in Prouincia commorantes, ad Isembertum Ep. Pictauensem, ad Hugonem Clun. ad Gebuinum Lugdunensem Archiep. ad Rotomagensem, Turonensem & Senonensem, vt Lugdunensi Primati à se confirmato obedientiam præstent, ad Canonicos Lugdunensis Ecclesiæ, ad Hubertum Subdiaconum Cardinalem, ad Ricardum Card. ad Monachos Massilienses, ad vniuersos in Britannia commorantes de falsæ pœnitentiæ abusu, cuius occasione celebratum est præside Amato supradicto Apostolicæ Sedis Legato Concilium in Minori Britannia, aliúdque ab eodem Burdigalæ, cuius mentio in charta quadam Abbatiæ sancti Ioannis Angeriacensis apud Besly um. Bernardus Massilienſis Abbas vir caritate plenus, teste Bertoldo, obiit 13. Kalendas Augusti, & Doctor quidam Adalbertus 3. Nonas Decembres. Ordericus quoque memorat Ioannni Rotomagensi Archiepiscopo defuncto succesſisse Guillelmum Cadomensem Abbatem, de cuius natalibus dubitatum innuunt Gregorij Papæ epistolæ. De pugna Vvillelmi Regis cum Roberto filio ante castellum Gerboredum plura Rogerius, aliíque Angli atque Normanni. Adela Balduini Insulani vidua ad Christum migrauit in Messinensi cœnobio tumulata. Sancti Saluatoris cœnobium in Aquicinctina insula viri duo nobiles Sicherus, & Vvalterus ædificare cœperunt, cùm eam ab Anselmo de Ribodimonte viro in Ostrouandia potente accepissent, vt Miræus exhibet capite 103.*

Notitiæ Ecclesiarum Belgij. De Ærâ Gelalæâ, cuius anni Solares ab Æquinoctio Verno, siue à meridie proximè sequente ingressum Solis in Arietem, inchoantur, ex Georgio Chrysococca, Scaligero, Petauio, Bullialdo, nonnulla diximus in Chronico Technico. Bellum iuxta Fladesheim V. Kalend. Februarias commissum, in quo Memfudus Comes cum aliis multis occubuit ex Mariano, Erfordiensi Monacho, Vrspergensi, aliisque, nam Bertoldus in seq. annum differre videtur, cùm ab hac expeditione, nisi tamen alia à præcedenti diuersa statuenda sit, Rudolfum reuersum asserat statim Legatum Romam ad Synodum direxisse. De S. Stanislai Cracouiensis Ep. nece ab impio Boleslao Rege perpetrata, vibratóq; in eum à Gregorio Papâ anathemate, & Polonia Regio titulo priuata, quo per annos plures ducentis ad annum vsque 1295. caruit, consule inter cæteros Baronium ex Longino Cracouiensi, aliisque, qui referunt Boleslaum breui versum in insaniam, anno seq. à canibus dilaniatum periisse.

Anno Christi M L X X X. *Philippi* 21. *Sextum ab Hugone Diensi celebratum est Concilium apud Lugdunum pro quibusdam negotiis, quorum discussionem ei Papa imposuerat literis, quas exhibet Hugo Flauiniacensis, qui addit Manassem Remensem Archiep. in eo Synodali iudicio depositum, tum quia se purgare noluit de obiectis criminibus, tum quia audientiam Eduensis, Pictauensis, & ipsius Lugdunensis Antistitum subterfugit. Celebrauit & septimum, pergit idem auctor, apud Auenionem, in quo depositus est Achardus Arelatensis inuasor, & electus est Gibilinus in Arelatensem Archiep. Lantelmus in Ebredunensem æque Archiepiscopum, Hugo in Gratianopolitanum Episcopum, Desiderius in Cauallicensem, quos post expletionem Concilij secum Romam duxit, & consecrati sunt à Papa. Extat in MSS. electio Vualterij Cabilonensis Episcopi facta hoc Christi anno, sceptra moderante regni Nobilissimo Regum Philippo, Consulatu Cabilonicæ vrbis tunc temporis manente absque terreno Principe. Ordericus Vitalis lib. 5. refert Canones plures (alij 47. numerant alij ad 13. reuocant) Concilij, quod à Guillelmo Anglorum Rege cum Episcopis, & Proceribus Normanniæ apud Iuliobonam, corruptè Lillebonam, in Caletibus celebratum est, in festiuitate Pentecostes. Vide pag. 552. Historicorum Normanniæ à Duchesnio editorum, ideóque mirum, quod aliàs monui, ab omnibus hactenus Conciliorum coaceruatoribus fuisse prætermissum. Lingonense additur eodem anno & Præside aduersus inuestituras Laicorum, sed huius, vt*

caterorum saltem non meminit Hugo noster, cui tam multa debebunt Antiquitatis Francicæ seduli indagatores. De Auenionensi verò præter hunc etiam meminit Guigo quintus Cartusiæ Prior in vita S. Hugonis Gratianopolitani Episcopi. Videndus quoque de Meldensi Concilio Lisiardus in Vita S. Arnulfi, qui depositio ab Hugone Diensi, Vrsione Suessionensi Episcopo, in eius locum subrogatus est, & die 18. Decembris, consecratus ex Abbate S. Medardi. De Senonensi denique, mense Octobri, in quo depositus est Niuernensis Antistes, consulendum moneo Tauellum in Senonensibus. Nunc ad Epistolas Gregorij Papæ accedamus licet: Lib. 7. 12. ad Manassem Remensem Archiep. 15. ad Episcopos Britanniæ Clerum populúmque in Turonensi prouincia constitutos. 16. ad Hubertum Taruannensium Episcopum. 17. ad Dolenses Monachos. 18. ad Vvillelmum Auxiensem Archiep. 19. ad omnes in Bituricensi, Narbonensi, & Burdegalensi prouincias constitutos. 20. ad eumdem Manassem. 22. ad Arnaldum Ep. Cenomanensem. 23. ad Vvillelmum Regem Anglorum. Libri VIII. 2. ad Hugonem Clun. 16. R. & B. Nobilibus Comitibus. 17. ad Remenses. 18. ad Ebolum Comitem. 19. ad Suffraganeos Ecclesiæ Remensis. 20. ad Philippum Regem Francorum. Idem Papa Synodum Romæ mense Martio collegit, ad quam de Teutonicis partibus Petrus Igneus Albanensis Ep. & Vdalricus Paduanus Antistes Legati Sedis Apostolicæ redierunt, & omnimodam Rudolfi obedientiam, & Henrici inobedientiam renunciauerunt, vnde ipse in fine Synodi Henricum deposuit, & cum omnibus suis fautoribus anathematizauit: Rudolfum verò Apostolicâ auctoritate in Regia dignitate confirmauit. Inde Henricus congregata multitudine Schismaticorum, & excommunicatorum apud Brixinam in Noricis die 25. Iunij, feria 5. legitimum Papam abiurauit, & Guibertum Rauennatem quondam Episcopum, sed iam à triennio à Papâ depositum, sibi, non in Papam Clementem III. dictum, sed in hæresiarcham elegit, ex Bertoldo, qui tria addit. I. Henricum conuentu apud Maguntiam facto electionem Guiberti à quibuscumque potuit fecisse confirmari. II. Iam mediante Octobri, Henricum parata in Saxoniam expeditione, fugatum à militibus Rodulfi apud Elstram, quem alterum Machabæum patrem patriæ, seruantissimum iustitiæ, indefessum propugnatorem S. Ecclesiæ vocat, qui cùm instaret hostibus vulneratus in eadem congressione vno die superstes, omnibus suis ritè ordinatis, ad Do-

minum migrauit Idibus Octobris, postquam tribus annis dimidióque regnasset, & apud Merseburg glorioſissimè sepultus est. III. Eodem die in Langobardia milites Ducis Mathildæ fuisse apud Vultam prope Mantuam ab exercitu penè totius Langobardiæ fugatos. IV. Henricum eo tempore totam Italiam adeò conturbasse, vt nullus securè ad limina Apostolorum posset ire, qui non priùs abiuraret, quòd ad Papam Gregorium diuersurus non esset. Sigebertus pro more hic omnia fœdat, tum subiicit Moguntiam magno terræ motu concussam Kal. Decemb. atque anno seq. ex maximâ parte incendio conflagrasse. De eodem Rodulfi obitu ac similibus consulendi Hugo Flauiniacensis pag. 226. Marianus, Otho Frisingensis, Vrsp. *&c.* vt videas mendacia Fabricij, Caluisij, similiúmque hæreticorum, qui Rudolfum à Godefrido Bullioneo circa ilia deformi lethalíque vulnere affectum, dextráque præcisâ, conquestum fuisse de perfidia Episcoporum, qui persuaserant ipsi, vt fidem Henrico datam falleret, & legitimam sibi à Deo irrogatam pœnam confessum, nam quod ad τυμβωρύχην Michaëlem Sidonium spectat, viderint ipsi religionis omnis violatores. *De expeditionibus Francorum in Hispaniam aduersus Saracenos iam supra diximus, & de Raimundo Guillelmi Burgundiæ Comitis tertiogenito qui Vrracam, & de Henrico eius consobrino, qui Teresiam Alfonsi filias in vxores duxerunt.* De Roberto Guiscardo annuum tributum Papæ spondenti, de inuento Salerni corpore B. Matthæi ac similibus, lege Baronium.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MLXXXI. *Philippi 22. nascitur Ludouicus-Tedbaldus, Crassus postea cognominatus, filius eius ex Berta Hollandiæ Comite Florentio genita, vt discimus ex vita S. Arnulfi Suessionensis Ep. de quo an. superiori. Apud Exoldunum castrum in Bituricensi prouinciâ Præside Hugone Diensi celebratum est Concilium de controuersiis ad Dolensem Abbatiam spectantibus, vt ex Ivonis Carnotensis Episcopi epistolis 180. 204. & 268. Vrbani Papæ epistola pro S. Martino, quam refert Baronius anno 1096. Chronicis sancti Petri Senonensis, & Antissiodorensi Roberti Monachi S. Mariani O. P. aliísque monumentis planum fieri potest. Adhunc porro annum spectare videntur ex epistolis Gregorij Papæ libri IX. 5. 6. 7. 9. 13. 15. 16. 18. 19. 22. 23. 29. 30. 31. 32. 33. 34. & si quæ aliæ. Extat quoque inter cæteras*

prolixior ad Herimannum Metenſem Ep. ſcripta, cui ſe reſpondiſſe teſtatur Sigebertus in vitâ ſuâ. Radulfus Fulcredi filius electus eſt à Philippo Rege Francorum ab Archiepiſcopatu Turonenſis Eccleſiæ, quòd faueret Amato & Hugoni Legatis, vt fusè narratur in Cartulario ſancti Martini, cuius apographum memini me alias vidiſſe. Richildis, eiúſque filius Balduinus Hannoniæ Comites fundant Abbatiam S. Dionyſij in Broqueroia ex Notitiæ cap. 105. Henricus Rex, cui natum hoc anno volunt filium Henricum V. comparato Schiſmaticorum exercitu, Veronam venit ad Paſchales ferias, & inde ad inuadendam Romam, quam Pontifex præſidiis, & commeatu munierat, veſperâ Pentecoſtes accedit, cum ſuo, non Apoſtolico ſed Apoſtatico Guiberto, vt loquitur Bertoldus, qui etiam ſubiungit, ab Arch. Ep. Ducibus, Marchionibus, & Comitibus regni Teutonicorum Hermannum nobilem è Lotharingia virum, Comes fuit Salmenſis Giſleberti Lucelburgenſis Comitis filius, quem Sigebertus vocat militem Hermanni Ep. Metenſis, electum fuiſſe ante feſtum S. Laurentij, & poſtridie eiuſdem feſti de inimicis, qui electionem eius impedire volebant, magnâ ſtrage proſtratis triumphaſſe in confinio Baioariæ, in loco, qui dicitur, Hoſteſte. Electum Bambergæ & per Epiſcopum Moguntinum die 26. Decembris in feſto S. Stephani Gozlariæ, vt ait Bertoldus, vnctum & coronatum, quidam aſſerunt aulæ ſedem collocaſſe Iſlebiæ, ideóque dictum Alliorum Regem. Bambergenſe Monaſterium in vigiliâ Paſchæ combuſtum, inquit Marianus Scotus, qui in an. ſeq. differt Hermanni electionem, quem vocat virum ſapientem, modeſtia, genere & fortitudine inſignem. Errat verò Sigebertus, qui Mariani Chronicum vſque ad annum tantùm ſeq. porrigit ætatis eius 56. cùm in editione Piſtoriana vſq; ad an. 1083. pertingat cycli Decemnoualis 2. Ind. 6. imò vſque ad an. 1084. cùm, licèt alieno prorſus loco, teſtetur Henricum in ſancto die Paſchæ vna cum vxore ſua Bertha à Clemente Antipapa fuiſſe Roma coronatum. Nicephoro Botaniate, cùm imperaſſet 2. annis, menſibus 11. & diebus 20. exauctorato, Alexius Comnenus à Legionibus in Thraciâ acclamatus Imp. die Cœnæ Domini Kalendis Aprilis coronatus eſt Ind. 4. an. Græc. 6589. Videndi Ioannes Scylitza Curopalates, & Conſtantinus Manaſſes, qui hîc deſinunt, Zonaras, atque ipſa Anna Comnena Cæſariſſa in eleganti, quam

ſcripſit, Alexij patris ſui Vita, vbi mentio expeditionis pro Michaële Duca à Roberto Guiſcardo ſuſceptæ. Boleſlao in Hungariâ mortuo, Polonorum Princeps fuit Ladiſlaus eius frater ad annos 20. Canuto quoque poſt duos regni annos à ſubditis occiſo Daniam regere incipit Olaus eius frater annis 10.

Anno Chriſti MLXXXII. *Philippi* 23. *S. Maxentij Adiutoris villam, & monaſterium Malleacenſe combuſta, atque apud Karrofum reliquias demonſtratas, factúmque in illo cœnobio Concilium, aliáque diſcimus ex Chronico, quod vulgò dicitur Malleacenſe, cùm potiùs Maxentianum dici debuerit, vbi mentio Literij Cormaricenſis Monachi, qui per decem annos nec vinum bibit, nec aquam, niſi in ſacrificio. In Concilio Meldenſi Hugo Dienſis Ep. Apoſtolicæ Sedis Legatus Robertum Reſbacenſis Eccleſiæ Abbatem, Epiſcopum illius vrbis ordinauit, quod Richerius Senonenſis Archiepiſcopus ſine aſſenſu ſuo, & præſentia indignans fieri, eumdem Robertum excommunicauit, aliúmque poſtea in eius loco Epiſcopum ordinans, ſubrogauit, inquit Robertus S. Mariani. Gibuino Lugdunenſi Archiep. mortuo, electione cleri & populi auctoritate, & præcepto Romani Pontificis ad eandem ſedem promotus Hugo Dienſis Epiſcopus, de quo, aliíſque ad Hiſtoriam huiuſce temporis ſpectantibus plura exhibet laudatus ſæpè, nuper à nobis editus ex MS. codice, Hugo Flauiniacenſis. Raimundus Barcinonenſis Comes obiiſſe dicitur in Chron. S. Victoris Maſſilienſis.* Ex Bertoldo diſcimus, I. Henricum cum ſuo Antipapa in Romanâ obſidione æſtate tota moratum penè incaſſum laboraſſe, neque à Romanis in vrbem admiſſum milites ſuos in vicinis caſtellis collocaſſe. II. Ignem in domum S. Petri per traditorem quendam immittere voluiſſe. III. Papam viſo incendio milites Romanos ad propugnacula defendenda tranſmiſiſſe, ipſum verò ſolum fiducia S. Petri fretum, facto contra incendium Crucis ſigno, ignem progredi vlteriùs non permiſiſſe. IV. Relicto in Tiburtina vrbe Guiberto Henricum in Langobardiam reuertiſſe. Alexius Comnenus Græcorum Imperator Auream Bullam edidit, ne quis Eccleſiarum rebus ſacris manus iniicere eaſve alienare audeat.

Anno Chriſti MLXXXIII. *Philippi* 24. *apud Santonas extitit Concilium, in quo Ramnulfus eidem vrbi ordinatus eſt Epiſcopus, & Simon Canonicus S. Hilarij Pictauenſis in Agennenſem electus ex Chronico Malleacenſi. Obiit* 4. *Nonas Nouembris feria* 5. *Mathildis*

Regina Anglorum, vxor Guillelmi Regis, & filia Balduini Flandriæ Comitis, ex Orderico, Rogerio, Chron. Fiscanensi, &c. nam Bertoldus eius mortem in annum sequentem differt. De Affligemensis Abbatiæ primordiis consule Sigebertum. Miræus post triennium docet fundatam ac dotatam ab Henrico Louanienſi Comite, & Ecclesiæ Niuellensis Aduocato cap. 199. Notitiæ: capite verò 106. fit mentio Munsterienſis cœnobij ad Luceburgenses muros fundati à Conrado I. Comite fratre Herimanni Regis Germanorum. De diplomate concesso à Rege Philippo Nobilibus viris, qui in Syluâ Maiori sub Giraldo Abbate monasterium incœperant, vide Chronicum Technicum. Henricus Rex Leonina Roma potitus ductore, vt volunt, Godefrido Bullionensi die 2. Iunij, feria 6. ante Pentecosten Guibertum induxit in sanctum Petrum, & per Mutinensem & Ariminensem Episcopos depositos, & anathematizatos consecrari fecit. Deinde militibus in castello Palatioli impositis, Romanos vexare cœpit, quorum consilio effectum, vt Papa Gregorius Synodum in medio Nouembri Romæ colligeret, cuius statuta nec Henrico, nec Romanis, nec vlli penitus liceret præuaricari. Cùm verò milites in Palatiolo relictos mors penè omnes repentina oppressisset, castellum illud illicò à Romanis solo æquatum est. Verùm Henrico ad Synodum, ad quam venientes incarcerati sunt aut prohibiti, Romam reuerso, & Romanis iuramentum suum de coronatione Henrici à Gregorio facienda seruare paratis, aut cum iustitia, si vellet, aut cum maledictione, vt ait Bertoldus, re infecta circa Romam multo tempore moratus est idem Princeps. Addit Auctor I. S. Stephanum Hungarorum Regem post 40. obitus sui annum miraculis claruisse. II. Salomonem dignitate Regia indignissimum à Ladislao regno priuatum, & incarceratum fuisse. III. *Berengarium in locum suum abiisse, de cuius salute ac verâ ab hæresi conuersione plerique ambigunt, licet Hildebertus Cenomanensis postea ac Turonensis Antistes eum apprimè laudauerit in elegiaco carmine quod exhibet in Historia Anglica Vvillelmus Malmesburiensis, alique post eum.* IV. Multos in tam difficili Ecclesiæ dissidio in cœnobia se abdidisse, in quibus eminebant S. Blasij, Hirsaugiense & Scaphusianum. De iisdem verò turbis euoluendi præterea Leo Ostiensis, Rogerius, Frising. Vrspergensis, *&c.* nam Sigebertus succo lolliginis madet totus.

Anno

Anno Christi MLXXXIV. *Philippi 25. fundata sunt cœnobia sancti Nicolai de Ribodimonte, Aldeburgense, Hamense, Andrense, de quibus vide Miræum. Comes Montensis Balduinus duxit Idam, inquit Sigebertus, qui de Brunone fallitur.* Sigefridus Moguntinus Archiepiscopus Gregorij Papæ adiutor indefessus obiit. Alexius C P. Imperator maximampecuniam Henrico transmisit, vt Robertum Guiscardum Calabriæ & Apuliæ Ducem coniuratum Papæ militem bello appeteret; Verùm eam ille contra iuramentum suum ad conciliandum sibi vulgus Romanum expendit, cuius opera Lateranense Palatium feriâ 5. ante Palmas cum suo Guiberto intrauit, (Papâ interim in Castellum sancti Angeli se recipiente, ac Tiberinos pontes, & firmiores munitiones obtinente) & ab eodem Apostata in die Resurrectionis Dominicæ, coronam, non gloriæ, sed confusionis accepit, vt ait Bertoldus, qui pluribus turbas illas repræsentat cum Mariano Scoto, quem iam supra emendandum admonui, Leone Ostiensi, Hugone Flauiniacensi, qui de Mathildis Comitissæ zelo erga sedem Apostolicam multa habet non cuiuis obuia, Fris. Vrsp. ac similibus. Robertus Guiscardus Dux Normannorum post Kalend. Maij Romam armata manu inuasit, fugatóque Henrico totam vrbem Gregorio Papæ rebellem expoliauit, deinde acceptis obsidibus plurima castella & ciuitates Papæ recuperauit. Henricus cùm ei resistere non valeret, ad partes Teutonicorum festinanter rediit, & per Sueuiam petiit Mogontiam, vbi Wecilonem Archiepisc. constituit. Papa iterum Sententiam anathematis in Guibertum, Henricum, eorúmque fautores collecta Synodo promulgauit, & Româ relicta Cassinum montem, indéque Salernum se contulit. Otho Ep. Ostiensis Legatus Apostolicæ Sedis Gebehardum Bertoldi Ducis filium consecrat Constantiensem Ep. 11. Kalendas Ianuarij, cùm illum pridie Presbyterum cum ipso, qui hoc enarrat, Bertoldo, aliísque feciſſet. Dodechinus Abbas in Monasterio sancti Disibodi in Appendice ad Mariani Scoti Chronicon docet Henricum de Italia reuertentem Augustam ciuitatem obsediſſe ac cepiſſe. De Alexij Comneni classe aduersus Robertum Guiscardum ac similibus vide quæ ex variis Baronius, neque enim in omnibus fides iis adhibenda, quæ in gratiam patris elucubrauit Anna Cæ-

sariſſa ipſi etiam Romano Pontifici infenſa.

Anno Chriſti MLXXXV. *Philippi 26. Prælium inter Lauallenſes, & Caſtrogunthenenſes, ex Chronico Andegauenſi. Obierunt Burcardus Comes Vindocinenſis, filius Fulconis Anſeruli cognominati, & Odo Dominus Exoldunenſis filius Radulfi Prudentis Domini Dolenſis, vt diſces ex pagg. 288. & 316. Nouæ Bibl. pagina verò 314. & ſequentibus Hugo Flauiniacenſis pluribus narrat Monachorum S. Vitoni è monaſterio ſuo egreſſum, ob efferatos impetus Theoderici Virdunenſis Ep. Guibertinis partibus addictiſſimi. De fundatione Strumenſis Virginum cœnobij primo lapide ab Atrebatenſi vrbe nonnulla Miræus dabit.* Ex his verò, quæ habet Bertoldus, pauca pro more ſeligo. I. Oſtienſem Ep. die 15. poſt Epiphaniam interfuiſſe colloquio, quod Saxones contra Henrici fautores condixerant. II. Hermannum Regem in Quintilineburg Paſcha celebraſſe, & generalem ibi coiiſſe Synodum, cuius acta fuſiùs repræſentat, & in fine Synodi addit ſententiam anathematis cum ardentibus candelis promulgatam in Guibertum, *&c.* III. Schiſmaticos in tertia hebdomada poſt finitam Synodum collegiſſe Moguntiæ Conciliabulum. IV. famem, peſtem, & aquarum inundationes vaſtaſſe Italiam, in quâ ſublatis hoſtibus Mathildis ſuam poteſtatem recuperauit, & in omnibus Eccleſiæ Dei adminiculari non ceſſauit. V. Gregorium Papam, cùm in gubernatione totius Eccleſiæ 12. annos, & vnum menſem legitimè decertaſſet, tandem ab hac luce ſubtractum Salerni die 25. Maij, & in Eccleſia S. Matthæi ſepultum fuiſſe, quam ipſe eodem anno dedicarat. VI. Guibertum Româ Rauennam redire compulſum Catholicis non minùs, quàm ante eidem reſiſtentibus. Addit Otho Friſingenſis lib. 6. cap. 36. morti propinquum dixiſſe: Dilexi iuſtitiam & odi iniquitatem, propterea morior in exilio. Plura de iiſdem repete ab Hugone Flauiniacenſi pag. 232. Nouæ Bibl. Willelmo Malmeſb. Leone Oſtienſi, & aliis Catholicis Scriptoribus. Nam quæ de eo Sigebertus, aliíque Schiſmatici, tum veteres, tum noui habent, fide omni carent, & nugas illas ſcitè refutauit Baronius in Annalibus. Hoc verùm, in locum Hermanni Metenſis Ep. vnum alterúmve mercenarium ſuppoſitos, ſed oues Chriſti non audiiſſe vocem alienorum. Item Saxones quod pactis non ſtaret Imperator, ab eo iterum receſſiſſe, incentore præ cunctis Egberto Comite eius conſanguineo. Gual-

cherus seu Galtherus ex clero sancti Lamberti Leodiensis, in Anglia Episcopus, Anglorum odiis impetitus, innocens, cùm celebraret Missam, occisus est. Obiit quoque eiusdem anni mense Iulio Robertus Guiscardus Apuliæ, & Calabriæ Dux fortissimus, succedentibus filiis Rogerio & Boamundo. Addunt quoque Venetos à Normannis victos pulso Duce suo substituisse in eius locum Vitalem Falicerum. Quod ad Hispaniam spectat Æra 1123. die 25. Maij, ex Roderici lib. 6. c. 24. & seqq. constat Toletum ereptum fuisse Mauris ab Alfonso Magno Rege, indictóque conuentu in illâ vrbe Regiâ 15. Kalend. Ianuarij Toletanum Archiep. concorditer electum fuisse Bernardum, qui oriundus *de oppido Saluitatis in Agennensi territorio* Monachus Benedictinus à S. Hugone Cluniacensi Abbate Constantiæ Reginæ proauunculo missus in Hispaniam rogatu eiusdem Regis factus fuerat Abbas monasterij SS. Facundi & Primitiui. Quæ verò de mesquita subiicit ad annum seq. pertinent. Tu si lubet ex ipso fonte hauries.

Anno Christi MLXXXVI. *Philippi 27. qui erat S. Hugonis Gratianopolitani 6. S. Bruno Remensis Canonicus cum aliquot socijs in vasta eremo, quæ Carthusia dicitur, monasterium & cellas ædificare incipit. Vide Guigonem in vita S. Hugonis apud Surium Kal. Aprilis, Sigebertum, & pag. 638. Nouæ Bibliothecæ. Quod ad Canonici Doctoríue Parisiensis damnationem attinet, multi in vtramque partem scripsere, quæ per ocium consules. Baronius certè illius Historiæ non meminit. Obiit Guido qui & Godefredus seu Guillelmus VIII. Comes Pictauorum cui successit Guillermus IX. filius eius quindecim annorum existens. Defuncti sunt pariter ex fide eiusdem Chronici Malleacensis Goscelinus Archiep. Burdegalensis, & Isembertus Pictauinus Ep. quorum vnus sepultus est in S. Cypriano, alter in S. Mariæ Lucionensis. Richildis Hannoniæ Comitissa obiit mense Martio, Hasnonij iuxta Balduinum maritum sepulta: Eius filius, qui Hierosolymitani nomen postea meritus est, basilicam S. Mariæ Maioris Valentianis ædificatam, & à Gerardo Cam. Ep. consecratam tradidit Monachis Hasnoniensibus. De bello Sathanaci nonnihil dicitur pag. 345. & 401. Nouæ Bibliothecæ. De Affligemensi verò cœnobio plura Sigebertus, eiúsque interpolator, qui huic anno malè inseruit Arnulfi Suessionensis Episcopi mortem, & in Aldarburgensis monasterij Ecclesia sepulturam.* Domesticæ aues, inquit idem Sigebertus, pauones, gallinæ & aucæ à domibus se extraneantes fiunt siluaticæ. S. Anselmus Lucen-

sis Ep. Gregorij Papæ cooperator indefessus apud Mantuam exulans 15. Kal. Aprilis obiit multis clarus miraculis, vt ex eius vita, Bertoldo, Sigeberto, aliisque compertum est. Marianus Scotus Moguntiæ inclusus obiit, & apud S. Martinum sepelitur, inquit eius continuator Dodechinus. Desiderius Cassinensis Abbas die Pentecostes 24. Maij inuitus eligitur Papa, induitúrque cappa rubea dictus Victor III. ex Leone Ostiensi lib. 3. cap. 65. Bertoldo, aliisque: de quo haud vulgaria refert Hugo Flauiniacensis ex epistola Hugonis Archiep. Lugdunensis ad Mathildam Comitissam, quam reperies p. 233. Nouæ Bibliothecæ. Bertoldus, postquam in hunc annum distulit mortem Roberti Guiscardi, cuius auaritiam sugillat, multa refert de prælio fidelium S. Petri aduersus Henricianos haud procul Herbipoli in Franconia seq. die post festum B. Laurentij cui ipsemet interfuit, ex quo sanè puriora accepisset Caluisius, quàm ex lutulentis riuulis, si Catholicas partes Hæreticæ factioni prætulisset. Vratislaus ab Henrico Imp. primus ex Duce Rex Bohemiæ creatus dicitur ab Ænea Siluio cap. 22. Historiæ Bohemicæ. De Turcis hoc tempore in Asia dominantibus, vide Haytonum.

Anno Christi MLXXXVII. *Philippi 28. eius iussu in mense Maio multa millia Francorum perrexerunt in Hispaniam, Adelfonso Regi opem laturi, cuius terram & regnum inuadere volebant Pagani de finibus suis mari transito egressi, sed audientes aduentum Francorum timore percussi redierunt in sua, ex Chronico Senonensi. Malleacense verò addit vocatu Adelfonsi ex omnibus Franciæ partibus profectos ad Tutelam ciuitatem adunatos fuisse, & castellum Stellæ cepisse, meminítque Guillelmi cuiusdam Maioris Normanni, quem vidisse se testatur hic Auctor, vnde patet variis subinde accessionibus amplificatum. Girardus primus Prior de Caritate super Ligerim obiit, ex Chronico Vezeliacensi pag. 396. Nouæ Bibliothecæ, de Fulgentio primo Abbate Affligemensi, & Alardo primo Aquicinensi, cui successit Alelmus ex Normannia de cœnobio Becci vide Sigebertum Miræi, in quo etiam multa de translatione ossium S. Nicolai è Myrensi Lyciæ vrbe in Barensem, & pag. 296. & 360. Nouæ Bibliothecæ. S. Arnulfus Suessionum Antistes obiit die 14. Augusti Sabbato, vt Lisiardus docet Vitæ eius cap. 50. Hariulfus Aldeburgensis res eius gestas scripsisse dicitur.* Victor III. Papa Romam deductus consecratus est apud S. Petrum die 21. Martij Dominica Palmarum (vnde apud Bertol-

dum legendum arbitror exeunte menſe Martio non Maio) ab Ottone Oſtienſi, & Petro Albanenſi Epiſcopis, cúmque Guibertus ſe apud S. Mariam ad Martyres, quam Rotundam dicunt, incaſtellaſſet, Papa in Inſulam, quæ inter duos pontes eſt ſita, ſe recepit, literáſque ad Germanos ſcripſit, in quibus & ſuam promotionem declarauit, & iudicium anteceſſoris ſui ſuper Henricum, eiúſque fautores, confirmauit. Addunt in Beneuentano Concilio Antipapam anathemate obſtrinxiſſe, & quæ ſancita fuerant de inueſtitutis à Laïcis non accipiendis confirmaſſe. Idem paullo poſt obiit die 16. Septembris in Caſſinenſi cœnobio, ex Leone, aliiſque. Exercitus ab eo miſſus in Africam Saracenis aliquot vrbes eripuit. Canuto Rege Danorum à ſuis in quadam Eccleſia 6. Idus Iulij ſabbato interfecto regnum Carolo fratri debitum qui poſtea Comes Flandriæ cognomento Bonus fuit, occupauit Olaus, cui poſtea alter frater Ericus ſucceſſit. Teutonici S. Petro fideles generale colloquium cum Henrico & fautoribus eius habuerunt Kal. Auguſti prope Nemetenſem ciuitatem, ſed illo in ſolita obſtinatione perſiſtente, nihil effectum eſt. Ladiſlaus Hungarorum Rex cum 20. millibus equitum ſe adfuturum aduerſus Henricianos promittit. Salomon ab eo iamdudum regno priuatus contra Græcos pugnans viriliter occubuit. Hermannus cum tanta Saxonum multitudine inſecutus eſt Henricum vt niſi dolo Eggeberti Comitis domino ſuo inuidentis euaſiſſet, facillimè ipſum cum omnibus ſuis obtineret, inquit Bertoldus. *Guillelmus Nothus ſeu Conquæſtor dictus, Angliæ Rex, ducto in Gallicas regiones exercitu varia loca incendit, vaſtauítque, tum ſaltu equi diſruptis inteſtinis moritur Rothomagi die 9. Septembris. Succeſſit filius eius Vvillelmus, Ruffus vulgò dictus, adiuuante Lanfranco Archiepiſcopo Cantuariæ die Dominica 26. Septembris in peruigilio SS. Coſmæ & Damiani, quod, vt iam aliquoties monui, pro ipſo feſto nonnumquam ſumitur. Robertus frater eius Ducatum Normanniæ poſſedit: plura Ordericus, Gemeticenſis, Malmeſburg. Rogerius, Pariſius, ſimiléſque, vt de Chronicis Adeſpotis nihil dicam.* Si quæ verò Sabellico fides Alexius Græcorum Imperator ius ſuum in Dalmatiam Sclauoniam Croatiámque Venetis ceſſit.

Anno Chriſti MLXXXVIII. *Philippi 29. obiit Audebertus Comes de Marchia, cui ſucceſſit Boſo filius eius, ex Chronico Mal-*

Icacenſi, quod, vt monui in Chronico Technico, minùs benè videtur differre Concilium in Santonibus habitum in an. ſeq. diem 4. Nouembris, vbi Amatus Elorenſis Antiſtes, & Apoſtolicæ Sedis Legatus Burdegalenſi ciuitati datus eſt Archiepiſcopus. Caſtrum Rodulfi combuſtum ex Chronico Dolenſi. Berengarij obitum quidam in hunc vſque annum reiiciunt, de quo ex Bertoldo ſupra. Radbodo Nouiomenſis Ep. S. Godeleuæ corpus è terra Giſtellæ leuauit, teſte Drogone in eius vita. Godefridum Bulionum Godefridi Gibberi ex Ida ſorore nepotem hoc vel ſeq. anno volunt ex Præfecto limitaneo ſeu Marchione Antuerpienſi factum Ducem Inferioris Lotharingiæ poſt Conradum Henrici IV. Imp. filium. Vide Sigebertum alióſque. Odo Oſtienſis Epiſcopus ex Monacho Cluniacenſi Gallus è Diœceſi Remenſi oriundus à Catholicis Card. Ep. Clericis Laïciſque Romæ, vel, vt alij, Terracinæ die 12. Martij creatur Summus Pontifex, & Vrbanus II. nominatur. *Errarunt Ducheſnius, Miræus, pluréſque alij, qui ortum ſcripſerunt ex illuſtri apud Campanos familia Caſtellionæa ad Matronam, cùm fuerit filius Eucherij Lageriaci Domini, & Iſabellis ex Alberico ad an. 1027. & Obituario Moliſmenſi.* Is verò ſtatim inſequenti die miſſis litteris ordinationem ſuam omnibus declarauit, ſeque veſtigia Gregorij deceſſoris ſui obſeruaturum denunciauit. Duce Welfo Sueui Auguſtam Vindelicorum die 13. Aprilis, feria 5. ante Paſcha recuperarunt, capto eiuſdem Epiſcopatus inuaſore Sigefrido. Obierunt Wisfoldus legitimus Auguſtæ Ep. & Gebehardus Iuuanienſis Archiep. aliíque, de quibus Bertoldus, qui ſubnectit Saxones à fidelitate S. Petri diſcedentes, Henricum, quem multoties abiurauerant, recepiſſe; ideóque Hermannum Catholicum Regem ab eis in Lotharingiam ſeceſſiſſe, ibíque non multò pòſt viam vniuerſæ carnis arripuiſſe Ind. 12. inchoatâ regni an. 7. & in patria ſua Metis honorificè ſepultum: ſunt qui ex Sigeberto, & Vrſpergenſi aſſerant cùm arcem quamdam quaſi hoſtis oppugnaret, vt ſuorum dumtaxat induſtriam periclitaretur, à fœmina deiecto è turri ſaxo trucidatum. Henricus à Saxonibus iterum rebellantibus factione Eggiberti Marchionis de obſidione Gleichæ arcis in Thuringiâ fugatur, magna clade die 24. Decembris, feria 4. & vt volunt biduana obſidione ad confeſſionem anathematis, & expetitionem reconciliationis compellitur, quam tamen paullò pòſt violarit, ad ſolitam reuerſus tyrannidem. Dodechinus in an. ſeq. dif-

fert, & in quibuſdam diſſentit. *Robertus Normanniæ Dux tum ætatis prærogatiua, tum conſpiratione Anglorum inuitatus ad regnum capeſſendum expeditionem in Angliam parat, ſed irrito conatu, vt citati auctores atteſtantur.* Sigebertus in hunc annum Adelfonſi, quem Amfulum vocat, de Saracenis victoriam, & Toleti expugnationem diſtulit, cùm certum ſit menſe Octobri huius anni Vrbanum II. Toletani Arch. in Hiſpania Primatum confirmaſſe.

Anno Chriſti MLXXXIX. *Philippi* 30. *Herimannus Metenſis Epiſcopus vinculis liberatus ad ſedem ſuam reuertitur, expulſo Brunone inuaſore, quamuis rem plura obſeruarunt Bertoldus, & Hugo Flauiniacenſis pag.* 298. *Nouæ Bibliothecæ. Sigebertus in Lotharingia multos ſacro igne correptos docet. Robertus Friſius Præpoſitum Eccleſiæ S. Donatiani Brugis conſtituit perpetuum Flandriæ Cancellarium Notitiæ cap.* 112. Lanfrancus Cantuarienſis Arch. vir doctiſſimus obiit die 24. Maij, feria 5. & in baſilica S. Trinitatis, quam ipſe mirifico opere conſtruxerat, ante Crucifixum ſepultus eſt. De eo vide Ordericum, Malmeſburienſem, Rogerium, alios. Guillelmus Rex prauorum conſilio perſuaſus Metropolitanam illam Eccleſiam ſine Pontifice tribus annis eſſe fecit, eiuſque redditus theſauris ſuis intulit: cætera eius vitia non ſilent citati ſcriptores. Vrbanus Papa die 14. Kal. Maij ſcribit epiſtolam ad Gebehardum Conſtantienſem Ep. qua ei in tota Alemania, Baioaria, Saxonia, & aliis vicinis regionibus vicem ſuam commiſit. Hugo Comes de Egensheim indefeſſus miles S. Petri occiſus eſt pridie Nonas Septembris in cubiculo Epiſcopi Stratzburgenſis. Mathildis vidua Godefridi Ducis Welphoni Duci coniugio copulatur. Obiit Petrus Abbanenſis Ep. Igneus dictus, & Banizo à Placentinis Schiſmaticis effoſſis oculis, membríſque penè omnibus truncatis martyrio affectus. Vrbanus generalem Synodum 115. Epiſcoporum colligit, Guiberto à Romanis turpiter expulſo, & ne ampliùs Apoſtolicam ſedem inuadere præſumat iuriſiurandi religione adacto. Papa per Legatos ſuos Alexium Imp. CP. ab excommunicatione abſoluit, *& Philippi Regis Francorum litteras debitam ei ſubiectionem promittentis ſuſcepit.* Hæc & alia Bertoldus, vt Dodechinus de Egberti victoria aduerſus Henricum Imperatorem.

Anno Chriſti MXC. *Philippi* 31. *corpus S. Clementis primi Metenſium Epiſcopi inuentum eſt ac tranſlatum, & Herimannus Ep. qui in*

quadrageſimâ cœperat ægrotare die 4. Nonas Maij obiit, vt fuſiùs exponit Hugo Flauiniacenſis pag. 239. Nouæ Bibliothecæ, ex quo conuincas mendacij Sigebertum, ſimiléſque Schiſmaticos, qui ridiculè commenti ſunt eum, dum poſt prandium liberaliter celebratum in lecto ſe reclinaſſet, mortuum fuiſſe inuentum. Idem Sigebertus duo addit in MS. Aquicinctino I. Gilduinum ex Monacho Laudunenſi Abbatem S. Michaëlis in Teraſcia relicta Abbatia ob amorem Domini recluſum Aquicincti effectum. II. S. Bernardum, qui poſtea primus fuit Clareuallenſis Abbas, in Burgundia natum. Obſeſſio Montis huius, verba ſunt Chronici S. Michaëlis in Tumba ſiue Periculo maris pag. 348. Nouæ Bibliothecæ, facta eſt à Guillelmo Rege Anglorum, & Roberto Duce Normannorum, Henrico eorum fratre in hoc monte incluſo. Rogerius Houedenus & Ordericus Vitalis de diſſenſione fratrum illorum inter ſe plura ſubminiſtrabunt Hiſtoriæ Normannicæ atque Anglicæ curioſis indagatoribus. Cenomani excuſſo Normannorum iugo Hugonem Azzonis Liguriæ Marcheſi filium ſuſceperunt, repugnante Hoëllo Cenomanenſi Antiſtite, cúmque is præ ignauia deſpiceretur decem millibus ſolidorum Cenomanenſis monetæ Comitatum ſuum Heliæ vendidit, qui eo 20. annis potitus eſt, vt idem aſſerit Ordericus, quem vide Normannicas turbas diffusè explicantem. Egbertus Saxoniæ Marchio in cauſa S. Petri ſtrenuus, dolo, vt ferebatur, Abbatiſſæ Quintileninburgenſis ſororis Regis Henrici per inſidias occiſus dicitur à Bertoldo, qui ſubiungit, *I. Vrbanum Papam generalem Synodum cum Epiſcopis diuerſarum prouinciarum per Legatos ſuos in Toloſana ciuitate circa Pentecoſten collegiſſe, ibíque multa in Eccleſiaſticis cauſis correxiſſe, in eáque Synodo Toloſanum Ep. de illatis criminibus canonicè expurgatum,* & legationem pro reſtauranda Chriſtianitate in Toletana ciuitate, Hiſpanorum Rege ſupplicante deſtinatam. II. Welfonem Italiæ Ducem multa incendia, & damna ab Henrico Imp. in Langobardiam ingreſſo paſſum adhortatu Mathildis coniugis ſuæ viriliter reſtitiſſe. III. Adalberonem Wirzeburgenſem Epiſcopum obiiſſe. Sigebertus Henrico de more indulgentior narrat eum in Italiam profectum caſtella, & munitiones ſibi aduerſantium expugnaſſe: Mantuam quoque anno ſeq. obſediſſe, & cepiſſe. Valtrami Ep. Schiſmatici epiſtolam ad Ludouicum Landgrauium, eiúſque ad illum reſponſionem retulit in ſuam appendicem Dodechinus, vnde ſecuriùs hauriet Lector, quàm cum Caluiſio ex fœtentibus Goldaſti lacunis.

ANNO

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MXCI. *Philippi Francorum Regis 32. Boso Comes de Marchia occisus est Confolento castro, succedente ei sorore Almodi, quæ habuit de Rogerico Comite duos filios. Inceptum est cœnobium sanctæ Mariæ, quod vocatur Fons Gombaudi, in confinio Pictauensis, & Biturigæ ciuitatum, à B. Petro Abbate, cognomine Stellæ. Benedictio quoque fuit cœnobij sancti Petri Stirpensis, & festiuitas B. Gautherij instituta celebrari de transitu. Hæc & alia Chronicon Malleacense. Iuo sancti Quintini Bellouacensis Præpositus, in Carnotensis Ecclesiæ Præsulem ordinatus est, manibus Vrbani Papæ, die 23. Nouembris Dominica, ideóque errarunt, qui cum Baronio in sequentem annum differre voluerunt. Henrico Leodiensi Ep. mortuo succedit Otbertus ex Clero eiusdem Ecclesiæ, teste Sigeberto. Vrbanus Papa scripsit Roma Epistolam ad Robertum Flandriæ Comitem 4. Nonas Decembris, eúmque obiurgat, quòd post Clericorum obitum exactores mitteret, qui hæredes & familias ab eorum domibus pellerent: cùm verò in malitia sua perseueraret, Clericósque minis terrendo per apparitores satellitésque vexare pergeret, Clerici ad Concilium Remense confugerunt: de quo anno seq.* Interim ex Bertoldo colligo. I. Papam in partibus Campaniæ, vel vt alij apud Samnites commorantem, à CP. Imp. Francorum Rege, aliísque Principibus Catholicis debita reuerentia cultum fuisse. II. Romanos turrem Crescentij dolo captam diruere tentasse. III. Mantuanos diuturna obsidione iam per annum ab Henrico constrictos à domino suo Welfone discessisse, suámque ciuitatem ei tradidisse. IV. Guibertum iterùm Romam intrasse. V. Normannos de Capua à ciuibus expulsos. VI. Papam in generali Synodo Beneuenti collectâ sententiam anathematis in Guibertum, eiúsque complices confirmasse. VII. Willelmum Hirsaugiensem Abbatem 3. Nonas Iulij obiisse, de quo plura Trithemius, & Altmannum Patauiensem Ep. 6. Idus Augusti. VIII. Vt de prodigiis, aliísque taceam, Adalheidam Taurinensem Comitissam 14. Kal. Ianuarij defunctam fuisse. *Guillelmus Angliæ Rex in Normanniam cum magna classe venit, multíque eum apud Aucum commorantem conuenerunt. Deinde cum fratre Roberto pace initâ Rotomagi vsque ad Calendas Augusti regali more cum suis habitauit, ex Orderico Vitale, qui obsidionem Montis S. Michaëlis differt in medium Quadragesimæ huius anni, & de Henrico pauperem vitam in exilio exigente aliísque multa congerit, consulendi quoque Rogerius, Parisius,*

similéſque. De Gothicis verò characteribus iuſſu Adelfonſi Regis in Hiſpania abolitis vide Marianam.

Anno Chriſti MXCII. *Philippus Rex regni* 33. *labente dimiſit Bertam vxorem ſuam nobiliſſimam, de qua filium habebat Ludouicum, & accepit Bertradam de Monteforti, quæ reliquerat virum ſuum Fulconem Rechinum Andegauenſium Comitem, ex Chronico Senonenſi, multíſque aliis. Plura ſuggerent Ordericus pag.* 699. *Bertoldus, Sigebertus, Sugerius Abbas, Malmeſburienſis, Pariſius, Vincentius, alíque plures, in quibus præcipuus Iuo Carnotenſis in epiſtolis quampluribus, quas per* 12. *fermè annos de ea controuerſiâ ad varios ſcripſit. Stephanus Vicecomes Bituricenſis eiúſque ſoror Ildeburgis coniux Gilonis Soliacenſis, quorum filiam Matildam iam tum duxerat Odo, cognomento Arpinus, concedunt Abbatiæ Virzionenſi Ind.* 15. *Epacta* 9 4 *Kal. Iunij feria* 4. *Abbatiam S. Gundulfi ſuper Ligerim ſitam, quam Gaufredus Papabos Gaufredi Meſchini eorum patrus auus à domino ſuo Ludouico Francorum Rege in alaudum ſuſceperat, &c. Vide pag.* 170. *& ſeqq. Appendicum ad Elogium noſtrum Bituricenſe. S. Bruno è Cartuſiâ in Italiam vocatur à Romano Pontifice. Obiit Rudolfus Dominus Exolduni filius Odonis, & Dolenſis Abbas Aldebertus ex Chronico eiúſdem Abbatiæ ordinatus eſt Bituricenſis Arch. poſt Ricardum II qui* 5. *Kal. Maij defunctus ſepultus eſt in monaſterio Plenipedenſi, quod ædificarat, multíque dotauerat redditibus. De fratre Aldeberti Guarnerio de monte Maurilionis in finibus Pictonum conſule Orderici Vitalis lib.* 8. *De Tranſlatione reliquiarum S. Antonij in Viennenſem Prouinciam vide Aymarum Fulconem in Hiſtoria Ordinis Antoniniani. Obiit pridie Idus Auguſti Gerardus II. Cameracenſis Ep. vnde turbæ inter Clerum populúmque exortæ, ſuccedente Gualthero, teſte Sigeberto qui cùm præmiſiſſet ineptiſſimè mortem Guillelmi Regis Anglorum, quem vocat virum ſingularis cen'uræ & ſeueritatis, ſubdit Vveſtfalos Friſoniam aggreſſos pænè omnes à Friſonibus peremptos. In Concilio Remenſi, cui præfuit Rainaldus Arch. recitatæ ſunt literæ Cleri Flandrenſis de vexationibus Roberti Comitis, qui monitus ſub interminatione anathematis ſatisfecit, profeſsúſque obedientiam conſeruare, veniam petiit, & accepit: eodémque anno obiiſſe dicitur Caſtelleti ſepultus. Verùm alij in ſeq. annum rectiùs differunt. De Stampenſi Concilio præſide Richerio Senonenſi Arch. vide Iuonis Carnotenſis Epiſcopi epiſtolam* 12. *ad Vrbanum Papam. Henricus Vvillelmi I. Anglorum Regis iunior filius Danfrontem oppidum cepit, & contra Robertum fratrem Normanniæ Ducem arma ſumpſit, teſte Orderico Vitale S. Ebrulfi Monacho. Concilium Sueſſionen-*

se conuocatum fuit à Rainaldo Archiep. Remensi aduersus Roscelinum Clericum qui hæresim suam circa personas SS. Trinitatis in eo Concilio eiurauit, vt docent S. Anselmus Beccensis Abbas dumtaxat necdum Archiep. Cantuariensis lib. 2. ep. 41. ad Fulconem Ep. Beluacensem, & libro de Incarnatione cap. 1. Iuo Carnotensis ep. 7. & Petrus Abailardus epistola ad Gaufridum Ep. Parisiensem. Odo patria Aurelianensis Tornaci Rector Scholarum monasterium S. Martini Tornacensis constituere incipit, & an. seq. vestem monasticam induit; dein ex Abbate anno 1108. *creatus Ep. Cameracensis obiit anno* 1113. Ex Bertoldo habemus. I. Welfonem in Italiâ cum vxore Mathilde Henrico viriliter restitisse. II. Eiusdem Henrici filium Conradum bona Adhelaidæ Taurinensis Comitissæ inuasisse, & filium Friderici Comitis anno superiore defuncti exhæredare voluisse. III. Bertoldum Zeringhensem Sueuiæ Ducem constitutum aduersus Schismaticos. Vratislao Bohemiæ Regi succedit Conradus frater, seclusis nepotibus, verùm eo paullò pòst defuncto Primislaus Vraceslai filius die 14. Septembris coronatus est ad an. 8. Olao quoque Danorum Regi successit Ericus frater, de cuius controuersiis cum Hamburgensi Archiepiscopo consule Saxonem Grammaticum, & ex eo Baronianos Annales.

Anno Christi MXCIII. *Philippi Regis* 34. *vel ab obitu patris currente* 33. *in Vigilia Pentecostes in Ecclesia sancti Ioannis, dum fontes à Canonicis B. Martini benedicerentur, abstulit idem Philippus Rex Francorum Fulconi Rechin Comiti Andegauorum vxorem suam sororem Amalrici de Monteforti, de qua postea genuit Philippum & Florum, inquit Auctor Chronici Turonensis, cuius aliquot edidimus fragmenta, additque Franciam propter hoc interdicto fuisse suppositam. Berta eius legitima vxor Florentij Hollandiæ Comitis filia Ludouici Crassi & Constantia mater diem clausit extremum Monstrolij, vbi à marito fuerat inclusa, quantum ex Chronico Senonensi colligi potest, certè alij Bertam superstitem tum saltem fuisse contendunt, cùm ab Odone Baiocensi Episcopo nuptiæ inter Philippum & Bertradam fuerunt celebratæ, cæteris regni Præsulibus turpem illam copulam vnanimiter pari anathemate detestantibus, vt loquitur Ordericus lib. 8. Princeps inter eos extitit Iuo Carnotensis, vt eius testantur ad nostra vsque tempora superstites epistolæ in* 16. *&* 18. *agit de Simone Nealfensi qui eam quam viuente coniuge pellicem habuerat post eius obitum duxerat in vxorem de Rangerio Card. Legato qui coniugium illud in Concilio*

Siluanectensi probauerat. Andreas de Vmbrosa valle in Italia Monachus in Galliam ab aliquot annis profectus 7. Idus Martias Indictione prima currente, sub Aldeberto Biturigum Arch. fundamenta iecit Casalis-Benedicti, quod antea Malanum dicebatur, S. Petro dicati, fundatore Gaufredo Castri Yoldunensis domino, de quo ac similibus ex eiusdem Abbatiæ Cartario plura in Promptuario Bituricensium Antiquitatum. Interim consule Ordericum lib. VIII. Historiæ Ecclesiasticæ, Robertum in Galliâ Christianâ, &c. nam Anonymus, Chenutus, Sausseyus, aliique moras trahunt, & sub Leodegario collocant. Robertus Frisius Flandriæ Comes in viuis esse desiit tertio Idus Octobris, & Casleti in crypta S. Petri sepultus est, succedente Robe to, qui dictus est Hierosolymitanus. Philippus iunior eiusdem Frisij filius, Loënsis Comes, Loënsem illum Comitatum suum in diœcesi Iprensi situm cœnobio eiusdem loci tribuit, ex cap. 114. Notitiæ Miræi. Ibidem quoque fit mentio Lacensis Abbatiæ prope Antonnacum in diœcesi Treuirensi, quæ ab Henrico Comite Palatino Rheni eiusque coniuge Adheleide fundata est. Atrebatenses impetrato à Papa Vrbano iure eligendi proprium sibi Episcopum die 10. Iulij elegerunt Lambertum: Cameracenses vero Clerici paullò pòst elegerunt Gualtherum, cùm populus Manassem quemdam iam antea designasset. Plures in eam rem epistolas Summi Pontificis vidi tum ad Rainaldum Archiepiscopum Remensem, tum ad alios, nec omittendum cap. 115. Notitiæ. De Germundo castro, de Maxentiani cœnobij ædificatione, & Burdegalensi Concilio Chronicon Malleacense. Goffredus Abbas Vindocinensis eligitur in locum Bernonis præ senectute, & ægritudine baculum pastoralem non valentis amplius ferre 12. Kal. Sept. & 9. earumdem ab Iuone Episcopo Carnotensi consecratus, ex Andegauensi seu Vindocinensi Chronico pag. 289. Nouæ Bibliothecæ. Eodem anno (legendum enim apud Duchesnium MXCIII. *non* MCVIII. *Indictione prima) Guillelmus Archiepiscopus Concilium Præsulum & Abbatum Rotomagi congregauit, teste Orderico,* qui multa de Milcolumbi Scotorum Regis morte subiicit, quem Meleomam appellat, de Margarita eius vidua sanctissima ac filiis Edgaro, Alexandro, & Dauide, de Dunaualdo patruo regni inuasore, similibúsque, quæ inde tutiùs petes, quàm ex Buchanano aliisque recentioribus. In locum Lanfranci, ante triennium, non verò hoc ipso anno defuncti, vt mendosè scriptum reperies in Chronico Sigeberti, Cantuariensis seu Dorouernensis electus est Archiep. S. Anselmus natione Pedemontanus, & Beccensis Abbas in Normannia die 6. Martij

Dominica primâ Quadrageſimæ, & die demum 4. Decembris ſimiliter Dominica conſecratus, vita & doctrina præcipuus, flos præſulum, *&c.* Vide præter citatos Edinerum in eius vita, Malmeſb. Rog. Par. Dodechinum, Trithemium, alióſque. *Rogerius refert Vvillelmum Comitem de Ovve id eſt Augenſem à Roberto defeciſſe ad Vvillelmum.* Conradus Henrici filius, ob patris effrænem impudicitiam, atque infanda ſcelera in vxorem alióſque perpetrata, ab eo deficit, ſolutúſque excommunicatione à Romano Pontifice, in Langobardia regnauit, vt pluribus Dodechinus, *&c.* Nos ex Bertoldo pauca pro more. I. Wernherus Merſeburgenſis Ep. ſolus tunc in Saxonia Catholicæ communionis obiit 3. Idus Ianuarij. II. Sophia vidua Ludouici Comitis diem clauſit extremum. III. Conradus relicto patre Welfoni ſe eiúſque coniugi Mathildi adiunxit, eíque adhæſerunt Mediolanum, Cremona, Laus, Placentia, occupatis Alpium itineribus, ne fautores Henrici ad ipſum poſſent proficiſci. IV. Metenſis, Tullenſis & Virdunenſis Eccleſiæ ab obedientia Egilberti Treuerenſis Arch. excommunicati diſceſſerunt. V. In Apulia Vrbanus Synodum centum penè Epiſcoporum colligit in quadrageſima. VI. Conradus è cuſtodia patris, qui eum dolo circumuenerat, ereptus, ab Archiepiſcopo Mediolanenſi & reliquis S. Petri fidelibus in Regem coronatur. VII. Eclipſis Solis contigit 8. Kal. Octobris ante meridiem. VIII. Alfonſus Hiſpaniæ Rex ad maiorem Cluniaci Eccleſiam à fundamentis ædificandam infinitam pecuniam direxit, futurus & ipſe Monachus, ſi eum Abbas S. Hugo ſub ſæculari habitu retinere non ſatiùs iudicaſſet. IX. Obiit Anſelmus Archiep. Mediol. eíque Arnoldus de Porta argentea in Epiſcopatu ſucceſſit. De Pomeranis à Ladiſlao Poloniæ Duce ſubactis vide Polonicam Hiſtoriam.

Anno Chriſti MXCIV. *Philippi 35. exagitatur eius cum Bertrada coniugium pluribus Iuonis Epiſtolis, qui captus à Carnotenſium Vicecomite paullò pòſt relaxatus eſt. Idem Philippus Rex congregauit Archiepiſcopos regni ſui in Remenſi vrbe, & obtinuit ab Archiep. Senonenſi Richerio magnis precibus, vt Remos ad Concilium non dedignaretur ire, oſtendens Raynaldum Remenſem Archiep. podagrico dolore contractum non poſſe progredi de ſua ſede, &c. Vide Chronicon Senonenſe, & ep. 35. Iuonis Carnotenſis Antiſtitis. De Eduenſi ſiue Au-*

guſtodunenſi Concilio verba ſubinde faciemus ex Bertoldo, &c. *Germundum caſtrum deſtructum eſt inquit Auctor Chronici Malleacenſis, & Guillelmus IX. Pictauorum Comes duxit vxorem Philippam filiam Vuillermi Comitis Toloſani ac neptem Raimundi de Sancto Ægidio. Lambertus Atrebatenſis Epiſcopus ab Vrbano Papa in Italia conſecratur: Remus verò à Rainaldo Archiepiſcopo Gualterus in Cameracenſem dumtaxat Antiſtitem ex eiuſdem mandato Pontificis. Hugo Lugdunenſis Archiep. Fulconem Rechinum Andegauorum Comitem ab oluit ab excommunicatione, ducto ſecum Aldeberto Bituricenſi Archiepiſcopo, vt diſcimus ex literis apud Abbatiam S. Florentij prope Salmurum datis die feſto S. Ioannis Baptiſtæ*, &c. *Idem Hugo Briuatenſi Synodo præfuit cum Auſcienſi, & Narbonenſi Archiepiſcopis, & interfuit Dolenſi colloquio cum Amato Archiep. Burdegalenſi, vbi ventilata eſt cauſa Rodulfi Turonenſis Archiep.* &c. *Ordericus Vitalis varia Normannorum inter ſe, & cum vicinis Corbonienſibus, & Cenomanicis prœlia exequitur, ac de Roberto Talauacio, qui ex Agnete filia Guidonis Pontini Comitis Guillelmum genuit, multa refert, & de Roberto Abbate Moliſmi, de quo Rainaldus Lingonenſis Epiſcopus dicebat,*

Eſt quaſi baptiſmus, quibus eſt in amore Moliſmus.

Qui Monachos ad ſtrictiorem S. Benedicti Regulæ obſeruationem impellebat, refragantibus multis, quorum rationes eodem loco pluribus exponit cum præcipuis inſtitutis Ciſtercienſium. Item de Bernardo Quinciaci Abbate, & Tironij fundatore, de Vitale Sauineienſi Abbate, &c. De turbis Anglicanis videndi Pariſius, Rogerius, Weſtmonaſterienſis, &c. nunc Bertoldo nauemus operam. I. docet Guibertinos Romæ adhuc hæſiſſe, Creſcentij turrim obtinentes, licèt ibidem Natalem Domini exeunte an. præcedenti celebrarit Vrbanus, Guibertus verò cum Imp ſuo Veronæ. II. Praxedem Henrici vxorem è cuſtodia elapſam ad Welfonem Italiæ Ducem abiiſſe. III. Gebehardum Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopum Synodum in hebdomada maiore ante Paſcha celebraſſe Conſtantiæ, & incontinentiam preſbyterorum, ac ſimoniacorum inſolentiam prohibuiſſe, &c. IV. Mortalitatem per Germaniam, Franciam, Italiámque ſæuiiſſe, in quâ multi cum pœnitentia & confeſſione probabili fine diſceſſerunt. V. *In Galliarum ciuitate Auguſtodunenſi Heduorum Metropoli, quam Oſtionem vulgariter dicunt, inquit Auctor, vnde imperitè conflictum eſt à recentioribus Oſtionenſe Concilium, vt aliàs queſti iam ſumus, congregatum eſt generale Con-*

cilium ab Hugone Lugdunensi Archiepiscopo Sedis Apostolicæ Legato 16. die Octobris, in quo 1. renouata est excommunicatio in Henricum, Guibertum, eorúmque complices, 2. Philippus Galliarum Rex excommunicatus est, eò quòd viuente vxore sua alteram superinduxerit. 3. Sacerdotum incontinentia & simoniaca hæresis damnatæ. 4. Monachis interdictum ne parochialium sacerdotum officia in parochiis vsurpent. Huic Concilio docet Hugo Flauiniacensis interfuisse 32. Episcopos cum quampluribus Abbatibus & viris religiosis. Sanctius Comes Aragoniæ in obsidione Oscæ trucidatur 4. Iunij, eiúsque filius Petrus Mauros ad 40. millia delet 18. Nouembris.

Anno Christi MXCV. *Philippi 36. Obiit Rainaldus Remensis Archiep. die 21. Ianuarij Atrebati, successorémque habuit Manassem. Pridie Nonas Aprilis feria 4. Luna 25. à noctis medio, inquit Hugo Flauiniacensis, vsque ad auroram stellæ de cælo cadere visæ sunt, & eadem nocte Giraldus Abbas Siluæ maioris migrauit ad Dominum. Eo quoque die Lugdunensis Archiepiscopus iter arripuit ad S. Iacobum, vbi in die Pentecostes Missarum solemnia celebrauit, Lugdunúmque rediit die 3. ante Natiuitatem S. Ioannis Baptistæ. Mortem Giraldi collocat Chr. Malleacense 8. Idus Aprilis, additque magnam siccitatem, sterilitatem, penuriámque panis, & omnium fructuum: visa quoque & audita signa multa, sonitúsque aquarum. De Stellis cadentibus plura se accepisse tradit Ordericus à Gisleberto Luxouiensi Ep. dicta sibi à Gualterio Cormelicensi, ac transmigrationem populorum de regno in regnum præfigurari, &c. Expulso ab Episcopatu Cameracensi Gualthero Manasses ei succedit. In Comitatu Namucensi, inquit Sigebertus, panem subcineritium quasi sanguine infectum vidimus. Henricus II. Louaniensis Comes Tornacum profectus ad Euerardum loci illius Castellanum in solemni hastiludio perimitur, Niuellisque sepelitur. Godefridus Barbatus eius frater succedit.* Guillelmus Angliæ Rex abiecto Guiberto in quem propensior videbatur cum S. Anselmo reconciliatur, missísque ad Vrbanum nunciis ab eo pallium Anselmo impetrat, quod suscepisse dicitur 4. Iunij Dominica. Vrbanus Papa Natali Dominico in Tuscia celebrato generalem Synodum in ciuitate Placentina condixit inter ipsos Schismaticos, ad quam Episcopos Italiæ, Burgundiæ, Franciæ, Alemaniæ, Baioariæ, aliarúmque prouinciarum missis litteris conuocauit. Facta est autem circa mediam quadrageſimam in campo extra vrbem. In eâ Praxedis Augusta de Henrico Imp. quæsta est. *Philippus Rex Francorum legatio-*

nem ſuam eò direxit, séque ad illam iter incepiſſe, ſed legitimis negotiis ſe impeditum fuiſſe mandauit, vnde inducias ſibi vſque in Pentecoſten apud Papam Synodo intercedente impetrauit. Hugo Lugdunenſis Archiep. ab officio ſuſpenditur, quòd ad eam vocatus, nec venerit ipſe, nec legatum cum canonica excuſatione pro ſe direxerit. Peruenit quoque ad hanc Synodum Legatio C P. Imperatoris, qui Papam, omnéſque Chriſti fideles ſuppliciter implorauit, vt auxilium ferrent aduerſus Paganos, qui partes illas vſque ad muros C P. vrbis obtinuerant. Reliqua eiuſdem decreta ſigillatim deinceps enumerat, docétque Conradum Regem Papæ Cremonam venienti obuiam progreſſum Stratoris officium exhibuiſſe 4. Idus Aprilis, & fidelitatem ei iuramento feciſſe de vita, de membris, & de Papatu Romano: tum Piſas cum regio apparatu perrexiſſe, ibíque ſponſam ſuam filiam Rogerij Siciliæ Ducis adhuc paruulam cum inaudita pecunia ſibi oblatam recepiſſe. *Papa rebus in Langobardia benè diſpoſitis in Gallias marino itinere cœpit diuertere, & ad S. Mariam ad Podium ſiue Anicium in Aſſumptione ipſius peruenit, Synodúmque ad Clarummontem in Octauam S. Martini Apoſtolica auctoritate condixit, in qua 13. Archiepiſcopi cum eorum Suffraganeis fuerunt, & 205. ſeu 225. paſtorales virgæ muncratæ ſunt: ſtatuta Placentinæ Synodi confirmata, Philippus Rex excommunicatus, & alia Synodus in tertiam ſequentis Quadrageſimæ hebdomadam Turonis denunciata. Hæc Bertoldus, qui Arelati ſubdit Vrbanum diem Dominicæ Natiuitatis cum diuerſarum prouinciarum Epiſcopis celebraſſe. Verùm eius errorem refutant cum alia plura, tum Gaufridi Prioris Voſienſis MS. Chronicon, quod tradit Papam in feſto S. Thomæ Vſerchiæ hoſpitatum 10. Kal. Ianuarij Lemouicas deueniſſe, Miſſam de Galli cantu Dominica Natiuitatis in Eccleſia Puellarum S. Mariæ, quæ dicitur ad Regulam, decantaſſe, Miſſam de Luce in baſilica regali apud S. Martialem celebraſſe, inde triumphaliter coronatum ad Sedem Apoſtolicam Epiſcopalem rediiſſe, vbi reliqua ſolemnitatis officia peregiſſet. Die poſt feſtum Innocentium Cathedralem Eccleſiam in honore S. Stephani dedicaſſe: pridie Kal. Ianuarij Baſilicam Regalem in honorem Saluatoris mundi conſecraſſe coram Hugone Lugdunenſi, Audeberto Bituricenſi, Aymerico Burdegalenſi, &c. Plura de eadem Synodo Ordericus Vitalis libro qui etiam decreta Concilij refert, & de Haimaro Podienſi Epiſcopo Vicario Apoſtolico in expeditione Dei aduerſus Turcos ac Saracenos conſtituto, de Raymundo Berengario Comite Toloſano, &c. Guillelmus Tyrius*

Archie-

Archiepiſcopus lib. 1. cap. 17. vt prætermittam Guibertum Nouigenti Abbatem, Petrum Tudebodum Siuracenſem in Pictonibus Preſbyterum, Raymundum, Robertum, Albertum, Baldricum, aliósque, qui vel interfuerunt ipſi ſacris illis expeditionibus; aut acceperunt ab iis, qui præſentes adfuerant, refert ſacræ militiæ nomen dediſſe Hugonem Magnum Veromanduorum Comitem Philippi Francorum Regis fratrem, Robertos Flandriæ Normanniæque Comites, Stephanum Blæſarum Carnotique Comitem, Godefridum Bulionum Inferioris Lotharingiæ Ducem, Balduinum & Euſtachium eiuſdem Godefridi fratres, Balduinum Comitem Hannoniæ, ſeu Montenſem, Hugonem Comitem ſancti Pauli, Raimundum de S. Ægidio, Balduinum de Burgo dictum, filium Hugonis Comitis Regiſtenſis, Rainaldum Arauſienſem, Anſellum de Ribodimonte, Gaſtonem & Centullum Benearnenſes, Guillelmum de Montepeſſerio, &c. & ex Italis Boamundum Tarenti Principem Roberti Guiſcardi Apuliæ Ducis filium, Tancredum eius ex ſorore nepotem, aliósque, quos hîc ſigillatim recenſere non libet: ex recentioribus vide Baronianos Annales, & Hiſtoriam Benearnenſem V C. Petri Marca nunc Toloſanorum Archiepiſcopi meritiſſimi, qui ex ipſis fontibus hauſit omnia, eiúſque Diſſertationem de Concilio Claromontano: ſingulos certè vel de nomine appellare præſertim Anonymos qui vel obiter vel ex profeſſo iſta attigerunt, ſingularis eſſet opus diligentiæ. Lectorem dumtaxat amandabo ad Hugonem Flauiniacenſem, ex quo diſcimus. I. Duranum Ep. Claromontenſem à Papa cùm extremum ſpiritum traheret, viſitatum, nocte ſequenti obiiſſe, antequam Concilium celebraretur, toto orbe ad eius exequias occurrente, ab ipſo Papa & Epiſcopis terræ mandatum, eiúſque ſucceſſorem fuiſſe Villelmum de Baſia. II. Iudæorum exterminium multis in locis vna die vno ſpiritus feruore factum eſſe à viris Hieroſolymam profecturis. III. Iarentonem Abbatem Diuionenſem in Angliam profectum pacem compoſuiſſe inter Guillelmum Rufum, eiúſque fratrem Robertum, &c. Regem Philippum, de quo eiúſque coniuge Bertrada, de Raymundo Toloſano Comite, & aliis, nonnulla obſeruatu digna ſcripſit lib. 4. Villelmus Malmeſburienſis. hoc anno regni ſui 37. qui iniit die 23. Maij Indictione labente 3. interfuiſſe Mauziaci in Armenia docet charta edita in Bibliotheca Cluniacenſi, cui ſubſcripſit Hugo Arch. Lugdunenſis Apoſtolicæ Sedis Legatus antequam inchoaretur Concilium, quod ad Indictionem 4. reuocandum eſt. Salomonem Hungarorum Regem mortuum fuiſſe tradit Sigebertus, & de fame, terræ motu, ac ſimilibus quædam interſerit.

Anno Christi MXCVI. *Philippi 37. mense Februario Guillelmus Arch. Rotomagense celebrauit Concilium cum Suffraganeis, cuius decreta subministrabit Lectoribus Ordericus Vitalis lib. 9. Vrbanus Papa inquit Auctor Chronici Malleacensis veniens ad festiuitatem S. Hilarij fuit Pictauis (ideóque suspecta semper visa sunt mihi Bertoldi verba dum ait Papam Arelati Natalem Dominicum egisse, quod anno sup. ostendimus celebratum Lemouicis) & benedixit Monasterium nouum 6. Kal. Februarij. Posthæc perrexit Andegauos & benedixit S. Nicolai monasterium die 11. Februarij. Inde abiens Turonos tenuit Concilium in Monasterio S. Martini die 16. Martij mensis, in quo inter alia restaurauit Abbatiam S. Mauri, & primum illic constituit Abbatem Giraudum. Addit Turonense Chronicon Papam Ecclesiam Maioris monasterij dedicasse, in media Quadragesima in Ecclesia B. Martini more Romano corona palmarum se coronasse, &c. Inde progressus Santonas, celebrauit ibi sanctum Pascha 13. Aprilis, cúmque Romam reuerteretur (iter eius vestigiis notatis Beslyus explicat) apud Nemausum ciuitatem tenuit Concilium & reconciliauit Philippum Regem Francorum.* Apparuit signum Crucis in cœlo 7. Idus Augusti multis cernentibus, *&c.* Quid porro singulis Ducibus, Comitibus, Christíque militibus Hierosolymam cum cruce ex purpureo panno confecta vestibus ad dextram scapulam affixa, pergentibus per Germaniam, Hungariam, Dalmatiam, Græciam, Asiámque, non est meum scrupulosiùs perscrutari, quis cœperit, quâ, quóve peruenerit, hoc vel seq. anno, cùm id variè narretur ab Orderico, Malmesb. Tudebodo, Tyrio, cæteríque scriptoribus. *Godefridus Bullionius ad bellum illud sacrum se accingens Antuerpiæ collegium 12. Canonicorum in honorem S. Michaëlis instituit, Monachos Benedictinos ab Arnulfo Comite pulsos restituit Sathanaci, copioséque dotat, quos ex cœnobio Gorziensi euocatos collocarant in Ecclesia S. Dagoberti Martyris Godefridus Magnus eúsque vxor Beatrix, tum Otberto Leodiensi Episcopo castellum ditionémque Bullonij mille trecentis argenti & auri marcis vendidit, qui etiam ex Balduino Hannoniæ Comite Couinum castellum mense Maio sibi pecunia comparauit. Vrbanus Papa in medio Quadragesimæ Goffredum Martellum II. Andegauorum Comitem hortatu & potestate de vinculis liberat, quem Fulco Richinus iunior frater proditione ceperat, & apud Cainonem castrum ferè 30. annis carceri mancipauerat, inquit Ordericus, ex quo etiam inter cætera discimus, Hugonem Magnum cum Guillelmo Marchisi filio Dyrrachium nauigio applicuisse, & ab vrbis Duce perfido apprehensos sub excubanti custodia*

ad Alexium Imp. C P. deductos. Bertoldus de Turonensi Concilio tertia hebdomada Quadrag. celebrato, pœnitentia Stratzburg. Ep. de peregrinis Hungariam vastantibus, de Iudæis trucidatis, de Philippo Rege, dum adhuc Papa in Galliis moraretur, humiliter ad satisfactionem veniente, & abiurata adultera in gratiam recepto, de Papa Exaltationem S. Crucis apud Hortanum prope Papiam in Langobardia celebrante, & Natalem Domini Romæ quam subiugarat præter turrem Crescentij, in qua adhuc latitabant Guibertini, de Sigefridi Abbatis Scaphusensis, & Verneri Comitis obitu, aliisque per ocium consulendus. De locustis ex occidente C P. aduolantibus vide Zonaram & Annæ Comnenæ Alexiadem. Ex Chronico Malleacensi nonnulla decerpemus I. Subactam fuisse Oscam ciuitatem, quæ 300. & ampliùs annis à Saracenis, quos Moabitas vocat, possessa fuerat, & Petrum Regem Aragoniæ mediante Nouembri mense victoriam de iis insignem retulisse. II. Adelfonsum Hispaniæ Regem ab iis victum fuisse, amissis 90. militibus: qua de re plura ex Godefrido Monacho ac similibus Hispani Scriptores, qui præterea notant ex Raimundo Burgundo, & Vrraca huius Adelfonsi filia natum fuisse hoc anno Kalend. Martij Adelfonsum VII. quem alij VIII. appellitant. *III. Obiisse Aldebertum Bituricensem Archiep. eique suffectum Leodegarium, de quibus plura pollicemur in Promptuario Bituricensium Antiquitatum. Certè Chronicon Dolensis cœnobij, cuius Abbas 16. numeratur Aldebertus, differt in an. sequentem. IV. Santonis celebratum fuisse Concilium, in quo imperatum sit omnibus vigiliis Apostolorum ieunare. In charta Angeriacensi dicitur celebratum illud Dominica, quæ dicitur Lætare, ideóque in Chronico Technico arbitrabar more Romano reuocandum fuisse in an. seq. Verùm obstant Tabulæ Vindocinenses in quibus hæc habentur: Ego Amatus Burdegalensis Arch. S. R. E. Legatus hoc priuilegium confirmaui in Concilio apud Santonas anno 1096. Indict. 4. 6. Nonas Martij, & mecum pariter Arch. Ep. & Abbates qui adfuerunt numero 43. Raimundus Auxiensis A. Rotlandus Dolensis A. Hildebertus Cenomanensis Goffridus Andegauensis, Marbodus Redonensis, Simon Agennensis*, &c. V. Rainaldum cum Langobardis & Alamannis in die dedicationis S. Michaëlis periisse. VI. Petri Eremitæ socios Gauterium aliósque propè Nicæam in Bithynia à Turcis occisos mense Octobri, vnde solus Petrus euaserit, *&c.* De S. Anselmo ad Vrbanum Papam ex Anglia pro-

fecto aliísque rebus Anglicis Edinerus, Parisius, Rogerius, Malmesb. *&c.*

Anno Christi MXCVII. *Philippi* 38. *Proceres Franci qui in Italia cum cateruis suis hiemauerant, placido vere pelagus sulcantes transfretauerunt*, & Marco Buamundo in Macedonia sociati sunt, inquit Ordericus, qui postquam fraudes Alexij Imp. Græcorum, transitum nostrorum in Asiam, ac similia pertexuit, de quibus etiam multa, sed in patris sui fauorem commenta est Anna Comnena, docet I. Christianos apud Nicæam Bithyniæ castra metatos pridie Nonas Maij, in die Ascensionis Dominicæ aggressos vrbem expugnare, eam deditione 14. Iunij cepisse, & Alexio Imp. tradidisse, *&c.* II. Eosdem fideles in duo agmina diuisos Turcis irruentibus strenuè restitisse, eósque magna victoria fudisse Kal. Iulij. III. Tarsum deditam Tancredo, ciuibus *Francos Triumphatores orbis ac dominatores* altè acclamantibus. IV Cæsaream Cappadociæ dirutam. V. Buamundum Antiochiam Syriæ accessisse, eámque à 4. feria 12. Kal. Nouembris vsque ad 3. Nonas Iunij anni seq. viriliter obsedisse. Plura Tudebodus, Baldricus, Robertus, Raymundus de Agiles, Guibertus, Tyrius, alij, vt de Anonymis sileam. *Odonem Arpinum cum Maltilda eius vxore Gimonis Soliacensis filia & Stephani Vicecomitis Bituricensis nepte subscripsisse chartæ cuidam mense Iunio, ex chartulario Abbatiæ S. Sulpitij ostendimus pag.* 176. *Appendicum ad Elogium Ciuitatis Bituricensis, ideóque errasse, qui Arpinum primæ Crucesignatorum expeditioni interfuisse hactenus voluerunt. Amatus Ep. Burdegalensis, vt opinor, sanctæque Sedis Apostolicæ Legatus, consecrauit Oscam ciuitatem ad opus Domini, & Paganorum Synagogam ad Paschalem solemnitatem quæ fuit Idibus, imò Nonis Aprilis, ex Chronico Malleacensi. Nam Chronicon S. Victoris Massiliensis pag.* 340. *Noua Bibliothecæ hoc demum anno captam Oscam tradit. Hugo S. Vitoni Monachus, cuius Virdun. Chron. vulgauimus, ætatis anno* 32. *Flauiniac. Abbas consecratus est die* 22. *Nouemb. S. Cæciliæ sacra ab Aganone Eduensi Ep. qui an. seq.* 7. *Kal. Iulij obiit, succedente Nortgando, de quo sibi infenso pluribus ipse conqueritur. Ioanni Aurelianensi Ep. defuncto suffectus Sancio ob simoniam electus est, datúsque à Rege est, Radulfo Turon. id postulante, hoc vel potiùs sequenti anno Ioannes puer, de quo iactatum distichon*

Eligimus puerum Puerorum festa colentes,
Non nostrum morem, sed Regis iussa sequentes.

Fulco eiusque filius Martellus Andegauorum Comites Rupes Corbonis obsi dent capiúntque, ex Gestis Consulum Andegauensium. De Ludouico quindecenni Vvillelmum Rufum à Vvlcassino fortiter repellente, vide Sugerium. Azzo Estensis Marchio centenario maior obiit, cuius bona cùm Welfo Dux Baioariæ obtinere vellet, & fratres eius de alia matre procreati resisterent, ope Henrici Ducis Carentini, & fratris eius Aquileiensis Patriarchæ hæreditatem patris ex magnâ parte sibi vindicauit. Matildis, Henrico de Langobardia viriliter fugato, recuperatis suis bonis, Deo & S. Petro gratias referre non destitit: ipse verò Henricus cum paucis reuersus in Germaniam Ratisponæ, circa castrum Nuremberg & Nemeti priuatè diu moratus est, inquit Bertoldus. Neque omittendum hoc anno Baronium eiúsque Breuiatores Spondanum, Scoglium, alióque prolixè disputare de Monarchia Siciliæ, vt vocant.

Anno Christi MXCVIII. *Philippi 39. B. Robertus Molismensis in Burgundia Abbas 12. Kal. Aprilis in festo S. Benedicti cum 21. Monachis consensu Gualteri Cabilonensis Episcopi, & opibus Odonis I. Burgundiæ Ducis exstruere cœpit Cistercense cœnobium, quod nobilissimi sanctissimique ordinis toto postea orbe diffusi exordium præbuit. Ipse tamen Robertus à suis Molismensibus expetitus redire coactus fuit, substituto Alberico,* &c. *Plura de iis leges in Originum Cistercensium breui Compendio, quod pag. 640. & sequentibus Tomi Primi Nouæ Bibliothecæ vulgauimus, & in Annalibus Cistercensibus Angeli Manriquez,* &c. *Burdegalense Concilium eruimus ex Tabulario Angeriacensis diplomate dato Ind. 6. 3. Nonas Octobris, cui interfuerunt Amatus Archiepisc. Burdegalensis, Rotlandus Dolensis, Simon Agennensis, R. Petracoricensis, aliique. Helias Comes Cenomanorum captus est à Roberto de Belesmo defectione suorum 4. Kal. Maij feria 4. & Vvillelmo II. Anglorum Regi traditus. Fulco Rechinus Andegauensis Comes Cenomanicam vrbem, vt suam, sequenti sabbato recepit, quam tribus mensibus possessam deficientibus à se pro more Cenomanensibus, reddidit eidem Anglorum Regi, vt docent Chronica Andegauensia pag. 281. eiusdem Nouæ Bibl. & Ordericus Vitalis lib. 10. ad quem Lectorem ablego hæc & alia plurima prolixè explicantem. Radulfus Turonensis Archiep. in Natali Domini Regi Philippo, qui Bertradam suam reuocauerat in aulam, thalamúmque regium, consentiente iam, vt volunt, priori viro Fulcone Rechino, coronam imposuit contra interdictum Legati Sedis Apostolicæ, ab eóque obtinuit, vt Ioannes*

puer Aurelianenſis crearetur Antiſtes, vt docet Iuo Carnotenſis epiſtolis 66. & 67. Rogerius Houedenus teſtis eſt Vrbanum Papam celebraſſe Concilium apud Barium Kal. Octobris in eóque S. Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum aduerſus Græcos de proceſſione Spiritus ſancti ex Patre Filióque egregiè diſputaſſe. Guibertus Argentum caſtellum Pado imminens amiſit, & Vrbanus II. occupato caſtello S. Angeli Natalem Domini Romæ celebrauit, æmulis aut placatis, aut vi perdomitis, ex Bertoldo. Porrò de rebus præclarè ab exercitu Chriſtianorum geſtis in obſidione Antiochiæ, aliiſque Syriæ ac Palæſtinæ locis, non eſt quod plura ediſſeram, cùm habeamus ad manum Petrum Tudebodum, Fulcherium Carnotenſem, Raymundum de Agiles, Albertum Aquenſem, Baldricum Dolenſem, & ex eo Ordericum lib. 9. Sigebertum, Gaufredum Voſienſem, Robertum, Guillelmum Tyrium, Rogerium, Chronicon Malleacenſe, alióſque anonymos, tum in ingenti volumine opera Iacobi Bongarſij Hanoniæ edito, quod *Geſta Dei per Francos* inſcribitur, tum ſub calcem Tomi IV. Ducheſnianæ Collectionis, quos per otium conſulere poſſumus. Duo tamen aut tria ſtrictim delibabo. I. Antiochiam captam 3. Iunij feria quinta. II. Lanceam Dominicam inuentam à Chriſtianis. III. Chriſtianos Antiochia egreſſos ingentem Turcorum exercitum fudiſſe 28. eiuſdem menſis, *Stephanum Blæſenſem pridie, quàm vrbs caperetur, reuerſum in patriam.* Marram vrbem captam die 11. Decembris ſabbato, *&c.* Ordericus meminit defectus ſolaris meridie Natalis Domini, & Bertoldus mirabilis ſigni in cælo 5. Kal. Octobris.

Anno Chriſti MXCIX. *Philippi* 40. *Bellum fuit inter Comitem Niuernenſem & Aymonem Dominum Burbonenſem ex Chronico Vezeliacenſi pag. 396. N. B. Rodulfus Theobaldus Septimus Dolenſis Dominus & Geraldus XVII. Dolenſis Abbas obierunt, vt docet eiuſdem Abbatiæ Chronicon. Clementia Roberti Hieroſolymitani Flandriæ Comitis vxor Othonis Guillelmi Burgundiæ Comitis filia & ſoror Calliſti II. Papæ fundauit Burburgenſe Nobilium Virginum cœnobium, teſte Miræo, qui ex Iperij MS. Hiſtoria refert Ioannem Bonum Morinenſi præfectum fuiſſe Eccleſiæ. Is verò Ioannes cum Manaſſe Remenſi, Baldrico Nouiomenſi, Lamberto Atrebatenſi pridie Idus Iulij petente Roberto iuniore illo Flandrenſium Comite eiúſque Primatibus*

confirmauit pacem, quam Rainoldus Remorum Archiep. cum Suffraganeis in Sueſſionenſi Eccleſia S. Medardi inſtituerat, vt docet Codex Igniacenſis cœnobij pag. 94. De Concilio Stampenſi hoc circiter tempore celebrato præſide Daimberto Senonenſi vide Iuonis Carnotenſis ep. 79. in qua mentio Niuernenſis Ep. conſecrandi. Chronici Malleacenſis Auctor præter ea quæ de Hieroſolymitana expeditione habet teſtatur, I. Inuentum fuiſſe S. Agapij Abbatis corpus deceſſoris S. Maxentij, & Eccleſiam ſacratam Idibus Martiis. II. Pictauis Eccleſiam B. Radegundis, in qua ipſa humata iacet, 15. Kal. Nouembris fuiſſe dedicatam. III. Apud Valentiam in Hiſpania Rodericum Comitem defunctum fuiſſe, de quo maximus fuerit luctus Chriſtianis & gaudium Saracenis, quos Paganos vocat. *IV. Vvillelmo Comiti Pictauenſi IX. natum fuiſſe filium Vvillelmum X. cuius frater Raimundus qui poſtea Antiochiæ principatum obtinuit apud Toloſam deinde prodiit in lucem.* Addit Concilium Romæ celebratum ab Vrbano Papa VII. Kalend. Maij, in quo confirmauit viam ſancti Sepulcri D.N.I.C. & decreuit omni ſexta feria ieiunare pro peccatis ſuis, iiſque maximè quibus non confeſſi ſunt immemores. Hæc ille. At Bertoldus Synodum 150. Epiſcoporum collectam dicit in tertia hebdomada poſt Paſcha (Titulus Canonibus 17. præfixus in Eccleſia B. Petri Apoſtoli habitum docet 6. Kalendas Maij) tum Vrbanum Papam, poſtquam ſedem Romanam 11. annos & 5. menſes gubernaſſet, 4. Kalend. Auguſti de hac luce migraſſe, & Paſchalem II. à clero & populo poſt diſceſſum ſui prædeceſſoris die 16. ordinatum. De propoſita ab illo formula iis qui ab hæreſi reſipuerant aliiſque conſule Dodechinum. Rogerij Siciliæ Comitis iuſſu Gaufridus Malaterra Hiſtoriam in huncce annum deſinentem ſcripſit. Henricus Imperator Comitiis in Germaniâ die 6. Ianuarij celebratis Henricum minorem filium hæredem ſibi inſtituit, abdicato proſcriptóque Conrado, qui Italiam interim regebat. Sancius Alfonſo VI. & Zadda Abenabethi Hiſpalenſium Maurorum Regis filia genitus anno 1086. in prœlio apud Ocles à Saracenis victus occubuit. Conradus Vltraiectenſis Ep. feria 4. Paſchæ poſt Miſſam à ſe celebratam, à quodam ſuorum, vt vult Sigebertus, vel vt alij ab Architecto Friſio, in domo propria peremptus eſt. Sunt qui 24. Aprilis adſignent non ſatis aptè. *Raimundus ſancti Ægidij ſeu Toloſanus Comes de ciuitate Marra egreſſus*

Idibus Ianuarij venit ad castrum Capharda cum Roberto Comite Normanniæ. Robertus verò Flandrensis & Dux Godefridus eos sequuti venerunt Laodiciam, vnde Boamundus reuersus est Antiochiam. Peregerunt Pascha 4. Idus Aprilis in obsidione castri Archæ, tum Byblum, Berytum, Sidonem, Tyrum, Ptolemaidem, Cæsareámque prætergressi celebrauerunt Pentecosten 4. Kal. end. Iunij, & ordinato in ciuitate Rama Episcopo castra metati sunt ad Ierusalem 7. Idus Iunij, eámque post assultus multos & varia discrimina tandem capiunt die 15. Iulij feria sexta illa ipsa hora, qua D. N. I. C. in illa ciuitate mortem fuit passus. Aiunt omnes ex communi decreto nudis pedibus quotidie orando circumiisse vrbem, eámque octauo tantæ humiliationis die obsidionis 39. cepisse. Cúmque Rex Saracenorum Ascalonam venisset cum 100. millibus Equitum & 400. millibus peditum à Christianis Equitibus quinquies mille & 15. peditum millibus die 12. Aug. feria 6. cæsa fuisse hostium centum millia, & in Ascalonis portâ duo millia suffocata. Godefridus, qui primus murum ascendisse dicitur, consensu omnium Rex electus est die 22. Iulij, & Patriarcha Arnulfus die sancti Petri ad Vincula: Edessa Balduino Godefridi fratri, Antiochia Boamundo, Galilæa Tancredo eius nepoti, aliæ aliis cesserunt: plerique in Europam Galliámque redierunt. Ordericus refert Raimundum Tolosanum se Alexio Imp. addixisse, eiúsque filium Adelfonsum genitum fuisse Constantinopoli. Vide citatos anno superiori scriptores, vt ex iis singula quæque recognoscas.

Anno Christi M C. *Philippi* 41. Bertoldi Constantiensis Presbyteri Chronicon siue Lamberti Schafnaburgensis Appendix desinit. *Concilium apud Ansam celebratum ab Archiepiscopis Hugone Lugdunensi, Cantuariensi Anselmo, Senonensi Daimberto, Rudolfo Turonensi, Leodegario Bituricensi, & 8. Episcopis, memorat Hugo Flauiniacensis pag. 254. in quo qui viam Hierosolymitanam vouerant, & voti executores non fuerant, à communione segregati, quo ad vsque vota complerent. Idem Auctor prolixè exponit, quæ à Legatis Romanæ Sedis Ioanne & Benedicto Cardinalibus gesta sunt in duobus Conciliis Valentino pridie Kalend. Octobris (cui subnectit agitatam cum Monachis suis Flauiniacensibus, à quibus pulsus fuerat, controuersiam) & Pictauensi in Ecclesia S. Petri die Octauarum S. Martini, in quo inter cetera lata est anathematis sententia in Regem adulterum, qui Bertradam reuocarat. In eamdem rem multa quoque suggerent Iuo in epistolis præsertim 84. 95. 100. & 211. vbi hæc inter cætera: Et cùm post factum diuortium prædictus Rex esset reuersus ad prædictæ*

mulieris

mulieris consortium, excommunicatus est in Pictauensi Concilio à Cardinalibus Ioanne & Benedicto, Senonense Chronicon & Malleacense, quique Vitas scripserunt Vitalis, Roberti, Bernardi, similiumque Virorum pietate ac doctrina insignium, atque ex recentioribus Baronius. Regnum tunc pro patre illicitis illis amoribus irretito administrabat Ludouicus Crassus vndeuicennis adolescens. In sabbato sancto Paschæ ignis qui venit in Ierusalem extinxit, verba sunt Chronici Malleacensis, & post paululum miserante Domino veniens iterum lætificauit Christianos, quos extinctione tristauerat. Boamundus Antiochiæ Princeps à Turcis captus die 2. Iulij in Persidem abductus est Tancredo Tiberiadis Comite eius vices interim, dum liberaretur, supplente. Godefridus Bullionius primus Hierosolymitanus Rex, qui numquam vt ferunt voluit coronari, obiit die 18. Iulij, cùm annum integrum implesset, eiúsque frater Balduinus Edessæ Comes successit, à Patriarchâ Hierosolymitano die 25. Decembris eodem anno coronatus, ex Sigeberto, Tyrio, aliísque, quos supra laudauimus. Guillelmus Rufus Angliæ Rex quadragenario maior dum venaretur in silua, quæ Noua Foresta dicebatur, sagittâ in ceruum à Galterio Tirello missâ percussus anno regni 13. occiditur die 2. Augusti feria 5. & apud Vintoniam sepelitur. Succedens frater eius Henricus quarto post die Augusti 5. apud Westmonasterium Londoniæ coronatus est, reuocauit ex Galliis sanctum Anselmum, & die S. Martini duxit Mathildem filiam Malcolmi Regis Scotorum, & abneptem Eduardi Anglorum Regis ex fratre Eadmundo sororem Edgari, Alex. & Dauidis regum. *Robertus Normannorum Dux natu maior ex itinere Hierosolymitano reuersus ducta in Italia vxore Sibylla filia Goesfredi de Conuersana ea lege Angliam fratri permisit, vt beneficiarius eius esset, soluto quotannis tributo. Fusiùs ista Ordericus, Malmesb. Rogerius*, &c. Periit eodem anno Rauennæ Guibertus Antipapa Clemens III. appellatus, 20. anno, ex quo sedem inuaserat Apostolicam, & Paschalis Pontifex Cauas aliáque ex Petro Columnensi extorsit. *Guillelmus Consul Pictauorum accepit apud Lemouicas Crucem, & cum eo multi Procerum eius, inquit auctor Chronici Malleacensis, ex quo etiam discimus.* I. Petrum Aragoniæ Regem cepisse Barbastam, & multa castella & pugnasse apud Oscam cum Saracenis iísque victis subiugasse ciuitatem die 15. Kal. Nouembris. *II. Obiisse Simonem Episcopum*

Agennenſem, cuius mortem, necnon Aldeberti Bituricenſis Archiepiſcopi, Guillelmi Regis Anglorum, multorúmque aliorum elegis planxit Baldricus Burgulienſis Abbas & poſtea Dolenſis Archiepiſcopus pagina 257. Tomi IV. Ducheſniorum. III. Petrum Burdegalæ Decanum electum fuiſſe Lemouicenſem Epiſcopum. IV. Magiſtrum Robertum de Arbriſſello incepiſſe locum Fontis Ebraldi adunatis fratribus & monialibus, &c. Chronicon Turonenſe teſtatur non multò pòſt Concilium Pictauienſe Abbatiam Monialium Fontis Ebraldi in Pictauienſi diœceſi fabricatam. Ordericus Vitalis refert Turrim Cenomanicam Heliæ filio Ioannis de Flecchia, quem ioco Candidum Baculárem appellabant, fuiſſe à cuſtodibus redditam, eúmque Conſulatum ſuum vſque ad obitum fere 10. annis honorificè tenuiſſe. Ludouicus Francorum Rex deſignatus, teſte Rogerio, interfuit curiæ Regis Henrici Londoniæ in Natiuitate Domini cùm 14. Kalend. Decembris die Dominica Thomas Archiep. Eboracenſis obiiſſet.



DVODECIMVM ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM,

FRANCORVM HIEROSOLYMIS REGNANTIVM.

Ab anno Domini IESV 1101. *M.* 5154. *Romæ* 1854.
ad annum Christi 5200. *M.* 5253. *Romæ* 1953.

MILLESIMO CENTESIMO PRIMO *Æræ Christianæ anno Philippi Francorum Regis* 42. *Guillelmus Pictauensium Dux ingentem exercitum de Aquitania & Vasconia contraxit : trecenta armatorum millia vexillum eius sequuta refert Ordericus lib.* 10. *Stephanus quoque Blæsensis Comes Palatinus, qui de obsidione Antiochena fugerat, Adelâ vxore suâ, aliísque commonentibus, iter Hierosolymitanum cum multis Francorum arripuit. Tunc, pergit idem Auctor, Harpinus Bituricam vrbem Philippo Regi Francorum vendidit, & cum Goscelino de Cortenaia, & Milone de Braio iter in Palæstinam iniit, quod etiam præstiterunt Stephanus Comes Super-Saonensis, aliíque Burgundi, Ligures, &c. Plura de eodem Odone cognomento Arpino Bituricensi Vicecomite ex variis Scriptoribus Deò dante referemus in Promptuario Bituricensium Antiquitatum, vbi sigillatim refellemus plurimas nostratium aliorúmque Historicorum de eo allucinationes. De obsessa per triduum ab Aquitanis Vasconibúsque Constantinopoli, de perfidi Alexij fraudibus, de cæsis ab exercitu Turcorum* 40. *Christianorum millibus, de fuga Raimundi Comitis Tolosani ac Turcopolorum versus C P. de Pictauensi Comite, qui pauper ac mendicus vix Antiochiam tenuit, & deinde in patriam reuersus est, ac similibus plura idem Ordericus cum Malmesburiensi, cæterísque iam sæpiùs laudatis, ex quibus, ac præsertim Vuillelmo Tyrio disces* à Balduino Hierosolymorum Rege Antipatridem & Cæsaream captas, expugnatam ope Genuensium classe aduectorum Azotum, cæsosque ad quinque millia ad Ascalonem Saracenos, cùm illi Ramulam obsessam cepissent, & in ea *Stephanum Comitem*

Bleſenſem quem occiderunt, Arpinum Bituricenſem quem in Babyloniam duxerunt, Milonem de Brayo, aliósque: ſunt qui cladem hanc differant in ſeq. annum, vt docebimus. Boamundus circa eadem tempora in Turcorum manus venit, Tancredo Antiochiam aliáſque eius vrbes interim adminiſtrante. *Philippus Rex Legatos Romam ad Paſchalem Papam miſit ad impetrandam abſolutionem, de quibus Iuo ep. 104. & fragmentum Hiſt. poſt Helgaldum. Tam vehemens ventus teſte Hugone Flauiniacenſi Normanniæ incubuit, vt integras ſiluas ab imis radicibus eruerit. Obiit Simon Agennenſis Epiſcopus, & in Dolenſi Abbatia ſepultus eſt, vt teſtatur Chronicon eiuſdem loci.* Conradus filius Henrici Imp. patri adhuc rebellis in Italia moritur, de quo etiam legendus Domnizo in vita Mathildis, *Imperator verò Henricum Lemburgenſem ſibi aduerſantem debellat, & expugnatis eius caſtellis eum ad deditionem cogit, tum multa pecuniæ ſummâ gratiam ſuam redimenti etiam Ducatum Inferioris Lotharingiæ donat, inquit Sigebertus, cui in MS. Lipſiano duo hæc adduntur; Anſelmi Laudunenſis quem vocat Doctorem Doctorum elogium, & S. Brunonis Carthuſiani Ordinis Inſtitutoris mors in Calabria die 6. Octobris obita in eremo Squillacenſi, de qua etiam alij Scriptores. Hîc verò incipit Appendix ad Sigeberti Chronicon Roberti de Torinneio Abbatis de Monte S. Michaëlis in Tumba ſiue Periculo maris, vt quidem poſt opera Guiberti Abbatis Nouigentini edita eſt ante aliquot annos à R. P. Lucâ d'Achery Benedictino. Ad Aquascurtas Odo Preſbyter ædificauit Monaſterium Canonicorum Regularium, probante Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ex Notitiæ Miræi capite 122.* Guibertus Antipapa, dictus Clemens III. qui per tot annos Eccleſiam turbauerat, hoc tandem anno miſer periit, de quo conſulendi Domnizo, Petrus Diaconus, aliíque. Eius ſucceſſores Albertus, Theodericus, & Maginulfus à Rauennatibus Schiſmaticis & Henrico ſubrogati breui exaruerunt. Res Anglicas pluribus exequuntur Ordericus, Malmeſburienſis, Henricus, Rogerius, Pariſius, ex quibus obiter moneo Robertum Normanniæ Ducem conſilio Ranulfi Dunelmenſis Ep. cum ingenti exercitu *ex Vlteriori Portu* ſoluiſſe, atque in Angliam appuliſſe Kal. Auguſti. Tum ſalubri conſilio pacem inter fratres initam ea conditione, vt Rex Duci ter mille marcas argenti ſingulis annis perſolueret. Edgarus Malcolmi ex Margarita filius, ex Anglia reuocatus, primus omnium Scotiæ Regum hoc tempore inunctus perhibetur

à Godrico S. Andreæ Episcopo. Vide Boëthum, Lesłæum, similésque Scriptores. *De descensu B. Virginis in Cistercium, & miraculosa monachici habitus de nigro in album mutatione die 5. Augusti feria 2. qua dedicatio B. Virginis ad Niues in Ecclesia quotannis celebratur, tempore Alberici Secundi Cisterciensium Abbatis, consule Angelum Manriquem cæterósque illius Ordinis Scriptores.* Fuit sanctum Pascha XI. Kalendas Maij, inquit Auctor Chronici Malleacensis, & ignis, qui venit in Sabbato sancto, non venit vsque in ipso die Paschæ, & tunc tribus vicibus venit. Addit I. Petrum Regem Aragoniæ pugnasse cum Moabitis XV. Kal. Nouembris, & cepisse Boleam castrum. II. *Amato Burdegalensi Archiepiscopo mortuo successisse Arnaldum.*

Anno Christi MCII. *Philippi* 43. *Blondellus in Tractatu de Formula Regnante Christo existimat missum fuisse Richardum Albanensem Episcopum Paschalis Papæ Legatum ad faciendam Regis absolutionem, Iuonis Carnotensis rogatu, Balgentiaci die Iulij* 30. *Concilium congregatum, réque infectâ solutum, dein Regem qui Paschalis aures pulsauerat, suámque causam temperari rogarat, Parisius absolutum fuisse: Sed in his aliísque pluribus à veritate aberrasse, nec nunquam à Papâ probatum fuisse coniugium illud, paullò pòst planum fiet. Philippus Rex donationes à Gaufredo Biturigum Vicecomite eiúsque vxore Ildeburge, Odone de Dolis & Principibus totius Bituricensis patriæ factas Ecclesiæ B. Ambrosij, confirmauit in solemnitate eiusdem sancti, quæ celebratur mediante Octobrio, Indictione XI. non* 5. *Olympiade* CCCCLXX. *non* 302. *vt in apographo, quo aliàs vsus sum, scriptum reperi. Vide Appendices ad Elogium Bituricense. Rotberto Flandrensium Comite inquietante Camaracum Henricus Imp. contra eum proficiscitur, & aliquibus eius castellis expugnatis asperitate instantis hiemis redire compellitur, inquit Sigebertus, qui in Vita sua fatetur se respondisse epistolæ illi, quâ Paschalis Papa Robertum* 12. *Kal. Februarij excitauerat, vt Schismaticos Cameracenses ac Leodienses infestaret. Addit Robertus de Monte, I. Occisum fuisse Stephanum Blesensem Comitem XV. Kal. Augusti apud Ramulam. II. Mortuum fuisse Hugonem Magnum Veromanduorum Comitem apud Tarsum in Cilicia, eíque successisse Rodulfum filium. III. Robertum de Bellismo electum fuisse de Anglia in Normanniam ab Henrico Rege.* IV. à sancto Anselmo Concilium Londoniæ celebratum. Verum de rebus Anglicis ac Normannicis plura subministrabunt curiosis Edinerus in vita S. Anselmi, Ordericus Vitalis, Mal-

mesb. Rogerius, Henricus, &c. *Pontius Casæ Dei Abbas ordinatus est in Episcopum Aniciensem, dictámque Abbatiam procurandam suscepit Aymericus, inquit Hugo Flauiniacensis Abbas, qui in hæc verba desinit non vltra progressus in M S. nostro codice, quem ipsius autographum arbitramur: Legatus quoque in Burgundiam & Franciam directus est Richardus Albanensis Episcopus, primò S. Stephani Metensis Ecclesiæ Decanus. Vide pag. 269. Nouæ Bibliothecæ MS. Librorum. Columna ignea in nocte festiuitatis S. Michaëlis Archangeli visa est multis penetrasse Ecclesiam Montis illius, in quo sita est Abbatia, cuius Chronicon edidimus pag. 348. eiusdem Bibliothecæ.* Principes Christiani ceperunt ciuitatem Tortosam XII. Kalendas Maij, & apud Ioppem iterum Rex Balduinus pugnauit VI. Kalendas Iunij vbi deuicti fuerunt, & apud Ramam ciuitatem inclusi, & duodecim Comites capti cum aliis multis, & ipse Rex euasit. Quarto Nonas Augusti ceciderunt fulgura in multis locis & maximè *Turonis*, vbi spiritus maligni visibili forma apparuerunt, ex Chronico Malleacensi. Paschalis Papa habito Romæ concilio priorum Pontificum decreta stabiliuit, & sententiam anathematis in Henricum Imp. renouauit. De ea re plura Vrspergensis Abbas in Chronico, qui non ipse Synodo illi interfuit in reditu à peregrinatione Transmarina, sed is Auctor quem exscripsit, quod non aduerterunt Baronius & pleriq; nostri Chronologi, qui Conradum Lichtenaniumfalsò censuerunt tunc floruisse, cum necdum natus esset, qui ad annum vsque sequentis sæculi 29. Historiam suam ex variis Scriptoribus verbatim consarcinatam perduxit. De Ottone Bambergensi post Rupertum Episcopo, qui schismate abiecto ab ipso Papa Romæ consecratus est ipso sacræ Pentecostes die anni sequentis consule tres libros de eius vita ab Anonymo scriptos Tomo VI. Antiquæ Lectionis Henrici Canisij. Mathildis Tusciæ Comes Canusiæ confirmat donationem aliquot Tusciæ ac Liguriæ oppidorum quæ anno 1077. Ecclesiæ Romanæ dederat, vt constat ex ipso diplomate post vitam Mathildis à Domnizone carmine scriptam, in Baronianis Annalibus, & Notitiæ Miræi cap. 124. Petro Rege Aragoniæ absque liberis mortuo succedit in regnum frater eius Alfonsus Aragoniæ, quidem huius nominis Rex I. sed Castellæ seu Legionis Rex VII. de quo cæteríque plura Mariana cum aliis Hispanis; nam Chro-

nicon Malleacenſe differt in ſequentem annum, & Ann. Arag. diem 28. Sept. aſſignant. Ladiſlaus Poloniæ Princeps obiit die 4. Iunij poſt annos regni 20. ſuccedente filio Boleſlao III. ad annos37. ex Longino, Gromero, cæteríſque Polonicæ Hiſtoriæ Scriptoribus.

Anno Chriſti MCIII. *Philippi 44. florebant, vt tradit Malleacenſe Chronicon, Roſcelinus & Vitalis duo ſancti viri: vnus in Aquitania, qui conuiuia magna pauperibus tribuebat, alius in Normanniâ & terrâ Anglorum. Tertius quoque Monachus in Britanniæ & Turoniæ finibus florebat Rainaldus, præter eos, de quibus ſupra ex occaſione loquuti ſumus.* Idem paullò poſt meminit Alipranni Preſbyteri, qui odio ſimoniacæ hæreſis ad probandum Mediolanenſem Archiepiſcopum tranſiit per immenſum ignem fornacis, ſicut Petrus Igneus tempore Alexandri II. Papæ, &c. Ordericus Vitalis docet. *I. Paſchalem Papam veniſſe in Gallias, inuitatúmque ab Iuone Epiſcopo ſolemnitatem Paſchæ apud Carnotum celebraſſe, Adela Comite largas impenſas conferente: cuius filius Guillelmus natu maior filiam Gilonis de Soleio, ſiue Soliaco, vxorem duxit, atque Odonem & Raherium genuit. Theobaldus autem Palatinus Comes fuit, Stephanus Angliæ Rex, & Henricus ex Cluniacenſi Monacho & Abbate Glaſtarienſi Ventonienſis Præſul. II. Ludouicum iuuenem permiſſu Philippi patris ſui cum ſapientibus viris in Angliam transfretaſſe, & ad curiam Henrici Regis acceſſiſſe. Eodem à Bertrada nouerca miſſum nuntium cum literis Regis ſigillo ſignatis, quibus mandabat, vt filium ſuum Ludouicum comprehenderet, & in carcere omnibus vitæ ſuæ diebus coërceret. Verùm fraude detectâ, reuerſum in Gallias Ludouicum cum patre grauiter expoſtulaſſe, qui ignarum ſe nefariæ proditionis profeſſus eſt. III. Eundem Ludouicum veneno infectum ab externo quodam medico ſanatum fuiſſe. IV. Supplicem patrem nouercam filio reconciliaſſe, eique Pontiſaram, totúmque Pagum Vulcaſſinum conceſſiſſe. Extat charta data Beluaci in Capitulo B. Petri 14. Kalendas Februarij Indictione 11. in qua Ludouicus ſe Dei gratia Francorum Regem deſignatum appellat, de quo videndus in eius vita Sugerius. Certè eo circiter tempore Burcardum Montis Morentiaci dominum, alióſque plures bona Eccleſiæ vſurpantes armis ad reſtitutionem compulit. Gaufridus quoque Martellus Fulchonis Rechini filius patruo ſuo Gaufrido Barbato tradente Andegauos regendos ſuſcepiſſe perhibetur. In Chronico S. Albini pag. 281. Nouæ Bibliothecæ legimus Martellum ſumpta amicitia cum Heliâ Comite Cenomanenſi*

contra patrem in iuniorem filium propensiorem arma arripuisse, castrum Mazonem cepisse & incendisse, Vvillelmum Pictauorum Comitem fugasse, dein Brioletum castrum obsedisse & cepisse. Henricus Imperator, cui sanè non fauet Chronicon Hildensheimense, sedatis, teste Sigeberto, Saxonum motibus pacem in quadriennium constituit, *dein Legiæ generali conuentu habito Rotbertum Flandrensem Comitem in gratiam recipit. Otbertus Leodiensis Antistes S. Odæ Virginis corpus de terra solenniter leuauit, & in Ecclesia Rhodensi collocauit.* Ex Edinnero, Malmesburiensi, Rogerio, Roberto Montensi, similibúsque certum est. I. Orta inter Regem Henricum & S. Anselmum discordia propter inuestituras Episcoporum hunc illius concessu post multas contumelias Romam perrexisse 5. Kal. Maij. II. Robertum Normanniæ Ducem in Angliam profectum condonasse fratri ter mille argenti marcas, quas ab eo quotannis ex pacto recipere debebat. Boamundus è carcere Turcorum liber Antiochiam redit, eáque Tancredo nepoti commendatâ in Apuliam nauigat. Balduinus Rex vastatis Ptolemaïdis finibus Cæsaream redit, & à latrone quodam periculosè sauciatur. Daiberto primo Patr. Hierosolymitano in Italiam regresso successit Ebremarus. Tancredus quoque tum Laodiceam & Apamiam Turcis eripuisse dicitur, & Raimundus Tolosanus Comes Tripolim feciſse tributariam, sed de his consulendus Willelmus Tyrius, vel illi ipsi fontes ex quibus abundè hausit, quæ posteritati magna fide reliquit.

Anno Christi MCIV. *Philippi* 45. *Gualo Beluacensis Antistes cùm ab aliquot annis à Rege vexatus Romam petiisset, vt docent plures Iuonis Carnotensis ad varios Epistolæ præsertim* 29. 41. 45. 47. 49. 50. 169. 170. 171. à Paschale Romano Pontifice Legatus in Poloniam missus Cracouiensem Episcopum aliósque deposuit, editúmque è Sbislaua Regis Russiæ filia Boleslai Ducis coniuge filium è sacro fonte susceptit, ac Ladislaum nominauit, auctore Longino. *Inuitati à Richardo Albanensi Episcopo Apostolicæ Sedis in Gallias Legato ad impertiendam Philippo Regi absolutionem Antistites Remensis ac Senonensis Prouinciarum apud Balgentiacum conuenerunt tertio Kal. Augusti: interfuit etiam Rex cum sua laterali Bertradâ, cúmque de absolutionis modo inter se non consentirent Legatus atque Episcopi, res indefinita, Rege indignante, in medio mansit, vt narrat Iuo epistolis* 141. *&* 144. *Ludouicus verò Regis filius*

sibi

sibi ipsi Lucianam Guidonis de Rupeforti filiam desponsat, fratri verò suo ex Bertradâ nato Elisabetham Guidone Trusello Domino Montis-Leherici genitam, vt ex Sugerio discimus. Idem verò Richardus Cardinalis Synodum de negotiis Ecclesiasticis habuerat Trecis 4. Nonas Aprilis, præsentibus Manasse Remensi, Daimberto Senonensi, & Rodulfo Turonensi Archiepiscopis, Episcopis Manasse Suessionensi, Hugone Catalaunensi, Iuone Carnotensi, Ioanne Aurelianensi, Marbodo Redonensi, aliisque, qui nominantur in charta Molismensi Hugonis Comitis Campaniæ, qui duxerat Constantiam Philippi Francorum Regis filiam, quam ob consanguinitatem deserere coactus est, cùm ex ea Eudonem ac Philippum genuisset. In ea Synodo tractatam fuisse causam Siluanectensis Episcopi docet Iuo Carnotensis Antistes ep. 260. ad Paschalem Papam, & Nicolaus Suessionensis Monachus testatur S. Godefridum ibidem creatum fuisse Ambianensem Episcopum, cuius vitam exhibuit Surius die 8. Nouembris. Fulco Andegauensis Comes, eiúsque filius Gaufridus initâ pace castellum Carceris ceperunt, & Toarcium concremauerunt, inquit Auctor Chronici S. Albini, quo referas verba Chronici Malleacensis: Multa incendia fuerunt in castellis Toarcij, Niorti, Beluerij. In Pictaua ciuitate oppressio bellorum. Addit per bonos sanctósque viros impeditum prælium 6. Nonas Sept. apud Partiniacum, cùm pluuia magna vbertim per duos dies, & noctes assiduè cecidisset. Ex Orderico disces I. Henricum Anglorum Regem cum magna classe in Normaniam transfretasse, & Danfrontem aliáque oppida suæ ditioni subdita visitasse, à Proceribus suis honorificè susceptum, quos de nomine appellat. II. Facto cum fratre colloquio segnitiem eius aliáque vitia arguisse, dein pace initâ ante hiemem in Angliam remeasse. III. Robertum de Bellismo, Guillelmum Moritolienſem Comitem nepotem eius, & quosdam alios aduersus Regis Henrici fautores bellum redintegrasse.

Corpus S. Cuthberti Episcopi cum capite S. Oswaldi Regis & Martyris, sanctíque Bedæ, multorúmque reliquiis incorruptum inuentum est præsente Alexandro Comite Eadgari Régis Scotorum fratre postea Rege, post annos depositionis eius inquit Rogerius, 418. menses 5. & dies 12. Hierosolymitæ Accaron vrbem capiunt, inquit Sigebertus; verùm Acconem seu Ptolemaïdam dicere debuerat, quam ope 70. nauium Genuensium in deditionem accepit circa diem 24. Maij, ex Willelmo Tyrio, qui rectè obseruat plurimos ex Europa subsidio Palæstinæ veniétes ab Alexio C P. Imp. Turcis fuisse ad internecionem proditos, nequicquam eius fraudes excusante Anna filia.

Anno Christi MCV. *Philippus Francorum Rex per Tetbaldum Ouidium missum suum à Paschale Papa litteras ad Archiepiscopos & Episcopos Galliæ impetrauit, quibus mandabat, vt Regem absoluerent, ac nominatim Lamberto Atrebatensi Præsuli. Qui à Rege accitus Parisios illum in conuentu aliquot Episcoporum, Abbatum, aliorúmque satis deuotè multúmque humiliter nudis pedibus excommunicationem emendantem, & peccato renunciantem absoluit, similiter & Bertradam die* 4. *Nonas Decembris, vt fidem faciunt Philippi ad Lambertum, & vicissim Lamberti ad Paschalem epistolæ, quas densis hactenus tenebris obrutas in Specimine Antiquarum Lectionum seu Nouæ MSS. Bibliothecæ pagg.* 30. 31. 32. *in lucem emisimus descriptas à P. Sirmondo ex codice Igniacensi, atque vnâ eadémque operâ offusam Historiæ Francicæ caliginem, & Blondelli paralogismos discussimus: Pauca hæc modò sufficiant ne actum agere videamur:* Audias tu Lamberte Episcope, qui hîc Apostolica vice fungeris: audiant Archiepiscopi, & præsentes Episcopi, quòd ego Philippus Rex Francorum peccatum, & consuetudinem carnalis & illicitæ copulæ, quam hactenus cum Bertrada exercui vlteriùs non exercebo: sed peccatum istud & flagitium penitus & sine omni retractatione abiuro. Cum eadem quoque fæminâ mutuum colloquium, & contubernium nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum non habebo. Hæc omnia, *&c. Baldricus Nouiomensis Episcopus, cuius extat Cameracense Chronicon, Tiletanam Ecclesiam donauit Canonicis Harlebeccanis ex capite* 125. *Notitiæ Ecclesiarum Belgicarum. Manasse Cameracensi Episcopo ad cœnobium digresso factus est Ep. Odo, qui prius fuerat Abbas monasterij sancti Martini Tornacensis, ex Sigeberto qui tria præmittit:* I. Hierosolymitas innumerabilem paganorum multitudinem glorioſa victoria contriuisse. II. Filium Imp. Henrici à patre auersum quosquos potuit ab eo auertisse, & sub obtentu meliorandæ reipublicæ, & restaurandæ Ecclesiæ in eum insurrexisse. III. Scriptam esse à Guarnero Anconitano Principe ad Henricum Imp. epistolam, quæ mendaciis scatet, sibíque videtur in pluribus contradicere. Cæterum de Northusiana Synodo ab Henrico filio collecta, quem Gebehardus Constantiensis Episc. iure Papæ absoluerat, de Moguntino Principum conuentu, in quo præsentibus summi Pontificis Legatis abdicatus fuit Henricus pater, eíque ablata insignia Imperij, filióque imposita, de effossis Guiberti

Antipapæ apud Rauennam ossibus, ac similibus, consule Chronicon Hildensh. Vrspergensem Abbatem, Othonem Frisingensem, Dodechinum, Willelmum Bibliothecarium, aliósque. *Raymundus S. Ægidij siue Tolosanus Comes in Oriente obiit in Castro Peregrinorum dum Tripolim obsideret, de quo Malmesburiensis, Guillelmus Tyrius, Gosridus Malaterra, Guibertus Nouigentinus, Ordericus, Anna Comnena, Guillelmus Neubrigensis, aliíque quos obiter citaui in Tabulis Genealogicis Ducum Comitumque Franciæ Parium. Henricus Anglorum Rex impiger in Neustriam vere transfretauit, & in vltima Quadragesimæ septimana portum Barbaflot applicuit, & sabbato Paschæ super vada Viræ in vico, qui Carantonus vocatur, hospitatus quieuit. Illuc Serlo Sagiensis Ep. aduenit, & de prædonibus Regi inimicis primùm conquestus, deinde in prolixiores virorum comas, quas nutrire muliebris gloria est, inuectus est. Hoc audito tum Rex eiusque proceres aliíque certatim attonsi sunt, peractáque Paschali festiuitate Rex Legatos Philippo Francorum Regi destinauit, & Gaufredum Martellum Comitem Andegauorum accersit. Hæc Ordericus, quibus ex Chronico Andegauensi, Rogerio, Roberto, aliísque adiungi potest Cadomum pecuniâ, Baiocas pluráque alia castra armis fuisse recepta: tum Regem Augusto mense in Angliam vela fecisse. De Iuonis Carnotensis epistola 180. ad Leodegarium Archiepiscopum Bituricensem, de Arnulfo Virzionensi, & non ducenda super eum Communiâ, dicemus aliàs.* De victoria Christianorum aduersus Calipham Ægypti ad Ascalonem die 27. Augusti in plenilunio, ciúsque classis tempestate disiectæ naufragio, adi Willelmum Tyrium, &c.

Anno Christi MCVI. *Philippi 47. in vltima Februarij hebdomada mirabilis Cometes in Hesperiæ partibus apparuit per tres septimanas serò rutilans, & longissimos crines in Eoas partes emittens. Mense Martio Buamundus Dux, sicut in carcere Dalimannij vouerat Domino, in Gallias venit, & apud Nobiliacum in pago Lemouicensi votum ad S. Leonardi Confessoris tumulum celebre compleuit, dein Galliarum vrbes peragrans vbique tam à Clero quàm à plebe venerabiliter susceptus est. Filium Diogenis Augusti, alióque de Græcis illustres secum habebat, quorum querela Francos magis aduersus Alexium Imp. incitabat. Multi nobiles ad eum veniebant, éique suos infantes offerebant, quos ipse de sacro fonte libenter suscipiebat, quibus etiam suum cognomen imponebat: Marcus quippe in baptismate nominatus est, sed à patre audita in conuiuio ioculari fabula de Buamundo gigante puero iu-*

cundè impositum. Idem colloquio cum Rege Philippo habito Constantiam eius filiam, quæ iam Hugoni Trecassino Comiti nupserat, post Pascha Carnoti desponsauit, Adelâ Comitissâ conuiuium abundans omnibus præparante. Plura de eo idem Ordericus cum Malmesburiensi, ac similibus, ex quibus etiam discimus Cæciliam eiusdem Philippi ex Bertrada filiam Tancredo Principi Buamundi nepoti fuisse desponsam. Septimo Kal. Iunij Pictauis Concilium fuit, in quo interfuit is, qui supra Dux Buamundus, quem Bruno ex Signiensi Episcopo Monachus, S.R.E. Legatus adduxit, & tenuit Concilium, viámque sancti Sepulcri confirmauit, vt testatur Chronicon Malleacense, eóque referendum Concilium illud incerti loci, de quo Petrus Diaconus lib. 4. cap. 33. Chronici Cassinatis. De eodem Brunone Iuo Carnotenus epistolis 190. & seq. & Sugerius in vita Ludouici Crassi: Adstitit etiam ibidem Romanæ Sedis Legatus domnus Bruno Signinus Episcopus à domno Paschali Papa ad inuitandam, & confortandam S. Sepulcri viam Boamundum comitatus, vnde plenum & celebre Pictauis tenuit Concilium, cui nos interfuimus, &c. De Concilio apud Guastallam à Paschale Papa in Gallia Cisalpina celebrato, & de nati Antichristi sparsis rumoribus, ex Vrspergensi, aliisque vide Baronium & Caluisij similiúmque nugatorum de Papâ Antichristo veterem cantilenam cum bonis omnibus procul abiice. *Gaufredus Martellus Andegauorum Comes iunior, dum Condatum castrum obsideret, ad colloquium euocatus, sagitta vulneratus interiit die 14. Kal. Iunij, & in Ecclesia S. Nicolai sepultus. Philippus Rex 6. Idus Octobris cum Bertrada venit Andegauos, & à Fulcone Comite cum maximo honore ac reuerentia susceptus est, ex Chartulario S. Nicolai, & Andegauensibus Chronicis. Malleacense docet bellum inter dictum Fulconem ac Vvillelmum Pictauorum Ducem ab eodem Philippo Rege fuisse compressum. Causam huius fuisse volunt, quòd Fulconem iuniorem, cui Rex donauerat Andegauensem Comitatum, Vvillelmus in vinculis detineret, vt pluribus Besly us. De Victoria Henrici Regis Anglorum ad Tenchebraium castrum aduersus Robertum Ducem Normanniæ fratrem suum, quem cepit cum Vvillelmo Comite Moritolienſi, pluribúsque aliis, quam quidam in sequentem annum differunt, vide Ordericum, Malmesb Henr. Rogerium, Robertum*, &c. qui de S. Anselmo in Angliam reduce, de Edgari in Scotiæ regno successore Alexandro fratre, de Boamundi aduersus Alexium parum prospera expeditione, ac similibus multa interserunt, quæ omittere cogor, vt in Germaniam stilum conuertam, atque infeli-

cis Henrici Imp. obitum paucis pro more attingam. Is ex Ingelenheimensi palatio cum paucis fugiens Coloniam venit, mox Leodium, ab Episcopo receptus, vbi ad diuersos scribit, & si quæ Sigeberto fides, ad Philippum Francorum Regem epistolam illam, quæ in eius Chronico excusa est. Henricus filius cognomento Carolus, Aquisgrani venit, missísque, qui patrem Leodij oppugnarent, quinta feria Dominicæ cœnæ ad pontem Mosæ impositum pugna commissa filio parum felix. Verùm patre sub initia mensis Augusti in eadem vrbe defuncto (alij Kalendas, alij diem 9. alij accuratiùs septimum diem tertiámque feriam adsignant) Imperium capessiuit filius. Sepultum in S. Lamberti templo Imperatoris corpus mox iussu Papæ ad Montem Cornelij translatum, & deinde Spiram ob excommunicationem Ecclesiastica sepultura caruit per quinquennium. Plura de his Otho, Dodechinus, Chronicon Hildensheimense, Vrspergensis, aliíque Germanicæ Historiæ scriptores. *Dux Lemburgensis Henricus qui ab Imp. ad filium transiens eum contra patrem suum consilio suo armauerat, & à filio ad patrem rediens partes filij debellauerat, Imperatore mortuo, se vt reum maiestatis filio tradidit, eiúsque iussu custodiæ traditus de ea per industriam suam euasit. Ducatus eius siue Præfectura Inferioris Lotharingiæ data est Godefrido Barbato Comiti Louanienſi, vt testantur Sigebertus, Chronicon Hildensheimense, &c. Lambertus Episcopus Atrebatensis confirmat possessiones Lensensis Collegij Canonicorum, petentibus tum Ida matre Godefridi, & Balduini Regum Hierosolymitanorum, tum eorum fratre Eustachio Bolonienſium, & Lensensium Comite, eiúsque vxore Maria, ex Notitiæ cap. 125. Ad hunc vel seq. annum refertur obitus Manassæ Remensis Archiepiscopi die 14. Kal. Februarij, eiúsque sepultura in æde sancti Dionysij, cùm sedisset annis 22. Paschalis Papa Richardum Virdunensem Episcopum Archiepiscopatu donasse dicitur, verùm eo recusante libcráque Canonicis Remensibus eligendi Antistitem relictâ facultate, electus est Radulfus Viridis Ecclesiæ Remensis Thesaurarius, ad quem scripta extat S. Brunonis Cartusianorùm Institutoris epistola; Quia verò Regis consensus nec postulatus fuerat nec impetratus, Geruasius quidam sedem Remensem inuasit, cùi Papa sacris interdixit, ciuibúsque Remensibus qui ei fauerant, quæ ideò fusiùs explicare volui quòd Ludouici Regis inaugurationem post biennium celebrandam aliqua luce perfundant.* Alfonsus Castellæ Rex diem claudit extremum, nulla prole mascula re-

lictâ, quamobrem regnum iure hæreditario deuolutum ad Vrracam eius filiam, post obitum Raymundi Burgundici, ex quo priori matrimonio filium habebat Alfonsum nomine, Alfonso Aragoniæ Regi connubio copulatam. Sed de his consulesis Rodericum, Marianam, similésque. Nam Pelagius Ouetensis pag. 77. in biennium differt. Ipse glorioſus Rex, inquit, vixit 70. annis, & annis 43. & sex mensibus in regno. Obiit Kal. Iulij in Toleto Æra 1147. quinta feria illucescente, &c. de pace pactísque inter Aragonios, & Castellanos iidem plura.

Anno Christi MCVII. *Philippi* 48. *Bernardus, Abbas olim S. Cypriani apud Pictauenses, cœnobium suum in Pertico ædificare cœpit in loco, qui vocatur Tironium, in honore S. Mariæ vbi plus centum Monachorum insimul habuit, ex Chronico Malleacensi, & Gaufredo Monacho in eiusdem Bernardi vita. Paschalis Papa Alpes transgressus, Cluniacum, Caritatem ad Ligerim cuius Ecclesiam 7. Idus Martij dedicauit, Turonos, Carnutum, Parisios, & Dionysiopolim lustrat, Philippo Rege cum filio Ludouico obuiam in occursum progressis. Catalauni ad Matronam colloquitur cum Henrici Caroli Legatis, tum circa festum Ascensionis Christi Trecis in Campania Concilium celebrat, vbi inter cætera, quæ pro tempore & necessitate correxit, sententiam de libera Pastorum electione, de coërcenda Laicorum in Ecclesiasticas dignitates præsumptione iuxta prædecessorum suorum decreta promulgauit, ex Chronico Conradi Lithenauij Abbatis Vrspergensis. Addunt Chronica Senonense, & Malleacense decretum fuisse de Hierosolymitano itinere, ac de Treuia Dei, & vt per nullam guerram incendia domorum fierent, nec oues, aut agni raperentur: de Floriacensi, in quo leuatum volunt præsente Philippo Rege impositúmque feretro auro & gemmis mirificè fabricato corpus S. Benedicti, ac de Ansano præside Ioanne Lugdunensi Archiepiscopo Iuo Carnotensis epistolis 218. & 228. & Robertus S. Mariani Monachus in Chron. Antissiodorensi. Inde verò colligas Baronium, Spondanum, similésque grauiter aberrasse, qui mortem Philippi Franciæ Regis, coronationem Ludouici, querelas Remensium, & Geruasio electo Radulfi restitutionem anno præcedenti collocant, cùm pluribus argumentis liqueat omnia hæc in seq. an fuisse differenda.* Reuersus in Angliam Henricus Rex captum superiore anno Robertum fratrem perpetuo carceri mancipauit, sanctóque Anselmo Cantuariæ Archiepiscopo in manum remisit inuestituras, de quibus acris fuerat controuersia pluribus

annis agitata ex Edinero, Malmesburiensi, Rogerio, aliísque. *Hildebertus Cenomanensis Ep. ab eodem Henrico multis vexatus molestiis Episcopatui renuntiare voluit, nequicquam probante Paschale Papa, vt ex ipsius atque Iuonis epistolis Lector curiosus discere poterit, ne ad singula quæque descendere velle videar. Henricus Lemburgensis, Ex-Dux Sigeberto dictus, affectans repetere Ducatum Inferioris Lotharingiæ Aquasgrani occupauit contra Godefridum Ducem, qui tantam non ferens iniuriam idem oppidum paulò pòst irrupit, oppidanos ab eius fauore exterruit, multósque nobiles cepit, Henrico cum filiis fugâ vix elapso. Idem Auctor in an. seq. differt expeditionem Henrici V. Imperatoris aduersus Robertum Flandrensem, pacémque vtrimque magis simulatam quàm compositam, quæ Dodechinus huicce anno illigat, docétque Henricum Flandriam cum valida manu intrasse, ferro & igne cuncta deuastasse, Rupertum Comitem cum omni populo subiugasse: quæ si vera sunt à Belgicis scriptoribus dissimulata oportet.* Reuersus Boamundus de Galliis in Apuliam vastare cœpit ditiones Alexij Imp. CP. & transmisso freto Dyrrachium obsedit, Græcorum copias bis fregit fudítque, vt testatur Anonymus Floriacensis in Fragmento Historiæ Francicæ edito pag. 94. & seq. Tomi IV. Collectionis Duchesnianæ vbi etiam pacta cum Alexio memorantur, cum Guidonis Boamundi fratris obitu. Ebremaro abdicato Patriarchatum Hierosolymorum obtinet Gibelinus, cuius literas de eâ re ad suos Arelatenses refert Baronius, aliáque plura recenset ex Willelmo Tyrio.

Anno Christi MCVIII. *Philippus Francorum Rex apud Milidunum castrum super fluuium Sequanæ præsente Ludouico filio extremum diem clausit die 29. Iulij feria quarta, vt adscriptus sepulchro character docet, cùm regnasset à morte patris Henrici ferè annis 48. & ab inauguratione Remis factâ 49. cum aliquot mensibus. Huius corpus lecticâ deportatum ad nobile monasterium Beati Benedicti Floriacensis super Ligerim fluuium, quoniam ibidem se deuouerat, inquit Auctor Appendicis ad Aimoinum lib. 5. cap. 49. ante altare honorificè sepultum est.*

Ludouicus Crassus.

LVDOVICVS *eius filius cognomento Crassus siue Grossus ob corporis molem, qui ab adolescentia Ecclesiæ amicitiam liberali defensione promeruerat, & orphanorum causam sustentauerat, tyrannis potenti virtute perdomitis, Aurelianos venit, & à Daimberto Senonensi Metropolitano cum Comprouincialibus Episcopis Vvalone Parisiensi, Manasse Meldensi, Ioanne Aurelianensi, Iuone Carnotensi, Hugone Niuernensi, Hymbaldo Antissiodorensi inunctus, & coronatus est Dominica*

die 2. mensis Augusti inchoata iam festiuitate Inuentionis sancti Protomartyris Stephani. Plura in eadem Appendice, & apud Sugerium Abbatem in vitâ Ludouici, Ordericum pag. 386. aliósque συγχρόνους Scriptores leges de contentione Remensium ac similibus, quæ Iuo Carnotensis Episcopus eruditè ac copiosè tractauit epistola 70. Radulfus Viridus Archiep. Remensis Aurelianos proficisci iussus cum Rege rediit in gratiam eiusdem Iuonis interuentu, cuius non omittenda ep. 206. ad Paschalem Papam. Guillelmus Archiepiscopus Rotomagi congregauit Concilium Præsulum & Abbatum, & de necessariis Ecclesiæ rebus cum Suffraganeis suis per aliquot dies tractauit. Tunc Radulfus Constantiæ Ep. ad hospitium Serlonis Sagiensis Episcopi venit, & cum eo de plurimis locutus copiosam rationem de propositis audiuit. Inter cætera retulit de Ecclesia B. Petri in ciuitate sua & miraculis, quæ in ea fiebant, ex Orderico lib. 8. pag. 700. Henricus anno regni sui Anglici 8. cùm decessisset, Philippus Francorum Rex transit in Normanniam contra Ludouicum filium Philippi Regem nouum Franciæ guerram promouens maximam, inquit Henricus Huntindonienſis lib. 7. Ex Chronico Senonensi idem constat: cuius hæc sunt verba: Barcinonensis Comes & Proceres reclamauerunt aduocationem Regis Ludouici, & miserunt ad eum causidicos suos, Episcopum scilicet ipsius ciuitatis cum paucis nunciis, qui querimoniam suorum ciuium, & compatriotarum ipsi Franciæ Regi referentes inuenerunt eum variis militiæ bellis implicitum, scilicet versus Regem Anglorum Ducem Normanniæ, qui contra ius & fas denegabat facere hominium, quod debebat Regibus Francorum. Similiter & Consul Pictauorum, & Dux Burgundionum, & multi alij Consules, qui sunt sub Rege Francorum, cum quibus omnibus pro instanti necessitate pacem fecit supradictus Rex, quibusdam indutias & treuuas dando, de quibusdam hominium debitum accipiendo; vnde confidens plurimùm Rex spopondit Legatis prædictis se vere præparaturum ad ferendum illi patriæ auxilium, &c. quæ annum seq. omnino designant. Cæteras Ludouici Crassi res præclarè gestas aduersus vicinos Lutetiæ Parisiorum Proceres, Guidonem Rubeum de Rupeforti, cuius filiam Lucianam sibi antea desponsam ob consanguinitatem consilio Paschalis Papæ abiecerat, donaratque Guiscardo de Belloioco, Matthæum Comitem de Bellomonte, cæterósque, quia in singulos annos distributæ non sunt, omittere cogor, & Lectorem ad Sugerium vel Ordericum amandare.

Anno Christi MCIX. *Ludouici Crassi primo Hugo Abbas nobilis Cluniacensis obiit 3. Kal. Maij, ætatis 84. ordinationis suæ 60. in-*

quit

inquit Auctor Chronici Malleacenſis, ſuccedente Pontio qui fuit filius Comitis Melguliæ ad annos 12. *Obiit quoque ſanctus Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus* 11. *Kalendas Maij feria quarta ante Cœnam Domini, cuius ſcripta recenſent Robertus Montenſis, aliíque: ſucceſſit ei Radulfus Roffenſis Epiſcopus Abbas ſancti Sagij. Addit Ordericus Vitalis Gerualium Retonenſem, & Guillelmum Cormelienſem Abbates, & cladem igniferam in Aurelianenſi, & Carnotenſi prouinciis maximè ſæuiiſſe affirmat.* Extremum quoque diem clauſiſſe ferunt non ſolum Alfonſum VI. Caſtellanum Regem Ferdinandi I. & Sanciæ filium Kalend. Iulij, de quo iam ſupra diximus, ſuccedente Alfonſo VIII. ex Vrraca & priore eius marito Raymundo Burgundione Iurano nepote, *ſed etiam Fulconem Rechinum Comitem Andegauenſ. die* 18. *Kal. Maij, ſeu* 14. *Aprilis, ſuccedente filio eius ex Bertrada Fulcone iuniore, qui caſtrum Inſulæ ac Doatum cepiſſe dicitur. Vide Chronica Andegauenſia, Geſta Ambazienſium Dominorum, Ordericum pag.* 549. *aliósque paſſim. Sigebertus narrat I. in parochia Legienſi porcam enixam fuiſſe porcellum habentem faciem hominis. II. Natum etiam fuiſſe pullum gallina quadrupedem.* III. Henricum Germanorum Regem contra Hungaros profectum facto pacto rediiſſe, quam expeditionem à Zuatoplocho Principe Bohemorum ſuſceptam pluribus ediſſerit Coſmas Pragenſis. IV. Multos ſacro igne accenſos membris inſtar carbonum nigreſcentibus. *Synodus apud Trenortium indicta eſt pro controuerſia inter Canonicos ſancti Ioannis, & ſancti Stephani Veſontionenſis, præſidente Guidone Archiepiſcopo Viennenſi Apoſtolicæ Sedis Legato, cum Gauceranno Lugdunenſi, Hugone Gratianopolitano, Leodegario Viuarienſi, aliíſque ſex Epiſcopis, & Pontio Abbate Cluniacenſi. Leodegarius Bituricenſis Archiepiſcopus, & Guillelmus Aruernorum Comes Romam adierunt, atque Amadeus II. Humberto II. patri ſuo ſucceſſit in Maurienna Comitatum, quem Intermontium quidam vocant. Bertrandus Raymundi Toloſani Comitis filius Tripolim obſeſſam deditione capit die* 10. *Iunij, eámque Comitatus nomine à Balduino Hieroſolymorum Rege ſibi commiſſam accipit, vt pluribus Vvillelmus Tyrius.* De miſſis ab Henrico Imp. Legatis ad Henricum Regem Angliæ filiam eius Mathildem in coniugium domini ſui poſtulantibus, vide Huntindonienſem alióſque, *& de ſancto Godefredo Ambianenſium Præſule aduerſus Monachos non ſancti Vdalrici, vt apud Baronium ac Spondanum legitur, ſed ſancti Valerici ad*

Somonæ ostia, tum in Remensi Synodo, tum apud Paschalem Papam Romæ expostulante, vitam eius apud Surium octaua Nouembris.

Anno Christi MCX. *Ludouici Crassi* 2. *Helias Comes Cenomanensis vir ingenio & audacia magnus obut* 5. *Idus Iulij, eique successit gener Fulco, Comes Andegauensis, cuius vxor hoc anno peperit Gaufridum Planta-genestam postea dictum, qui Mathildem Augustam Henrici Regis Angliæ filiam duxit. Vide Chronica Andegauensia Tomo I. Nouæ Bibliothecæ, & Henricum Huntindonienſem. Guerra inter Vvillelmum Comitem Pictauorum, & Hugonem Brunum dominum Leziniaci cœpit, quæ diu durauit, ex Chronico Malleacensi, quod Lunæ Eclipseos, Cometæ, mortalitatis etiam ac famis, & epistolæ meminit, quam ferunt descendisse in Ierusalem de cælo, de die Dominico & obseruatione eius. Guillelmus Archiepiscopus Rotomagensis, cùm sedisset annis* 32. *obiit in bona senectute* 5. *Idus Februarij labente Indictione* 3. *atque in Capitulo Canonicorum, quod construxerat, tumulatus est, inquit Ordericus Vitalis pag.* 839. *S. Guibertus Gemblacensis cœnobij fundator assensu Frederici Archiepiscopi Colonien sis ab Oberto Leodiensi Ep. eleuatus est* 9. *Kalendas Octobrus, ex Sigeberti Chronico. Richardus Albanensis Ep. S. R. E. Legatus post Concilium Tolosæ in feriis Pentecostes celebratum, aliud Kalend. Octobris coëgit apud Floriacense S. Benedicti cœnobium, cui interfuerunt Archiepiscopi Senonensis, Turonensis, & Bituricensis cum Episcopis, & Abbatibus suis aduersus eos, qui calumniam faciebant Abbatibus S. Petri Viui, & S. Sauiniani de ordinatione, & mutatione Decani vel Prioris Monasterij Mauriaci in Aruernis. Addit Chronicon Senonense inde abeuntem Petrum in ipso itinere ægrotare cœpisse, & peruenientem vsque ad sedem Episcopatus sui obiisse, ac sepultum fuisse in eadem Ecclesia. Meminit quoque eiusdem Floriacensis Concilij Iuo Carnotensis Ep.* 218. *Valentianis in Hannonia Canonici S. Ioannis regularem amplectuntur vitam. Guigo iunior hoc tempore sibi suisque Delphinorum Viennensium nomen indidisse dicitur.* Leo Marsicanus Episcopus Ostiensis Cassinatis Chronici auctor moritur. Matildis adhuc quinquennis ab Henrico Anglorum Rege patre suo tradita est Burcardo Præsuli Cameracensium, aliisque Legatis, qui eam ad Henricum Imp. in Germaniam deduxerunt, comitantibus quibusdam Normannis, quos paulò pòst datis muneribus ad propria remisit: atque ex Germania discedēs sub Autumnum in Italiam venit præmissâ ad Paschalem Papam Legatione, &

Natale Domini Florentiæ celebrauit, vt pluribus Auctor Chronici Hildensheimensis, Domnizo in vita Matildis, & Petrus Diaconus lib. 4. capp. 37. 38. & 39. quos cum Sigonio ac Baronio per otium consules. Berytus post obsidionem dierum 75. à Balduino Rege, Tancredo Comite, aliisque ope Ianuensium capta est exeunte Aprili, tum auxilio Noruegiensium Peregrinorum Sidon deditionem eidem Regi facere coacta est die 19. Decembris. Idem quoq; Rex dotem obtulit Bethleemicæ Ecclesiæ, quam Episcopali titulo ornauit hoc anno Pontifex per Legatum suum, vt pluribus Tyrius, aliique Sacræ Historiæ Scriptores nominatissimi.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MCXI. *Ludouici Crassi 3. Andreas quidam Canonicus sancti Petri Pictauensis reuertens de Ierusalem obiit in territorio Astensis ciuitatis, ad cuius tumulum multa miracula fiunt, inquit Auctor Chronici Malleacensis, vbi additur Andegauinos fuisse in exercitu Castello Campolinario. Goiffredus Brito Cenomannorum Decanus ab Henrico Rege accitus in Angliam Rotomagensibus Pontifex constitutus est, teste Orderico Vitali, eique per 17. annos vtiliter præfuit. Ludouicus Francorum Rex supra Tetbaldum Campaniæ Comitem irruens in pagum Meldensem, inquit idem Auctor, cum aliis nobilibus Robertum Flandrensem Satrapam secum habuit. Tunc ibidem à Consulari familia fortè impetitus est, & maiori virorum copia præualente in fugam versus, in qua Flandrensis Marchisus in arcto tramite cecidit, & ferratis equorum vngulis conculcatus resurgere nequiuit; sed membris malè confractis difficulter sublatus paullò post expirauit, 4. Decembris diem alij assignant, eiúsque corpus à Morinis cum magno luctu delatum in Atrebatensem vrbem, quam ipse paullò ante contra Henricum Imp. muniuerat, insigníque ex albo lapide muro vndíque cinxerat, in Ecclesia S. Vedasti Præsulis, quam Theodoricus Rex pro iniusta interfectione S. Leodegarij Eduorum Pontificis pœnitens olim fundauerat. Successit Balduinus VII. filius eius, Securicula dictus, (non Securus, vt editum est in Chronico Caluisij) cum Clementia matre, &c. Hæc & plura ille, vt omittam Robertum Montensem, Iperium, Meyerum, similésque recentiores. Sub hæc tempora Tanchelinus quidam Sacramentariam suam hæresim apud Belgas spargere cœpit, & Rupertus Tuitiensis postea Abbas tum Leodici ad S. Laurentium Monachus scripsit hoc anno libros de diuinis Officiis ad Cunonem ex Abbate Sigebergensi Ep. Ratisponensem, in quorum 8. c. 4.*

refert hoc anno factum miraculum in eodem monasterio ipso sancto Paschæ sabbato, quod breuitatis studio omitto. Buamundus Antiochenus Princeps Aprili mense obiit, sepultúsque est Canusiæ in Apuliâ in Ecclesia S. Sabini, vt ex Petro Diacono, Romualdo Salernitano Ep. Willelmo Tyrio, aliísque constat: Successit filius Boamundus II. à patria virtute degener. Balduinus Rex Hierosolymitanus Tyrum per quatuor menses obsidet infelici successu, vt idem Tyrius refert. Quod ad res Romanas huius anni attinet, plura exhibent Baronius, Bellarminus, Gretserus, aliíque ex Petro Diacono Cassinensi, ex Actis vitæ Paschalis, Gotfrido Viterbiensi, Willelmo Malmesburiensi libro 5. Hist. Anglicæ, vbi Dauidem quemdam Scotum Bancornensem Ep. (ex quo arbitror hausisse Abbatem Vrspergensem, quod nondum obseruatum ab aliis video) redarguit, quòd iter illud in Regis gratiam magis quàm Historiam deceret, accliuus exposuerit, Iuone ep. 235. 236. & 239. quas multis collectis veterum monumentis illustrauit Franciscus Iuretus, Ottone Frisingensi, Vrspergensi, Chronico Hildensheimensi, Roberto Monensi, Sigeberto qui multa falsa veris immiscuit, *&c.* nos pauca pro more tantùm libabimus. Henricus pridie Idus Februarij die Dominica ante Caput Ieiunij Romam solenni pompâ ingressus est, cúmque eum Papa coronare nollet Imperatorem, nisi ex pactis conuentis, inuestituras Ecclesiarum per annulum & virgam abiuraret, ipse Papam cum Cardinalibus, & magna Clericorum ac ciuium Romanorum multitudine captum sub militari custodia detinuit in quodam castro in Sabinis per dies 61. quibus elapsis vi adactus Pontifex ex consilio Cardinalium, qui cum eo detinebantur, priuilegium eidem Henrico concessit post lectum Euangelium ante altare Apostolorum Petri & Pauli, vt regni sui Episcopis, & Abbatibus liberè ac præter violentiam & simoniam electis, inuestituras conferret per annulum & virgam, die 9. Aprilis Dominica in Albis; cúmque in Imperatorem Romanorum coronauit, atque ad corroborandam initam pacem, partem hostiæ consecratæ ipse sumens, alteram Imp. tradidit his verbis: *Domine Imperator hoc Corpus Domini natum ex Maria Virgine, passum in Cruce pro nobis, sicut sancta & Catholica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmationem veræ pacis, & concordiæ inter me, & tc. Datum est V. Idus Aprilis*

(sic enim legendum apud Malmesburiensem, Sigebertum, aliósque) *Indictione IV.* De Conradi Saltzburgensis Archiepiscopi in defendendis aduersus Imp. Ecclesiæ iuribus constantia plura Otho Frisingensis lib. 7. cap. 14. & Auctor Actorum sancti Gebehardi eiusdem Ecclesiæ Præsulis. Cardinales nonnulli Ioanne Tusculano Episcopo duce, cùm Pontifex in Campaniam abiisset, firmatis, quæ contra Laïcorum inuestituras à Gregorio VII. aliisque sancita fuerant, decreuere nullius esse ponderis, quæ à Paschale acta fuerant. Eadem quoque improbata sunt à Brunone Signino Abbate Cassinensi, Guidone Arch. Viennensi, Gerardo Engolismensi Ep. Apostolicæ Sedis Legatis, Ioanne Arch. Lugdunensi aliisque, excusante factum Iuone Carnotensi epistolis 235. & sequenti. Sed de his pro instituta breuitate plus satis.

Anno Christi MCXII. *Ludouici Crassi 4. Exercitus de Brachisaco, vel Braccosacco in Chronicis Andegauensibus celebratur. Gualdricus Episcopus Laudunensis à seditiosis ciuibus ad arma concurrentibus gladio confossus interiit feria 5. Hebdomadæ Paschalis 7. Kal. Maij, in Litania Maiori seu festo B. Marci & domus Episcopalis cum Ecclesia S. Mariæ Cathedrali, & Ecclesia S. Ioannis Baptistæ in Abbatia Monialium concrematur. In auctores seditionis à Rege seuerè vindicatum inquit Sigebertus in Chronico, quod ad hunc vsque annum perduxit, obseruauitque præterea. I. Laudunensem eamdem Ecclesiam sanctæ Dei Genitricis priùs violatam fuisse proditione, & homicidio Girardi domini Carisiacensis, quem in oratione positum ante sacram Christi Imaginem homines ipsius Episcopi facta coniuratione occiderant. II. In monte Castri loco Ecclesiam S. Valdetrudis cum toto penè oppido Montensi deflagrasse. III. Ecclesiam S. Michaëlis de periculo maris fulgure combustam cum ædificiis appendentibus. IV. Grauem hominum valetudinem cum profluuio ventris & mortalitate extitisse. Verùm de turbis illis Laudunensibus plura dabunt Guibertus Abbas Nouigentinus, & Hermannus Monachus lib. 1. de Miraculis B. Mariæ Laudunensis. Cæterum Sigebertum Gemblacensis cœnobij in diœcesi Leodiensi tum S. Vincentij Metensis Monachum, virum, vt aiunt, in omni scientia literarum incomparabilis ingenij tertio Nonas Octobris huius anni obiisse multi existimant, aliis in annum sequentem differentibus. Chronicon eius Anselmus Abbas Gemblacensis, Robertus de Torinneio Abbas S. Michaëlis de Monte, Guillelmus Nangius, aliique ad sua vsque tempora continuarunt. Baldericus Euerardo Tornacensi Ca-

ſtellano natus Nouiomenſis Epiſcopus obiit pridie Kal. Iunij. Giſlebertus ſenex Ebroicenſis Ep. cùm ſediſſet annis 34. obiit 4. Kal. Sept. eique an. ſeq. ſucceſſit Auduinus Baiocenſis Henrici Regis Capellanus, teſte Orderico. Radulfus ſenex filius Radulfi-Theobaldi octauus Dolenſis dominus obiit, ex Chronico Dolenſis Abbatiæ. Henricus Roberti Ducis Burgundiæ nepos, qui ducta Tereſia Alfonſi Caſtellæ Regis filia victiſque ſæpè Saracenis primus Luſitaniæ Comes extitit, ad ſuperos hoc anno abiiſſe perhibetur, relicto filio Alfonſo, quem poſtea monebimus primum fuiſſe regio nomine coronáque decoratum. Tancredi quoque Antiocheni Principis mors menſe Decembri contigiſſe dicitur, cuius principatum Rogerius Richardi filius ei propinquus, Cæciliam verò eius vxorem Pontius filius Bertrandi Comitis Tripolitani obtinuit, de quibus inter cæteros conſule Tyrium, & Stemmata Principum Palæſtinæ, quæ Tomo I. Epitomes Hiſtoriæ ſacræ & Profanæ aliàs edidimus. Dauid Alexandri Scotorum Regis frater Mathildem propinquam ſuam Voldroſo Northumbriæ Comite & Iuditha Guillelmi Conquæſtoris nepte natam duxit vxorem Hundintoniæ, & Northumbriæ in Anglia hæredem, teſtibus Buchanano, Leſlæo, *&c.* Romæ Concilium celebratum eſt Lateranis in baſilica Conſtantiniana 15. Kal. Aprilis, in quo poſt factam coram omnibus à Paſchale Papa profeſſionem Catholicæ fidei *Girardus Engoliſmenſis Ep.* in Aquitania Legatus priuilegij de Inueſtituris reuocationem legit, probantibus & conſentientibus pluribus Epiſcopis, in quibus cum *Viennenſi Archiepiſcopo numeratur Galo Leonenſis Legatus pro Bituricenſi.* Sed de eo conſulendos moneo Malmeſburienſem, Petrum Diaconum, qui nonnulla addit de miſſa ab Alexio Imp. CP. ad Romanos legatione, Gotefridum Viterbienſem, Conradum Vrſpergenſem Abbatem, aliorum, qui præceſſerant, merum in pleriſque exſcriptorem, & ex iis aliiſque Baronium, Binium, ſimileſque. *De Concilio Viennenſi die 17. Kal. Octobris celebrato præſide Guidone Archiepiſcopo, qui poſtea ad thronum Pontificalem euectus dictus eſt Calliſtus II. præter ipſa eius acta in epiſtola Guidonis ad Paſchalem recenſita, videndi Nicolaus in vita ſancti Godefredi Ambianenſis Ep. & Guigo V. Cartuſiæ Prior in vita S. Hugonis Gratianopolitani Antiſtitis.* Eiuſdem quoque anni Kalendis Nouembribus ex Nicolao Aragonio in Vita Paſchalis memoratur Concilium

apud Guardaſtallum villam Langobardiæ ad ripam Padi fluminis, in quo Æmilia tota cum ſuis vrbibus Placentia, Parma, Regio, Mutinâ, & Bononiâ à Rauennati Metropoli fuit exempta. *De Stampenſi menſe Decembri coacto Iuo Carn. ep. 131.*

Anno Chriſti MCXIII. *Ludouici Craſſi 5. Lietardo Gemblacenſi Abbati pridie Nonas Februarij defuncto ſucceſſit Anſelmus, qui in Appendice Chronici Sigeberti tradit Prumienſe monaſterium cum officinis arſiſſe feria 3. Hebdomadæ Paſchalis 6. Idus Aprileis, tum ſubdit in pago Bragbatenſi 9. Kal. Maij, circa Tornacum tantam niuem cecidiſſe, vt ſiluas fregerit, & Iunio menſe apud Rauennam & Parmam ſanguinem pluiſſe. S. Bernardus annos natus 22. Ciſtercium ingreſſus eſt cum ſociis ampliùs, quàm 30. ſub Abbate Stephano, qui ſucceſſerat Alberico. Firmitas ſuper Gronam prima, vt aiunt, Ciſtercienſis ordinis filia, fundata eſt in diœceſi Cabilonenſi. 2. Pontiniacum in diœceſi Antiſſiodorenſi anno 1114. dein 3. Claræuallis, & Morimundus 4. in diœceſi Lingonenſi anno 1115. ex quibus aliæ innumeræ diuerſis locis, diuerſis ſunt temporibus propagatæ, inquit Robertus S. Mariani in Chronico Antiſſiodorenſi, & alij multi. In archiuis Cœnobij S. Victoris ad Muros Pariſienſes ſeruatur Inſtrumentum Fundationis cum ſigillo Regis Membranis veteri more impreſſo. Huius tenor ferè integer habetur in libro Antiquitatum Pariſienſium R. P. Iacobi Breulij O. B. præter ſubſcriptiones, quas hîc repono: S. Ludouici Regis. S. Damberti Senonenſis Archiepiſcopi. S. Rodulfi Remorum Archiepiſcopi. S. Liſiardi Sueſſionenſis Ep. S. Iuonis Carnotenſis Ep. S. Gualonis Pariſienſis Ep. S. Manaſſe Meldenſis Ep. S. Ioannis Aurelianenſis Ep. S. Godefridi Ambianenſis Ep. S. Humbaudi Antiſſiodorenſis Ep. S. Philippi Trecenſis Epiſcopi. S. Humberti Siluanectenſis Ep. Actum Catalauni in Palatio publicè anno Incarnationis Dominicæ* MCXIII. *anno regni noſtri quinto. Data per manum Domni Stephani Cancellarij. S. Anſelli tunc temporis Dapiferi noſtri. S. Hugonis Conſtabularij. S. Vvidonis Camerarij. S. Gilleberti Buticularij. Obiit Iarento Abbas S. Benigni Diuionenſis, ex Chronico breui eiuſdem cœnobij ad Cyclos Paſchales pag. 294. Nouæ Bibliothecæ, & pag. 659. vbi eius exhibetur elogium.* Otto Habſpurgi Comes filius Wernheri I. & Regelindis occiſus eſt 8. Nouembris, vt docent Acta Murenſia; *Gaufridus verò Comes 9. Kal. Sept. natus ex Chronico Andegauenſi pag. 277. N. B.* Paſchalis Papa Beneuenti celebrauit Synodum teſte Petro Diacono: Henricus verò Imperator Erfurti comitia peregit, & Saxones rebellantes deuicit. Henricus Angliæ

Rex Wallenſes ſibi ſubiicit, & perenni carceri Robertum de Belliſmo captum mancipat, ex Roberto, Henrico, Rogerio, & Orderico, quide eo pluribúſque aliis multa memoria dignißima poſteritati tranſmiſit, *de carta Viceníi, de Fulcone Comite Andegauenſi qui gener & hæres Heliæ Cenomannorum Comitis inſtinctu Amalrici de Monteforti damna Henrico inferre ſatagebat, de Tetbaldo Comite Bleſenſi aduerſus Ludouicum Regem ſæpè velitante, de Alencionis obſidione, de pace cum Andegauenſibus inita, & colloquio cum Rege Francorum Giſortij habito, de expugnato Belliſmo die Inuentionis ſanctæ Crucis*, &c. Rex Hieroſolymorum Balduinus viuente adhuc priore coniuge conſilio Arnulfi nefarij Patriarchæ vxorem ducit Adelaidem Rogerij Siculi, qui Roberti Guiſcardi frater fuit, viduam, vnde res Chriſtianorum in deterius labi cæperunt. Idem ſanè Rex menſe Auguſto cum Turcis pugnans multos ſuorum amiſit miſerabili fuga liberatus. Aſcalonitæ Hieroſolyma obſident, partem Eccleſiæ ſancti Stephani extra ciuitatem ſitæ diruunt, cœnobium Monachorum in monte ſitum funditus euertunt, iiſque interfectis omnia ſibi diripiunt, ex Tyrio, Roberto Montenſi, Anſelmo Gembl. Petro Cluniacenſi, *&c.*

Anno Chriſti MCXIV. *Ludouici Craſſi* 6. *cæpit excommunicatio ſuper Guillelmum Ducem Aquitaniæ, quòd Petrum Epiſcopum Pictauenſem in carcerem detruſiſſet. Addit Chronicon Malleacenſe. I. Obiiſſe Petrum primum Abbatem Fontis-Gombaudi morbo herpeta. II. Cœnobium S. Launomari Blæſis igne conſumptum fuiſſe. III. Cuidam Ioanni pedem igne ſacro perditum à B. Virgine fuiſſe reſtauratum. IV. Ad Baleares Inſulas ſubiugandas perrexiſſe Principes Marchiſos Raymundum de Barcinona, Vvillelmum de Narbona, Vvillelmum de Monte-peſſerio. Pontiniacenſe cœnobium fundatum eſt in alodio Hildeberti Canonici Antiſiodorenſis Eccleſiæ, Humbaldo tunc Epiſcopo & Hugone primo Abbate, de quibus vide Robertum S. Mariani Monachum, & Geſta Pontificum Antiſſiodorenſium edita Tomo I. Nouæ Bibliothecæ. Cono Præneſtinus Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus Concilio Remenſi præfuit, vbi Geruaſio expulſo Radulfi Viridis aduerſario ciues, qui ei fauerant, à vinculo excommunicationis liberati ſunt, & Henricus Imperator damnatus. Verùm vt alias monui cùm dicatur hoc Concilium celebratum poſt Beluacenſe in Quadrageſima proxima, quæ dicitur Lætare Ieruſalem V. Kal. Aprilis differendum erat illud in an. ſeq. Huic verò illigandum Beluacenſe* 8. *Idus Decembris peractum, in*

quo

quo anathema iterum vibratum est in Henricum, qui iura Ecclesiarum sibi vendicabat, & à communione piorum submotus Thomas de Marla ac regiæ correctioni traditus, quòd ad expiandum parricidium die dicta non adfuisset. Verùm de sacrilego illo Thoma plura dabunt Sugerius in vita Ludouici Crassi, aliique. Barense castrum ab Imp. Henrico expugnatum, capto simul Raynaldo Comite, inquit breue Chronicon Metense, quæ fusiùs enarrat Otho Frisingensis lib. 1. de Rebus Friderici Imp. vbi etiam de nuptiis Henrici Imp. cum Mathilde Henrici Anglorum Regis filiæ celebratis Moguntiæ, de dissidiis in regno ortis, de Friderico Duce Sueuiæ, qui ex Iuditha Henrici Noricorum Ducis filiâ pater fuit Friderici I. Imp. & Iudithæ quæ Matthæo Lotharingiæ superioris Duci nupsit, ac similibus. Ordelapho Venetorum Duce ab Hungaris occiso in eius locum suffectus est Dominicus Michaël. Mantuani rumore sparso de obitu Mathildis arma sumunt, collectóque ab ea exercitu ad deditionem compelluntur. Concilium Ceperani ad ripam Liris fluuij habuit Octobri mense Paschalis Papa, de quo ac similibus legendus Petrus Diaconus, qui Willelmum asserit Ducem Apuliæ, & Calabriæ ab eodem Pontifice constitutum, & Falconis Chronicon Beneuentanum ab anno 1113. ad 1140. Radulfus Episcopus Roffensis 6. Kalendas Maij die Dominica ad Archiepiscopatum Cantuariensem ab obitu S. Anselmi vacantem apud Vindeshoram electus est, die verò Assumptionis B. Mariæ Turstinus Regis Capellanus in Eboracensem loco Thomæ iunioris, qui 6. Kalend. Martij feria 3. obierat.

Anno Christi MCXV. *Ludouicus Crassus Adhelaidem filiam Humberti Maurienne siue Intermontium Comitis & Villæ Burgundicæ, quæ fuit soror Guidonis Arch. Viennensis, qui postea Callistus II. dictus est, vxorem duxit, vt ex diplomatis quampluribus per ea tempora scriptis, in quibus nouo more, non solùm Regis ipsius, sed & Reginæ anni adscripti sunt, liquere omnibus arbitror. Cono Prænestinus Ep. S.R.E. Legatus 5. Kal. Aprilis Remis concilium celebrat, deinde Coloniæ in Templo S. Gereonis feria 2. post Pascha, tum Catalaunis 5. seu 4. Idus Iulij, de quibus Chronica Senonense & Cartusiæ Montis-Dei MSS. Rogerius Houedenus, Nicolaus lib. 2. cap. 11. Vitæ S. Godefredi Ambianensis Episcopi, qui ad Cartusianos secesserat, vt quietiùs Deo seruiret, & vetera monumenta apud Iuretum, de quibus in Chron. Tech. Obiit 17. Maij Lambertus primus post separationem à Cameracensi fa-*

ctam Atrebatensis Episc. & in Ecclesia Cathedrali sepultus est, teste Anselmo Gemblacensi. In eius epitaphio additur. Huicce Episcopo & duobus Ioculatoribus (histriones alij vel citharœdos vocant) Itherio atque Normanno B. Mariam in Atrebatensi Eccl'esia apparuisse, iisque dedisse candelam, per quam sanarentur Ardentes igne malo. Cereus iste, qui ab eo tempore ardendo non consumitur, extat etiamnum Atrebati, seruatúrque in ipsius fori sacello à collegio seu societate ciuium Laicorum, quam Ardentium appellitant. Plura Miraus in Annali'bus, Fastisque Belgicis ac Burgundicis ad diem 30. Iunij, atque ex Meyero in notationibus ad Anselmi Gembl. Chr. pag. 195. Petrus Eremita reuersus ex Syria in Belgicam apud Hoium diœcesis Leodiensis ad Mosam oppidum 8. Idus Iulij moritur, & in Monasterio S. Sepulcri Canonicis Regularibus addicto sepelitur. Tanchelinus hæreticus, qui Andouerpiam, Vvalacriam, & circumiacentes insulas multis hæresibus infecerat, occiditur, atque Hugone Candauena pulso castrum Anchoranum vulgo Encrense Balduinus Comes Flandriæ cepit, & Carolo consobrino suo dedit, ex Anselmo Gemblacensi, qui & fluxisse sanguinem è digitis cuiu'dam dum manus confricaret Aquisgrani absque vlla vulneris læsione asserit, & in suburbio Antiochiæ terram noctu dehiscentem turres multas, & adiacentes domos cum habitatoribus absorbuisse. De Claræuallis in diœcesi Lingonensi fundatione primóque eius Abbate S. Bernardo consule Auctores vitæ illius, & Annales Cistercienses Angeli Manrique, qui omnia enucleatè edisserit. Obiit Petrus Pictauensis Episc. Caluiniaco castro, cùm sedisset an. 29. & vno mense, & sepultus est Pictauis apud S. Cyprianum epitaphio super eum descripto, cuius partem Chron. Malleacense, integrum refert Malmesb. lib. 5. quem vide vitia Guillelmi Pictauensis Comitis, qui legitima vxore depulsa Vicecomitis cuiusdam vxorem surripuerat, historico sale defricantem. Maiorica & Minorica Insulæ subactæ sunt à Christianis, ex eodem Chronico Malleacensi. Caluisius post Baronium ex Hieronymo Blanca refert ab Alfonso Aragonum Rege mense Maio obsessam Cæsaraugustam die 18. Decembris captam fuisse cum 400. annis in ditione Saracenorum fuisset. Verùm alij cum Mariana aliísque differunt in annum 1118. De obsidione Ioppes à Saracenis Ascalonitis eorúmque clade vide Willelmum, Tyrium similésque. Defuncta est Mathildis Comitissa, Tusciæ domina, Godefridi Gibberi Lotharingiæ Ducis ac Welfi vidua die 24. Iulij ætatis 76. atque in Padolirone monasterio inter Padum, & Larium lacum in diœcesi Mantuana sepulta.

Vide Domnizonem Presbyterum in eius vita, Anselmum Gembl. Vrspergensem, *&c. Fridericus Colonienſis Archiepiſcopus, Godefridus Barbatus Lothar. Dux, Henricus Exdux, Federicus Arneſburgius, aliíque Imperatori rebelles partim æquo Marte pugnant, partim vincuntur. Certè teſtis eſt Rogerius Imp. cùm diu Coloniam obſedisſet multóſque ſuorum terreſtri prælio perdidisſet, apud Nuſſam pacem iuram. feciſſe. Adalbertus quem Moguntini ſuis precibus apud Imperatorem miniſque, è carceris pædore ſordibúſque liberarant, à Dieterico Cardinale S. R. E. Legato conſecratus eſt Archiepiſcopus in Synodo Coloniæ habita circa feſtum Natiuitatis Chriſti.* Radulfus Dorouernenſis ſeu Cant. in Anglia Archiepiſcopus ab Anſelmo S. R. E. itidem Legato 5. Kal. Iulij, die Dominica pallium ſuſcepit, & ipſo die conſecratus eſt, congregatis ibidem totius Angliæ Epiſcopis, ex Rogerio. Omnes Normanniæ proceres Guillelmo Adelino Henrici Regis filio fidelitatem iurant, teſte Roberto Montenſi, cuius etiam relatione, quam pluribus cumulauit W. Tyrius, conſtat Arnulfum ab Arauſicano Epiſcopo S. R. E. in Oriente Legato depoſitum, blanditiis Paſchalem adeo in Italia circumueniſſe, vt ab eo reſtitutionem adeptus pallium impetrarit.

Anno Chriſti MCXVI. *Ludouici Craſſi 8. Robertus de Arbriſſello fundator Monaſterij atque Ordinis Fontis-Ebraudi, cui voluit Abbatiſſam ſummo iure præeſſe, ſancto fine deceſſiſſe 6. Kal. Martij, huius anni à multis dicitur more ſcilicet Gallico, in Prioratu Vrſanenſi in diœceſi Bituricenſi ſito præſente Leodegario Bituricenſi Patriarcha, qui corpus vſque ad Fontem-Ebraudi deduxit ac ſepulturæ mandauit, vt prolixiùs narrant Baldricus Dolenſis Antiſtes, & Andreas Monachus in eius vita, Chronica Andegauenſia & Malleacenſe, ex quo etiam diſcimus eodem anno obiiſſe Bernardum fundatorem Cœnobij Tironij, quod eſt in Pertico 7. Kal. Maij, quam in rem plura ſubminiſtrabit Gaufredus Monachus in eius vita, & in notis ad illam Souchetus. Tetbaldus Comes Bleſenſis nepos Henrici Regis Anglorum eius auxilio fretus rebellat aduerſus Ludouicum Regem Francorum, ex Roberto Montenſi. Tetbaldo Stephanum eius fratrem, Hugonem Puteacenſem, ſimiléſque, imò & Anglum eiúſque generum Imp. alij adiungunt, de quibus ſuo deinceps loco agendum erit. Vuillelmus Niuernenſium Comes apud Aualonem captus eſt, ex Chronicis Vezeliacenſi, & Fiſcanenſi, ac Geſtis Antiſſ. Antiſtitum. In Dolenſi cœnobio cuidam Monacho Miſſas agenti apparuit puer ſuper altare loco hoſtiæ ante ca-*

licem. Vide paginam 397. Nouæ Bibliothecæ. Mortuus est Iuo Carnotensis Episcopus die 23. Decembris hoc vel vt alij præcedenti, aut sequenti anno, vir magnæ pietatis ac doctrinæ, auditor quondam Lanfranci in monasterio Becci, & sepultus est in monasterio S. Ioannis de Valle, quod ædificarat, Canonicis in eo constitutis. Plures 23. annos Ecclesiam illam administrauit, cùm ab anno 1091. ab Vrbano Papa fuerit in Italia ordinatus. Multorum de eo testimonia collegit Iuretus, quæ pluribus aliis additis locupletari queunt. Henricus Imperator relictâ Germania propter asperos regni motus, & ad Mathildis cognatæ suæ hæreditatem obtinendam, in Italiam secedit, teste Anselmo Gemblacensi. Paschalis Papa habito generali in æde Lateranensi Concilio pridie Nonas Martias priuilegium de Inuestituris Henrico concessum publicè damnauit, eásque sub anathemate dantis, & accipientis prohibuit, & quamuis numquam adduci potuerit, vt in Henricum excommunicationis sententiam ferret, approbauit tamen omnia, quæ in eam rem à Guidone Viennensi Arch Conone Prænestino Episcopo, aliísque Legatis in variis Conciliis fuerant peracta. Cætera exhibet Vrspergensis Abbas ex auctore synchrono descripta, ex eóque Baronius, qui plura congessit de Chrysolano seu Grosollano Arch. Mediolanensi, qui missus fuit in Græciam Legatus ad Alexium Imp. scriptáque de Spiritus sancti processione Diatriba, quæ etiamnum extat, Græcorum in se arma stylúmque conuertit. Owinus Rex Walanorum occiditur, inquit Rogerius.

Anno Christi MCXVII. *Ludouici Crassi 9. finita fuit excommunicatio Comitis Pictauensis, & Vuillelmus ordinatur Episcopus eiusdem vrbis, ex Chronico Malleacensi, in quo etiam legitur Burdegalæ natum esse infantem totum pilosum, & barbatum qui vocatus est Brietius. Bertrada de Monteforti hoc circiter tempore, Ludouico Rege probante eiúsque coniuge Adheleide, dedit sanctimonialibus Fontis-Ebraldi Altam Brueriam in Carnutensi diœcesi, quarum institutor Robertus de Arbrissello de quo superius diximus rectiùs hoc anno mortuus dici debet, vt multis argumentis compertum mihi est, quæ suggessit Cosnierus in Notis.* Luna bis Eclipsim passa 16. Iunij sabbato, & 11. Decembris feria tertia, ex pluribus illorum temporum Chronographis. Multa prodigia recenset Anselmus Gemblacensis, addítque I. *Bicipitem infantulum Namuci natum. II. Balduinum Comitem Flandrensem quia Hugo Candauena terram eius rapinis in-*

cendíſque vaſtabat caſtrum S. Pauli obſediſſe, & mediante Euſtathio Bononiæ Comite reconciliatum rediiſſe. Anſelmus Laudunicæ ciuitatis magiſter nominatiſſimus, literarum ſcientiâ clarus, vir morum honeſtate & conſilij maturitate venerabilis, obiit, qui vtili ſtudio inter cætera opera in Pſalterium Gloſſas marginales atque interlineares ordinauit, inquit Robertus de Monte in vulgato hactenus Chronico, in quo multa ad S. Nortbertum, & Præmonſtratenſem Ordinem ſpectantia occurrunt. Pontius, filius Comitis Mergulienſis, Cluniacenſis Abbas accuſatus à quibuſdam Monachis apud Papam, eo inuito, vt tradit Robertus de Monte, relinquens Abbatiam, Hieroſolyma perrexit: poſt cuius diſceſſum electus fuit in Abbatem Hugo Prior Marceniaci, eodémque poſt vnum annum è vitâ ſublato, Petrus ille Venerabilis, de quo plura poſtea. Verùm triennio anticipaſſe mox docebimus. Paſchalis Papa Beneuentum ad Normannos ſe recepit, & in Apulia Concilium celebrauit. Henricus Imp. vrbem ingreſſus, & à Mauritio Burdino Bracarenſi Archiepiſcopo ad altare B. Gregorij coronatus ob vitandos æſtatis calores ad frigidiora loca ſe recepit, variiſque prodigiis territus legatos de abſolutione ad Papam ſæpè miſit, & in Taruiſinam Marchiam bello tumultuantem ſeceſſit. Videndi Petrus Diaconus in Chronico Caſſinenſi, Petrus Bibliothecarius in vita Paſchalis, Vrſpergenſis, &c. vt Rogerius, Malmeſburienſis, aliíque Anglicanæ Hiſtoriæ Scriptores de Radulfo Cantuarienſi Archiepiſcopo, & Hereberto Epiſcopo Norwicenſi ad eundem Pontificem miſſis pro priuilegio, vt aiebant, à ſancto Papâ Gregorio olim conceſſo, vt Cantuarienſes Archiepiſcopi fungerentur Legatione Sedis Apoſtolicæ per Angliam. Nicolaus Nuzalon Patr. CP. obiit, de quo Zonaras, Balſamon, aliíque: ſucceſſit Theodotus.

Anno Chriſti MCXVIII. *Ludouici Craſſi* 10. Paſchalis II. Romanus Pontifex obiit Romæ 12. Kalendas Februarij, vt tradit Chronicon Malleacenſe, & poſtridie ſolenni ritu delatus à Patribus in Baſilicam S. Saluatoris ibidem tumulatus eſt. Ioannes Caietanus ex Cancellario S. R. E. & Apocriſiario electus eſt Pontifex, ſubſtituto à Schiſmaticis Henrici Imperatoris fautoribus Mauricio Bracarenſi, qui dictus eſt Gregorius VIII. de quibus vide Pandulfum, Vrſpergenſem, Ordericum, Malmeſb. Chronicon Beneuentanum, Anſ. Gembl. Sugerium in vitâ Ludouici Regis, alióſque; vnde diſcimus

Pontificem Româ ſecedere coactum naui Piſas, atque inde ad *portum Villæ S. Ægidij appuliſſe, Aleſij Petrum in Ep. Cæſarauguſtanum conſecraſſe, ciúſque Legatione fungentem in Germania Cononem Card. Ep. Præneſtinum in Synodis Colonienſi, & Friteſlatienſi iterum anathemati ſubiciſſe Henricum*, qui his auditis ſibíque metuens in Germaniam reuerſus eſt. Ordo Templariorum ſeu Militum Templi inſtitui cœpit hoc anno Hieroſolymis, auctoribus Hugone de Paganis, & Gaufredo de S. Ademaro; quem poſt 9. annos probauit Sedes Apoſtolica, vt pluribus Willelmus Tyrius, ex quo etiam, Chron. Malleacenſi, aliíſque diſces menſe Aprili Quadrageſimæ tempore obiiſſe Balduinum Hieroſolymorum Regem Godefridi Bulionenſis fratrem ac ſucceſſorem, ſepultúmque ſub Caluariæ loco. Succeſſit Balduinus de Burgo Comes Edeſſanus affinis eius, filius Hugonis Comitis de Regiteſta, Euſtachio Bononienſi Comite defuncti fratre vltro ius ſuum concedente. In Arnulfi Patriarchæ Hier. eodem tempore mortui locum ſubrogatus eſt Guarimundus Ambianenſis. *Obiit quoque in Palæſtinâ Robertus Comes Mellentinus, teſte Roberto Montenſi, cuius hæreditas ad filios Gualerannum, & Robertum tranſiit. Alij tamen ſcriptores innuunt in patria defunctum Nonis Iunij, & Pratellis in capitulo Monachorum cum patre ſuo, & fratre requieſcere.* Alexius Comnenus Græcorum Imperator labente adhuc Indictione vndecima, & anno Græcorum 6626. die 15. Auguſti in feſto Aſſumptæ Virginis Deiparæ ſub Veſperam migrauit è vitâ, cùm regnaſſet annis 37. menſ. 4. & diebus 15. vixiſſet 70. aut circiter: in cuius obitu deſinunt Ioannes Zonaras, Michaël Glycas, atque ipſa illius Auguſti filia Anna Comnena. Suſcepit imperium filius Alexij Ioannes Comnenus dictus Caloioannes à quo Nicetas Choniates Hiſtoriam exorſus perduxit vſque ad Balduinum, & captam à Francis ac Venetis an. 1204. Conſtantinopolim. Ioannes quoque Cinnamus indidem cœpit. Euthymius Zigabenus illo florebat tempore, qui Alexij iuſſu Panopliam ſcripſit aduerſus omnium hæreticorum errores. De Baſilio hæreſcos Bogomilorum auctore plura pro more Card. Baronius, quæ aliáque prætermitto, *vt Franciam vicinámque illi Tarraconenſem Hiſpaniam inuiſam. Chronicon Malleacenſe refert I. Toloſæ fuiſſe Concilium, in quo confirmata eſt via de Hiſpaniâ, & Engoliſmæ aliud, vbi Archiepiſcopus Turonenſis, & alij*

duo confirmati sunt. II. Tertio Idus Iunij subactum esse castrum iuxta Cæsaraugustam. III. In Hispania fuisse bellum inter Alfonsum, & Reges plures Maurorum Granatensem scilicet, Marochiensem, &c. 8. Idus Decembris. IV. Tertio Idus eiusdem mensis subactam esse Cæsaraugustam, & post eam alias 8. ciuitates deditas Tudelam, Tarraconam, &c. V. Comitem Pictauensem Vvillelmum pugnasse cum Simone Partiniacensi, & auunculo suo Hugone 5. Idus Augusti, & Simonem cepisse cum multis aliis. De Cæsaraugustanæ expugnationis anno aduersus Hieronymi Blancæ calculos quos sequuntur Baronius, Caluisius, *&c.* consentit Chronicon Massiliense pag. 340. Nouæ Bibliothecæ, & Mariana, cuius hæc sunt verba: multi ex vniuersa ditione sed & ex Galliæ finibus principes exciti ad arma auxilio venerunt. *Gasto Bearnensis, Rotro Perticarum, Centullus Bigerronum Comites:* ex vtraque gente validus conflatus exercitus Cæsaraugustam omni ex parte circumsedere cœpit salutis anno 1118. mense Maio: suburbium, quod interfluente flumine ab vrbe diremptum est, intra octauum diem expugnatum. *Rotro Perticarum Comes* ipso obsidionis tempore cum sexcentis equitibus ab Rege missus Tutelam nobile Vasconum oppidum ad Iberi ripas occupauit, *&c.* quæ apud ipsum per ocium leges; nunc enim Ordericus, Henricus, Rogerius ad se nos euocant, vt ex eis discamus. *I. Mathildem Reg. Angliæ obiisse 30. Aprilis, vel primo die Maij, vt habet eius Epitaphium. II. Conspirasse cum Rege Francorum Ludouico Balduinum Comitem Flandrensem aliósque Proceres etiam Normannos vt Guillelmo, Clitoni dicto, filio Roberti in carcere detenti Normanniæ Ducatus restitueretur tanquam legitimo hæredi. III. ab Henrico castrum S. Clari, à Ludouico Vadum Nigasij intercepta ac munita. IV. Guillelmum Ebroicensem Comitem 14. Kal. Maij mortuum, & in cœnobio S. Vvandregisili sepultum. V. Almaricum de Monteforti Simonis & Agnetis filium dicti Guillelmi ex sorore nepotem Eboracensem arcem ac Comitatum, quem Henricus Rex negauerat, sibi vindicasse. VI. Hugonem de Gornaco, Stephanum de Albamarla, Eustachium de Britolio, Richerium de Aquila, Rodbertum de Nouoburgo, aliósque aduersus Henricum Regem rebellasse. VII. Balduinum Flandrensem cum multitudine Morinorum vsque ad Archas venisse, & villas in Talogio combussisse, tum à quodam Britone Hugone Boterello apud castrum Aucense vulneratum Albamarlam rediisse, ibíque ob intemperantiam in grauem morbum incidisse, quo à mense Se-*

ptembri vſque in menſem Iunium annis ſequentibus grauiter laborauit. VIII. Regem Henricum Sagium & Alencionem totámque in illa regione terram Roberti Belleſmenſis Tetbaldo Comiti dediſſe qui eam Stephano fratri ſuo tradiderit. IX. Caſtrum Aquilæ à Ludouico Rege occupatum. X. Nonis Octobris Concilium Rotomagi congregatum. Cætera de oppugnatione Aquilæ, de rebellione Alencionenſium, ac ſimilibus otioſo Lectori permitto. Cœnobium de Corona Canonicorum ſancti Auguſtini haud procul Engoliſmenſi ciuitate inchoatum eſt à Lamberto die 12. Maij.

Anno Chriſti MCXIX. *Ludouici Craſſi* 11. *Gelaſius II. Papa Cluniaci obiit die 29. Ianuarij, cùm ſediſſet anno vno, & diebus 4. éique ſuffectus eſt Guido Viennenſis Archiep. frater Stephani Burgundiæ Comitis filius Guillelmi qui Caput-audax cognominatus eſt, Calliſtus II. dictus, de cuius electione à Romano Clero approbata eiúſque rebus geſtis Falco in Chronico Beneuentano, Sugerius, Anſelmus, Dodechinus, Robertus vtérque S. Mariani & Montenſis, Petrus Cluniacenſis, Pandulfus, Rogerius, Ordericus, & vt alios omittam Vrſpergenſis, qui de Viennenſi Synodo à Gelaſio celebrata, & Triburienſi conuentu, cui interfuit Imperator, nonnulla habet. Remenſem verò menſe Octobri, coactam ad quam Epiſcopi 424. conueniſſe dicuntur, cæteris fuſiùs exhibuit Ordericus, quem conſule cum Chronico MS. S. Petri Viui Senonenſis, Sugerio, Rogerio, & Heſſone Scholaſtico quem Sebaſtianus Tengnagel cum aliis Veterum aduerſus Schiſmaticos monumentis publicauit. Toloſanam Synodum (quam minùs peritè primam in Occidente Oecumenicam atque Vniuerſalem indigitant, vt aliàs monuimus in Synopſi Hiſtorica Conciliorum Galliæ) intra eundem annum cum Remenſi actam ex Malleacenſi colligimus ſed 8. Idus Iunij, quâ celebratâ per Pictauos Andeg. & Turonos Papa Aurelianos venit, vt diſcemus ex Chronico S. Trinitatis Mauriniacenſis prope Stampas in diœceſi Senonenſi. Cono Prænestinus Ep. Card. S. R. E. Legatus Synodum Coloniæ cogit, & in Henricum latam iam ſæpè excommunicationis ſententiam promulgat, inquit Anſelmus Gemblacenſis ex codice Orteliano, monétque huic Synodo interfuiſſe S. Norbertum Sanctis Cluiæ oppido natum, tunc recenter conuerſum in peregrino habitu. Eodem aliiſque teſtantibus Balduinus Comes Flandriæ, Securicula dictus, Calliſti Papæ ex ſorore Clementia nepos abſque liberis obiit menſe Iunio ætatis 26. vt quidam aſſerunt Monachus priùs effectus, & in Abbatia S. Bertini ſepultus. Succeſſorem reliquit Karolum de Ancora ſiue Encra dictum, Canuto Daniæ Rege, & Athela Roberti Friſonis filia progenitum,*

progenitum, de quo aliísque Flandriæ Comitibus plura in Stemmatis Parium Franciæ, ex Malmesburiensi, Orderico, Rogerio, similibúsque Historicis, vt Belgas silentio premam. Ex iisdem verò ac præcipuè Orderico constat. I. Andeleium à Ludouico Rege captum, ab Henrico verò apud Noionem castrum munitum. II. Guillelmum Adelinum Henrici filium apud Lexouium filiam Comitis Andegauensium Fulconis Mathildem desponsasse mense Iunio: eiusdémque Comitis precibus Guillelmum Talauacium Roberti Bellismensis filium in amicitiam Regis receptum. III. Auditâ morte Balduini Morinorum Satrapæ pro eius animæ absolutione, & quiete eundem Regem Henricum Clero signa pulsare, & orare præcepisse: tum Pontem S. Petri, aliáque cum villis hostium castra incendisse. IV. In Augusto Lunam quasi sanguinem rubicundam serò, dum bruna esset, verba sunt Auctoris, visam esse, &c. V. Henricum Ebroicensem vrbem igne immisso penè totam combussisse, defensantibus arcem Philippo, & Floro Philippi Regis Francorum filiis, & ex Bertrada sorore nepotibus Amalrici de Monte forti, aliísque. VI. Ludouicum Francorum Regem Andeleio egressum Guillelmum Clitonem Roberti Ducis Normannorum filium plurésque alios in Vilcassino ad Brenniuillam cum Henrico Anglorum Rege eiúsque filiis pugnasse, victúmque fuisse pluribus captis. VII. Tetbaldi Blæsensis Comitis interuentu Amalricum Regi Henrico arcem Ebroicensem reddidisse, & ab eo totum auunculi sui Comitatum recepisse. VIII. Mense Nouembri post Synodum Remis celebratam Callistum Papam in Neustriam venisse, & cum Rege Anglorum Gisortij colloquium de pace habuisse. IX. Gosfredum Archiepiscopum Rothomagi tertia Nouembris hebdomada Synodum tenuisse, quæ in debacchationem & ludibrium conuersa est. Subiicit deinde idem nobilis Historicus naufragium Guillelmi Adelini, & Ricardi fratris eius nothi, sororis quoque Rotroci de Pertico coniugis, pluriúmque aliorum nobilium, qui in die festo S. Catharinæ 25. Nouembris cum Luna in signo Tauri 19. esset, & fere 9. horis radiis suis mundum illustraret, apud Barbaflot, Barbarum fluctum alij vocant, in Normannia inferiore submersus est: quam tamen cladem alij passim Scriptores in seq. annum differunt cum Rogerio, qui VI. (melius VII.) Kal. Decembris feria 5. sub noctis initium assignat, Henrico Huntindonensi, Roberto Montensi, variisque Chronicis Andeg. Senon. &c.

Anno Christi MCXX. *Ludouici Crassi* 12. *Callistus Papa Ecclesiasticis rebus in Gallia benè dispositis, pluribus Ecclesiis diuersis in locis Catholico ritu consecratis, & diplomate proprio priuilegiis Viennensis Eccle-*

ſiæ, quod Baronius ex Bibl. Floriacenſis auctario recitat, Valentiæ 5. Kal. Martij conceſſo, Italiam petiit & 3. Nonas Iunij Romæ à ciuibus miro applauſu exceptus eſt, tum in Apuliam ad Normannos conceſſit, Mauricio Brudino Antipapâ, qui Sutrij tyrannidem exercebat paullo poſt comprehenſo, & in cœnobium, quod Cauea dicitur, detruſo. De iis videndi Ordericus, Pandulfus, Petrus Diaconus, Egino Abbas S. Vdalrici Auguſtani, Romualdus, Sugerius Abbas S. Dionyſij, Rogerius, Malmeſb. aliíque. *De fundatione Ordinis Præmonſtratenſis in diœceſi Laudunenſi Hugo Abbas in vita eiuſdem ſancti 6. Iunij apud Surium, Anſelmus Gembl. Robertus S. Mariani Monachus in Chron. Antiſſiod. Conradus Vrſperg. &c. cum vulgato diſticho.*

Anno milleno centeno bis quoque deno
Sub patre Norberto fundatur Candidus Ordo.

Obiit Leodegarius Bituricenſis Antiſtes pridie Cal. Aprilis, ſuccedente Vulgrino ad an. 15. & dies 16. cum menſibus 4. vt quidam addunt. Virdunum à Comite Rainaldo capitur, & maxima pars vrbis cum monaſteriis S. Saluatoris, S. Petri, ſanctíque Agerici incenditur & ſpoliatur; ex Chronico S. Vitoni pag. 401. Tomi I. Nouæ Bibl. Ex Rogerio, multíſque aliis conſtat. I. Reges Francorum atque Anglorum poſt multa ſuarum partium detrimenta iniiſſe colloquium, peractóque concordiæ conſenſu Vvillelmum Adelinum iuſſu patris Henrici facto Regi Ludouico homagio, Normanniæ ſub illo ſuſcepiſſe principatum, eíque tunc 18. annos nato Normanniæ Proceres fidelitatem iuraſſe, & ſecuritatem ſacramentis affirmaſſe. II. Eundem Vvillelmum cum aliis naufragio periiſſe, vt ſup. an. ex Orderico retulimus, qui ad huncce annum cum Anſelmo Gembl. Roberto, & quibuſdam refert coniugium Henrici Regis cum Adeleidâ filia Godefridi de Louania Ducis Lotharingiæ Inferioris, quod nos cum aliis in ſeq. differemus, addítque. I. Fulconem Andegauorum Comitem ſcelerum, quæ fecerat, pœnitentiam agere ſtuduiſſe, terráque ſuâ coniugi tenerísque filiis Gaufredo ac Heliæ commiſſa Hieruſalem perrexiſſe, ibíque Militibus Templi aſſociatum aliquandiu permanſiſſe, &c. II. Pontium Cluniacenſem Abbatem apud Papam Romæ accuſatum, officio ſuo inconſultè coram Papa relicto, peregrè profectum eſſe in Palæſtinam: Cluniacenſes verò ex mandato Summi Pontificis Hugonem ſenem in Abbatem elegiſſe, eóque poſt tres menſes ſublato, Petrum Mauricium, Venerabilis titulo paſſim inſignem. In Palæſtinâ teſtibus Willelmo Tyrio, Chronico Malleacenſi ac ſimilibus compertum habemus. I. Chaſi Turcarum in

Perſide Principem Antiochenos inuaſiſſe, in eóque conflictu Rogerium Principem cæſum fuiſſe cum nouem millibus Chriſtianorum. II. Balduinum Regem Hieroſolym. cum Comite Tripolitano reſtaurantem bellum pugnaſſe cum eis præuióque ſacratiſſimo ligno ſanctæ Crucis occidiſſe ex eis 14. millia in vigilia Aſſumptionis B. Mariæ. III. à Patriarcha Hieroſ. celebratum eſſe Concilium in ciuitate Neapoli. IV. Comitem Willelmum & Regem Aragoniæ 15. Kal. Iulij pugnaſſe cum Abraham, & aliis 4. Regibus Hiſpaniarum in campo Cotanciæ, & Saracenorum 15. millia occidiſſe, duo millia camelorum cepiſſe. V. Mel pluiſſe de cælo. VI. In Ieruſalem in die Aſſumptionis veniſſe ignem ſicut in Paſcha. *VII. Inchoata plurima cœnobia de inſtitutione S. Geraudi de Sala, qui eodem anno obiit. VIII. Incenſa fuiſſe Monaſteria Vezeliacenſe ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & Petragoricum S. Frontonis. IX. Mutatos fuiſſe menſe Nouembri nummos. De Concilio Toloſano 8. Idus Iunij, vbi inter cætera damnati hæretici & depulſi ab Eccleſia, qui Religionis ſpeciem ſimulantes Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum, baptiſma puerorum, Sacerdotium, & omnes Eccleſiaſticos ordines damnabant, diximus aliàs? Cono Prænestinus Epiſcopus S. R. E. Legatus præſedit Sueſſionenſi Concilio accitus à Radulfo Viridi Remenſi Archiepiſcopo contra Petrum Abailardum, qui librum, quem de Trinitate ſcripſerat, propria manu ab Epiſcopis igni dare coactus eſt, vt narrat ipſemet in Hiſtoria calamitatum ſuarum capp. 9. & 10. & poſt eum S. Bernardus ep. ad Iuonem Cardinalem, Otto Friſingenſis lib. 1. de Geſtis Frederici cap. 47. Chronicon Senonenſe teſtatur eundem Legatum in Prouinciis Rotomagenſi, Senonenſi, atque Remenſi eodem anno celebraſſe Concilium Beluaci die 15. Kal. Nouembris.*

ANNO ÆRÆ CHRIST. MCXXI. *Ludouici Craſſi 13. Eccleſia S. Mariæ Lucionenſis ſacrata fuit 13. Kal. Maij. Ignis combuſſit Eccleſiam S. Martini. Simon mortuus eſt Partiniaco morte ſubitanea. Eccleſia S. Lazari igne diuinitus ſuccenſa eſt. Hæc ex Chronico Malleacenſi. S. Nortberto Colonia cum Sanctorum reliquiis redeunti Ermenſendis Comitiſſa vxor Godefridi Comitis Namucenſis obtulit Eccleſiam in villa ſua Floreffia ad fratres in eâ collocandos, fuitque tertia ordinis Præm. Abbatia, ſecunda verò S. Martini Laudunenſis Eccleſia in Regularem iam ab anno ſuperiori è ſæculari conuerſa. Fredericus Leodienſium Epiſcopus obiit, ad cuius ſepulcrum multa ſigna,*

ex Anſelmo Gemblacenſi, qui addit menſe Octobri Henricum Imp. veniſſe Quintiliburgum cum optimatibus regni & Sedis Apoſtolicæ, cúmque diu diſceptatum fuiſſet de ſtatu regni, & de inueſtituris Eccleſiarum, & de hæreditate Sicfridi Comitis Palatini, aliíſque negotiis, incertiores rediiſſe, quàm venerant. Vrſpergenſis cum aliis Wirceburgi in feſto S. Michaëlis Conuentum illum collocat, & docet Brunonem Spirenſem Ep. & Arnulfum Fuldenſem Abbatem aliósque Romam ab Imp. ad ineundam concordiam delegatos. Burdinus Antipapa à Sutrinis deditus, Romam ignominiosè deductus, in Campaniam ad perpetuum carcerem deportatur, ex Pandulfo, Sugerio, Petro Diacono, *&c.* Lamberto Nouiomenſi Ep. mortuo ſufficitur Simon Hugonis Magni Veromanduorum Comitis filius, qui Seleuciæ in reditu è Palæſtina defunctus eſt 10. Februarij anni 1148. Henricus Anglorum Rex totius Angliæ adunato conſilio in Purificatione B. Mariæ apud Vindeſſoram Adeleidam Godefridi Louanienſis filiam matrimonio ſibi iunxit, & cum eâ diademate Regio redimitus fuit in feſto Pentecoſtes apud Londoniam, ex Henrico, Rogerio, Roberto, Anſelmo, Orderico, *&c.* *Addit idem Robertus I. Vuillelmum de Capellis (legendum Campellis) Catalaunenſem Epiſcopum octo diebus ante exitum ſuum ſuſcepto habitu monachico vita deceſſiſſe 15. Kal. Februarij. II. Matildem filiam Fulconis Andeg. Comitis in patriam à Rege remiſſam*, &c.

Anno Chriſti MCXXII. *Ludouici Craſſi* 14. *à Vuillelmo Comite Pictauorum ſubactum fuit caſtrum Partiniacum* 3. *Kal. Aprilis; Turonis contentione inter Clericos & Laicos orta combuſtum caſtrum S. Martini, cum Monaſterio, vbi corpus eius humatum eſt, Kal. verò Septembris Monaſterium & caſtrum S. Martialis Lemouicenſis igne diuinitus fuere combuſta, ex Chron. Malleacenſi. Remenſes villam ſancti Theoderici incendunt in Rogationibus Kalendis Maij. Virdunenſes verò vrbem ſuam per traditionem reddunt Comiti de Grandiprato, vide pagg.* 361. *&* 401. *Nouæ Bibliothecæ.* Calliſtus Papa tempore Quadrageſimæ Generale Concilium celebrauit Romæ apud Lateranum 300. & ampliùs Epiſcoporum, in quo præter alia decreta eſt in Germaniam Legatio trium Cardinalium, qui Vormatiæ cum Henrico Imp. menſe Septembri colloquio habito pacem inter Sacerdotium & Regnum pepigerunt, Imperatore ius omne inueſtiendi per annulum, & virgam abro-

gante, relictâ liberâ Episcoporum, & Abbatum electione & consecratione. De quibus Anselmus Gembl. Sugerius, Malmesb. Vrspergensis, *&c.* quorum pleríque ipsa monimenta concessionum vtrimque factarum recitant: Ego Callistus, *&c.* Ego Henricus, *&c.* Capenbergensis Abbatia Ord. Præmonstratensis fundatur in Westfalia à Godefrido loci illius Comite, qui postea cum Othone fratre factus est ibidem Religiosus: de eo Robertus an. seq. *Henricus Rex Angliæ circa Pentecosten in Neustriam classe aduectus Pontem-Aldemari sex septimanis viriliter sub Autumnum obsedit, cepítque, & Serlo Salariensis, hoc est Sagiensis, Episcopus die 27. Octobris defunctus est, vt pluribus Ordericus. Eius successor Ioannes anno 1124. post Pascha consecratus est, in quem annum Rogerius differt rebellionem Comitis Mellentini, & expugnationem Pontis-Aldemari. Addit Robertus Montensis castrum Brionium sed anno 1123.*

Anno Christi MCXXIII. *Ludouici Crassi* 15. Nonis Aprilis visæ sunt stellæ cadere de cælo. Concilium Romæ 8. Kal. Aprilis. *Bellum inter Ildephonsum siue Alfonsum Comitem Tolosanum, & Vvillelmum Aquitaniæ Ducem. Rotomago Iudæi fecerunt rem quandam detestabilem de imagine ceræ. Obiit Vvillelmus Episcopus Pictauensis, cognomento Gislebertus, & sepultus est in cœnobio Fontis-Ebraldi. Pridie Nonas Nouembris obiit Girardus Monachus S. Albini, qui per decem annos nec manducauit, nec bibit aliquid coctum igne. Hæc ex Chronico Malleacensi. Marbodus Episcopus Redonensis ab anno 1096. post 28. dignitatis annos obiit 3. Idus Septembris in cœnobio S. Albini, vnde in Chronico illo pag. 277. Nota Bibliothecæ, Exercitus de Doato. Obiit Marbodus Ep. atque domnus Girardus Monachus. Marbodi opera Poëtica excusa fuerunt Redonis anno 1524. studio Iuonis eiusdem ciuitatis Episcopi. Adalbero ex Clero S. Stephani Metensis electus Leodiensium ordinatur Episcopus, inquit Ansel. Gemblacensis,* qui etiam subdit capto à Saracenis Balduino Hierosolymorum Rege, cùm hostes ad 60. millia irruerent à Christianis vix ad tria millia æstimatis, Patriarchâ pro vexillo Crucem Christi, Pontio olim Abbate Cluniacensi lanceam transfixam in latere Christi, Bethleemitico Episcopo lac B. Virginis in pyxide ferentibus fuisse fusos fugatósque, quam victoriam & reliqua omnia, Eustathij scilicet Proregis obitum die 15. Iunij, subrogationem Willelmi Comitis Tiberiadensis, *&c.* exequitur pluribus Archiepiscopus Tyrius, vt Nicetas Cho-

niates reportatum de Scythis à Ioanne Comneno Imp. Græcorum trophæum ope Deiparæ, cuius imaginem currui impositam in Regiam vrbem deduxit ipse pedes. Rogerius Siciliæ Comes Apuliam inuadit, Guillelmo eius Duce matrimonij contrahendi causâ CP. profecto.

Anno Christi MCXXIV. *Ludouici Crassi* 16. *Concilia quatuor in Gallia celebrata memorat Auctor Chronici Malleacensis, Carnoti, Claromonte, vel vt barbarè loquitur Clermundo, Beluaci, & Viennæ. Sunt quoque qui aliud actum velint Tolosæ post Catellum, Binium, similésque ex Vvernero Rolleuinco scriptore Fasciculi Temporum. Quæritur tamen locupletior testis. Guillelmus alter Pictauensis Episcopus sacratus est Kal. Iunij, & tempus, vt ait citatus supra Chronographus, carum nimis, ita vt frumentum vænumdaretur* 36. *solidis, ideóque fuit mortalitas magna. In stellis signa visa sunt, & visiones multæ. Mortuo Radulfo* 10. *Kal. Augusti sepultóque in S. Remigij, cuius laudes deprædicat Ordericus Vitalis, Raynaldus seu Reginaldus Thesaurarius S. Martini Turonensis filius Gratiæ & Berlaij de Monsteriolo eligitur Archiepiscopus Remensis. Obiit Guillelmus tertius Abbas Beccensis* 16. *Kal. Maij, succedente Bosone, de quo multa Robertus Montensis Abbas, qui addit Guillelmum de Tancardiuilla Camerarium Regis Anglorum Henrici cepisse* 7. *Kal. Aprilis Galerannum Comitem Mellenti, Hugonem de Monteforti sororium eius, & alios, in valle iuxta Bortorod, eosdémque iussu Regis in carcerem detrusos, quod etiam non omisere Rogerius, Henricus,* &c. *Chronicon Rotomagense à nobis editum pag.* 367. *Nouæ Bibliothecæ factum illud bellum asserit inter Burgum Turoldi & Boxeium, & Vvillermum nominat, qui aliis est Gualerannus, addítque Amalricum Ebroicensem Comitem euasisse,* &c. *Videndus quoque præ cæteris Ordericus, qui obseruat fuisse annum hunc Bissextilem, ac sicut vulgò tunc dici solebat super proditores reuerâ corruisse Bissextum. Henricus Imp. collecto numeroso exercitu Galliam inuasisse dicitur dum Anglus eius socer idem tentaret versus Normanniam. Verùm vtrique strenuè obuiam itum est à Ludouico Francorum Rege, coactúsque Imp. in Germaniam redire cum dedecore, vt colligimus ex Vrspergensi, Chronico Catalaunensi, aliisque, quibus præiuit Sugerius, quo narrante accepimus Ludouicum cùm audiisset Henricum Imp. collecto exercitu Lotharingorum, Alemannorum, Baioariorum, Sueuorum, & Saxonum Remensem ciuitatem, in quâ à Romano Pontifice Callisto fuerat anathemate innodatus, inopinatè aggredi velle vexillum ab altari S. Dionysij tanquam à Domino suo, cui ob Comita-*

tum Vilcassini feodatus erat, suscipientem pauca manu contra hostes euolasse, &c. Extat diploma Parisiis publicè actum hoc anno Incarnati Verbi 1124. *regni Ludouici* 16. *Adelaidis Reginæ* 10. *ex quo etiam patet iam Sugerium Ecclesiæ illius Abbatem fuisse, quem Rex fidelem & familiarem in suis consiliis appellat. Canonici Andouerpenses à Godefrido Bullonio Loth. Inf. Duce & Marchione Andouerpensi fundati, S. Norberto, & sociis eius templum S. Michaëlis cedunt, & inde ad ædem B. Mariæ quæ modo Cathedralis est migrant, ex Anselmo Gembl. & Notitiæ Miræi cap.* 135. *Idem Anselmus multa habet de frigoris hiemisque asperitate, mortalitate, sacro igne,* &c. Pluribúsque exponit expugnationem Tyri Hebræa lingua Sor dictæ, quæ contigit die 29. Iunij anno Hegiræ 518. vt ex Tyrio, Zacuto, aliisque constat. Balduinus Rex multò auro redemptus ad suos iam redierat. Alexandro Scotorum Rege defuncto regni habenas capescit eius frater Dauid hoc vel vt alij anno proximè sequenti, ad annos 29. S. Malachias Conneretensis in Hibernia eligitur Episcopus, vnde postea in ipsam translatus est totius Insulæ metropolim Ardinacham, ex S. Bernardo in eiusdem vita. S. Otto Ep. Bambergensis, à Bolizlao Polonorum Duce inuitatus, Pomeranos adhuc paganos ad fidem Christianam conuertere aggreditur, vt pluribus docet Baronius ex Vrspergensi, & Anonymo quem Tomo II. Antiquæ Lectionis edidit Canisius. Callistus Papa cùm Compostellanam vrbem Galleciæ S. Iacobi Lipsanis cultúque celebrem Archiepiscopali dignitate ornasset, migrauit è viuis, sepultúsque est in Basilica Lateranensi die 13. Decembris in festiuitate S Luciæ, cùm sedisset annis 5. mens. 10. & diebus 13. Diuisis Cardinalium studiis duo electi sunt Honorius II. & Cælestinus pariter II. Verùm hoc, ne ex Schismate noua in Ecclesiam damna tumescerent, se abdicante, idémque post 12. dies cùm omnibus non probari suam electionem videret, præstante Honorio, is tandem omnium consensu iterum electus est die 21. eiusdem mensis Decembris, ex Pandulfo, Tyrio, aliisque.

Anno Christi MCXXV. *Ludouici Crassi* 17. *Claromontensis Episcopus Stephanus conqueritur de Comite Aruernorum Guillelmo IV. Ecclesiasticorum bonorum raptore, vnde susceptа anno seq. in Aruerniam à Rege expeditio diffusè enarrata à Sugerio, Continuatore Aimoini, aliisque nostratis Historiæ scriptoribus. Eadem septimana,*

qua Calliſtus Papa hominem exceſſit, inquit Ordericus, Giſlebertus Turonenſis Archiepiſcopus, qui pro Eccleſiaſticis negotiis Romam perrexerat, illic obiit, labente Indictione 3. Quòd audientes Turonici Hildebertum Cenomanenſem probatum Præſulem ſibi aſciuerunt, & Honorij Papæ permiſſu gaudentes in Turonicæ metropolis cathedram tranſtulerunt, vbi ferè 7. annis honorificè vixit, & ſubiectis profecit. Hiems aſperrima, fames, aliáque prodigia narrantur ab Anſelmo Gemblacenſi, ex quo etiam Ottone, Orderico, Roberto, Dodechino, App. Mariani aliíſque diſcimus Carolum-Henricum huius nominis V. Imp. cùm Paſchali feſto Leodij celebrato Aquaſgrani contenderet familiari ſibi dracunculi morbo moleſtari cœpiſſe, deinde Neumagum, & poſtea Vltraiectum quaſi Pentecoſten celebraturum veniſſe, ibíque die 23. Maij feria 7. aut vt alij die 21. feria 5. vitam cum regno amiſiſſe, corpúſque eius ſale reſperſum Spiram Nemetum delatum fuiſſe, & cum patre auo proauóque conditum. Succeſſit ei Lotharius Dux Saxonum in conuentu omnium Ordinum Moguntiæ, allaborante præ cæteris Adalberto illius ciuitatis Antiſtite electus die 24. Auguſti in feſto S. Bartolomei, vel vt alij 3. Kal. Septembris, deinde Dominica die Idibus Septembris Aquiſgrani à Friderico Colonienſi Archiepiſcopo benedictus, & vnctus, omni clero & populo feſtiuum epinicion acclamantibus. Conradus Sueuiæ Dux à quibuſdam Proceribus Rex ſalutatus Lothario ſe obiecit, *eíque adhæſit inter cæteros Godefridus Barbatus Louanienſis Comes, quem tranſlato in Vvaleranum Ducem Limburgenſem Ducatus Lotharingiæ Inferioris titulo exauctorauit Lotharius. Viconienſe Monaſterium apud Valentinianas inchoatur, quod inter Præmonſtratenſia pulcherrimum dicitur in Chronico Gembl. Abbatis.* De Londinenſi in Anglia Concilio præſide Ioanne Cremenſi Preſbytero Cardinale tituli S. Chryſogoni conſule Appendicem ad Florentium, Malmeſburienſem, Henricum Archidiaconum, Houedenum, Weſtmonſt. alióſque. *Obiit Liſiardus Epiſcopus Sueſſionenſis, ex Chronico Remenſi pag. 361. N. B.*

Anno Chriſti MCXXVI. *Ludouici Craſſi* 18. *tanta fames in Gallia Flandriáque fuiſſe perhibetur, vt Carolus Bonus Flandrenſium Comes prohibuerit ceruiſiam coqui, omnéſque canes iuſſerit interfici,* &c. *Ludouicus Rex de Aruernenſi Comite vindictam meditatus cum copioſo Francorum exercitu Bituricas venit, eíque occurrunt Carolus Flandriæ, Fulco Andegauorum, Conanus Britanniæ, Guillelmus Niuernenſis*

uernenſis Comites, aliique. Verùm cùm ad caſtrum Montis Ferrandi prope Clarummontem copiæ ad pugnam paratæ eſſent, interceſſit Vuillelmus Aquitaniæ Dux, cui tanquam feudatarius parebat Aruernorum Comes, & Aurelianis præſente Duce res omnis compoſita, vt pluribus Sugerius, Aim. Continuator, aliique, ex quibus videas malè à quibuſdam huic anno aſſignari mortem Guillelmi IX. Aquitaniæ Ducis, cùm in ſeq. annum differenda ſit, ex Orderico & Chronico Malleacenſi ſupputationem Gallicam, quod pauci aduertunt, pro more illorum temporum affectantibus. Pontificalis Baſilica S. Geruaſij apud Sagium 12. Kal. Aprilis dedicata eſt à Goiffredo Archiepiſc. Rotomagenſi præſentibus Girardo Engoliſmenſi S. R. E. Legato & aliis 4. Epiſcopis. Ibi tunc Henricus Rex Anglorum cum Proceribus ſuis affuit, & eidem Eccleſiæ redditus 10. librarum pro dote per ſingulos annos donauit. Menſe verò Octobri baſilica ſancti Petri in ſuburbio Rotomagi dedicata eſt, vbi corpus ſancti Audoëni conditum eſt. Guillelmus etiam Dux Apuliæ filius Rogerij Burſæ ſine filiis obiit, cuius Ducatum Honorius Papa dominio Apoſtolicæ Sedis mancipare ſategit: Verùm Rogerius Iuuenis Siciliæ Comes multa in exercitum Papæ commiſit, ſuíque conſobrini Principatum violentiâ militari vindicauit, & homagio Papæ facto poſſedit. Hic nimirum Rogerij Senis filij Tancredi de Altauilla filius fuit, ac ſtrenuæ Adelaidis, quæ Bonifacij Marchionis Italiæ filia fuit, & poſt prioris mariti fratris ſcilicet Guiſcardi obitum Balduino. I. Hieroſolymorum Regi nupſit. Hæc Ordericus. *Idibus Februarij ex hac vita migrauit ad ſuperos S. Stephanus octogenarius, de Mureto dictus, primus Ordinis Grandimontenſis Inſtitutor, de quo Vincentius Beluacenſis lib. 25. Speculi Hiſtorialis capp. 46. 47. 48. Obiit quoque Aremburgis Andegauenſis Comitiſſa, & Exercitus de Aureis vallibus, ex Chronico Andegauenſi pag. 277. Nouæ Bibliothecæ.* De Oderiſio Caſſinenſi Abbate, eiúſque in locum ſubſtituto Nicolao, vide Petrum Diaconum lib. 4. Chronici Caſſinenſis, *& de Pontij Ex-Abbatis Cluniacenſis miſerrima morte conſule Petri Cluniacenſis libri II. Miraculorum capp. 12. & 13. Baronianos Annales, & Obſeruationes ad Martyrologium Benedictinum V. P. Hugonis Menardi.*

Anno Chriſti MCXXVII. *Ludouici Craſſi* 19. *Cùm Guillelmus-Clito exul* 26. *eſſet annorum, nullúſque ei hactenus de recuperanda hæreditate paterna ſuffragari contra patruum eius Henricum Anglorum Regem potuiſſet, multis in ipſo conatu captis, exhæredatis,*

occisíſque, Adelais Regina Franciæ vterinam ſororem ſuam dedit illi in coniugem, Raynerij ſcilicet Marchionis filiam: Ludouicus autem Rex dedit ei Ponteſiam & Caluimontem, atque Meduntam, totúmque Vilcaſſinum. Hoc menſe Ianuario factum eſt, & paullo ante Quadrageſimam Giſortium venit cum militari manu Normanniam calumniari, inquit Ordericus, eúmque Normanni velut Dominum naturalem reueriti ſunt. Kalendis Martij, addit idem Auctor (feriam tertiam ſecundæ Hebdomadæ in Quadrag. Anſelmus Gemblac. aliíque rectè deſignant, ideóque peccat Miræus, qui VI. Nonas Martij adſcribit) Carolus de Anchora, Comes Flandriæ, Canuti Regis Danorum filius, cum Teſnardo Brothburgi oppidano, & 20. militibus ad Eccleſiam ſancti Donatiani Brugis, vt Miſſam audiret, venit, ibíque dum pronus in terra oraret, ſeu pſalmos caneret ante aram Deiparæ, in ſuperiore Templi parte à Burcardo de Inſulâ aliíſque 32. militibus peremptus eſt, & penè omnes, qui cum illo erant, ibidem crudeliter occiſi ſunt. Guillelmus autem de Ipro mox caſtrum de Burgis obſedit, & ferales homicidas vndíque incluſit, donec Ludouicus Rex Franciæ cum Guillelmo Normanno venit, & obſidione menſtruâ diros carnifices coarctauit, cepit, & ex altiſſima turre Brugis præcipitauit. Deinde eidem Guillelmo Comitatum Flandriæ dedit, & Vilcaſſinum cum oppidis, quæ illi dederat, recepit. Comitatum verò illum 16. ſolummodo menſibus laboriosè rexit, aduerſus Stephanum Bononiæ Comitem, Theodericum de Alſatia, Lambertum Andennenſem, alióſque. Sed de his præter Ordericum & Anſelmum, vide Dodechinum, Robertum, Continuatorem Aimoini, ac Galtherum Archidiaconum Tornacenſem, qui vitam Caroli Boni ſcripſit an. 1615. editam. Guillelmus Comes Burgundiæ, Sedunenſium vel Sodornenſium quibuſdam dictus, eadem die in quadam Eccleſia apud Paterniacum in Heluetiis ante altare orans gladiis confoſſus perhibetur, nullâ relictâ prole; cúmque Rainaldus Comes Matiſconenſis omnia ſibi vendicaret, Lotharius Imperator Conradum Zeringenſem Ducem hæredem & ſucceſſorem apud Spiram pronuntiauit, eíque controuerſiæ tandem finem impoſuit Fridericus, vt ex Othone Friſingenſi, Dodechino aliíſque diſces. Præcedentis menſis die 10. obierat in Aquitania Dux Guillelmus IX. & Pictauis apud Nouum Monaſterium fuerat ſepultus, ſuccedente in principatu Guillelmo filio, eius nominis X. qui poſt decennium obiit peregrinus apud S. Iacobum in Hiſpania, ibidémque ab Archiepiſcopo ſepultus eſt, ex Chronico Malleacenſi, &c. Cœnobium ſancti Hucberti in Arduenna Nonis Iulij combuſtum. Balduinus Ganden-

sis sæculo renuncians tonsuratur, defunctúsque in templo Affligemi sepelitur, teste Anselmo. Concilium Trecis in Gallia celebratum est præside Matthæo Cardinale Albanensi, cum Archiepiscopis Remensi ac Senonensi, in quo cum regulâ à S. Bernardo dictatâ Templariorum ordo approbatus est, vt pluribus Tyrius lib. 12. cap. 7. aliíque. Memoratur quoque eodem anno habitum Senonense præside Henrico Metropolitano, vt nihil temerè dicam de Namnetensi, de quo tractat in Epistola 65. ad Honorium II. Romanum Pontificem is, qui præfuit Hildebertus ex Cenomanensi Episcopo creatus Metropolita Turonensis. Extat quoque Honorij Epistola ad Suffraganeos illius Episcopos data Laterani 13. Kal. Iunij. Lotharius Rex siue Imperator cùm Coloniæ Natalem Domini celebrasset, in Epiphania venit Aquisgranum, Bambergæ Pentecosten peregit, castrum Nureburgense frustra obsedit, *&c.* quæ ex Dodechino, Anselmo, Othone disces. De morte Willelmi Ducis Apuliæ die 16. Iulij, eiúsque successore Rogerio, vide Baronium ex Chronicis Beneuentano, & Salernitano, & de Concilio Wintonienſi in Anglia mense Maio Appendicem ad Florentium, & Henricum Archidiaconum Huntindonienſem, cuius verba penè ipsa exscripsit Rogerius Houedenus, & annum seq. malè adscripsit: *In Pascha dixit Nuncius Henrico Regi: Carolus Comes Flandrensis tibi dilectissimus nefanda proditione occisus est à proceribus suis in templo apud Brige: Rex autem Francorum dedit Flandriam Vvillelmo hosti tuo ac nepoti.* Super his Rex anxiatus Concilium tenuit ad Rogationes apud Londoniam, & Willelmus Archiep. Cantuarienſis similiter in eadem villa apud Westminster. Cùm autem ad Pentecosten fuisset apud Winceſter, *misit filiam suam Mattildem Augustam in Normanniam desponsatam Gaufredo filio Fulconis Consulis Andegauensis, & sequutus est eam Rex mense Augusto. Inde verò aliísque de causis increpabus moras Orderici Vitalis, qui in annum 1129. & Indictionem 7. differt profectionem Hierosolymitanam Fulconis, quæ post desponsationem dumtaxat non expectatis nuptiis suscepta videtur. Errare quoque videtur Chronicon Fiscanense quod nuptias huic anno illigat.* De Willelmo natione Anglico ex Priore S. Sepulcri creato primo Tyri Archiepiscopo eiúsque in Italiam pro recipiendo pallio nauigatione plura refert lib. 13. cap. 23. alter Willelmus eiusdem ciuitatis Archiepiscopus, qui tunc tantùm puer erat, & anno demum 1174. ad eum thronum euectus est.

Anno Christi MCXXVIII. *Ludouici Crassi* 20. *Guillelmus de Ipra, Roberti Marchionis Morinorum filius nothus, in manus Guillelmi Clitonis, cui plurimùm aduersabatur, venit apud Triam castrum Vilcassini, & ad Amalricum de Monteforti transmissus est. Ipse verò Guillelmus Clito, siue Longaspatha dictus, Flandriæ Comes, cum aggregato exercitu mense Iulio iuncto secum Godofredo Louanienſium Duce castrum Alosti obsedit, & paulò pòst ex sauciatæ manus plaga, cui se sacer ignis immiscuit, totúmque brachium vsque ad cubitum instar carbonis denigrauit, quinque diebus ægrotans, scelerúmque pœnitens Monachatum petiit, & Dominici Corporis perceptione cum confessione munitus obiit, sepultúsque est in cœnobio Sithiensi apud S. Bertinum. Diem mortis designat Epitaphium.*

Lúxque Kalendarum Sextilis quinta rediuit,
Cùm pugnax ad Alost ferro plagatus obiuit.

Interim Henricus Anglorum Rex, qui in Normanniam anno præcedenti venerat, hostiliter perrexit in Franciam & apud Hesparlum, aliàs Sparnum, octo diebus tam securè, ac si in regno suo esset, perendinans, compulit Ludouicum Regem non ferre auxilia Comiti Flandrensi Guillelmo, cui ex amborum Regum consensu successit Theodericus de Alsatia aliis dictus Tericus de Auxeis seu Auxensis filius Theoderici Strenui Lotharingiæ Ducis, & Gertrudis Roberto Frisio natæ, & post aliquot annos defuncta priore sua coniuge Sibyllam Andegauensem Guillelmi prædecessoris sui sponsam in vxorem accepit, ac Grauelingam oppidum condidit. Plura de his subministrabunt Robertus Montensis, Ordericus Vitalis, qui nonnulla de Merlino inserit, & Anselmus Gemblacensis, qui addit I. Adalberoni Episcopo Leodiensium, qui in cœnobio S. Ægidij à se fundato sepultus est, Alexandrum Archidiaconum ex Clero S. Lamberti 15. Kal. Aprilis consecratum Ep. II. In Litania Maiori 3. Idus Maij, feria 2. Coloniæ tempestatem, &c. *III. Cœnobium de Dunis in Flandria constrúi cœptum à Fulcone, qui natione Biturix, è Sauiniacensi in Normanniæ Britanniæque confiniis cœnobio eductus Monachus, primus fuit Abbas Ligerio Anachoretâ mortuo.*

IV. Lotharium Regem Alamannorum longa obsidione vrbem Spirensem cinxisse nullo successu : sed de turbis illis Germanicis plura Otto, Dodechinus, & alij. Ex Chronico Hildensheimensi pauca hæc decerpo : Circa festum S. Ioannis Bapt. Rex expeditionem contra Conradum fratrem Frederici Ducis mouit, obseditque vrbem Spiræ, acceptísque obsidibus circa festum S. Martini discessit. *Obiit Gaufridus Do-*

minus Exoldunensis Odonis filius ex Chronico Dolensi. Hugo de Paganis Magister Militum Templi ex Anglia reuersus in Galliam, multos secum duxit Hierosolymam, in iis Fulconem Andegauorum Comitem, cui Rex Balduinus mandauerat, inquit, Auctor Chronici Andegauensis, vt fieret gener suus, regnóque Hierosolymitano succederet. Guarimundo Patriarchâ mortuo Sidone suffectus est in eius locum Stephanus Abbas S. Ioannis Carnotensis, de quo similibúsque multa pro more Tyrius. Iacobus Clericus de Venetia transtulit de Græco in Latinum quosdam libros Aristotelis, & commentatus est; scilicet Topica, Analytica priora & posteriora, atque Elenchos, quamuis antiquior translatio super eosdem libros haberetur, *inquit Robertus de Torinneio, Abbas postea de Monte S. Michaëlis, quem hoc anno ferunt Becci assumpsisse habitum Religionis. Vide pag. 349. Nouæ Bibliothecæ.* De Ioanne de Temporibus nonnulla diximus in Chronico Technico, quæ repetere non est operæ pretium, cùm laudati à Caluisio Vincentius, Nauclerus, Martinus Cramerus huic fabulæ fidem facere nequeant Cordatis Chronologis. De Pandectarum inuento volumine, Irnerio seu Wenhero, qui primus iubente Lothario Romanum ius in Italiâ profiteri cœpit, consule Sigonium, *&c.* Baronius ex veteri Pontificali refert à Petro Cardinale celebratâ Rauennæ Synodo depositos Aquileiensem, & Venetiarum Patriarchas. *Indictione 7. iam inchoata Goffredus Rotomagensis Archiep. post ægritudinem diuturnam 7. Kal. Decembris hominem exuit, cùm paullo ante Rege Henrico, Matthæo Cluniacensi Monacho Romanæ Ecclesiæ Legato, Episcopis, & Abbatibus Normanniæ præsentibus, in Rotomagensi Capitulo decreta quædam propalata fuissent, quæ repræsentabit otiosis Ordericus, nam nobis indicasse modo sufficit. Quæ sub Roberti Montensis nomine iampridem prodiit Appendix ad Chronicon Sigeberti, duo obseruat. I. de multis sacro igne succensis, in Ecclesia B. Mariæ Suessionensi sanatis, vt pleniùs referebat libellus eorumdem Miraculorum. II. In Laudunensi Ecclesia S. Ioannis eiectis monialibus substitutos Monachos, quorum primus fuit Abbas Drogo, qui postea Cardinalis creatus est ab Innocentio Papâ.*

Anno Christi M C X X I X. *Ludouicus Crassus anno regni sui labente 21. Philippum filium suum natu maiorem Remis in die Paschæ 14. Aprilis coronari iussit à Rainaldo II. Remorum Archiepiscopo in maxima Procerum, Episcoporum, atque Abbatum regni frequentia.* Or-

dericus rectè aduertit eum post biennium de equo elapsum obiisse, vnde arguas Henricum, Rogerium, aliósque, ex quibus mutuatus est Caluisius, qui vel hoc vel seq. anno ex equo præcipitem expirasse docuerunt. Idem Ordericus auctor est Goffredum Andegauorum Comitem, & Mathildem Henrici Regis Anglorum filiam Henrici Imp. viduam à Turgiso Sene Abrincatum Præsule Pontificali benedictione coniunctos. Subdit deinde Fulconis iter Hierosolymitanum, cui Balduinus filiam tradidit, & regnum cum diademate obtulit, quod ille socero viuente ferre recusauit. Arguit verò quod minus callidè futura præuiderit, nimísque festinè Præposituras aliásque dignitates mutauerit, &c. Chronica Andegauensia Gaufridum docent honore adepto ad Partheniacum duxisse exercitum, & an seq. ad Mirabellum, dein firmasse Castrumnouum, &c. Multa tradit Anselmus Gembl. ex quibus pauca pro more seligam. I. Prælium apud Duracium 7. Idus Augusti feria 4. inter Alexandrum Leodiensem Ep. & Godefridum Comitem Louaniensem magnâ vtrimque strage. II. Plagam ignis diuini siue ardentis Parisios, Carnotum, Suessionem, Camaracum, Atrebatum, & alia multa loca mirabiliter peruasisse, sed mirabiliùs per sanctam Dei Matrem extinctam: in cuius Ecclesia Parisiensi centum, & tres vno die sanati, similiter in Suessionensi, in Carnotensi vbi Camisia habetur eiusdem Virginis, aliísque: Synodus Catalauni peracta dicitur iussu Matthæi Albanensis Ep. Card. S. R. E. Legati, in qua lis composita est inter Episcopum, & Clerum Virdunensem, abdicante se Pontificatu Henrico, cui successit Vrsio Abbas S. Dionysij Remensis. Vide S. Bernardi Epistolas 13. & 48. & Dodechinum, qui præmittit Haluerstatensem Episcopum à suis Canonicis Romæ iniquè accusatum à Legato Papæ depositum. *Roberti nomine vulgata Appendix tria refert. I. S. Norbertum in Ecclesia Præmonstratensi successorem sibi elegisse Hugonem qui ab initio paupertatis suæ socius fuerat. II. Sui ordinis fratres collocasse in Ecclesia sanctæ Mariæ Magdeburgensis loco Canonicorum sæcularium. III. Vrsicampi cœnobium fundatum à Simone Noviomensi Præsule, Valeranno primo Abbate, qui primus ex nobilioribus personis Clarævallem sua conuersatione illustrarat.* Spira secundò fuit à Lothario Imperatore obsessa ab Idibus Iunij vsque ad Kalendas Ianuarias, ex Dodechino, ad quem accedit Chron. Hildensheimense, quamquam redditam vrbem asserat in festo SS. Innocentium, cùm Rex Natalem Domini cum multa Principum suorum frequentia in tentoriis celebrasset. Differunt tamen Anselmus Gemblacensis Trithemius, & qui-

dam alij in diem 3. Nonarum Ianuarij, feriámque 6. anni ſequentis. De Concilio Londonienſi in Anglia aduerſus vxores Sacerdotum Kal. Auguſti celebrato plura Huntindonienſis Archidiaconus, ex quo Rogerius, Robertus & ſimiles, & de ſuperatis in obſidione Damaſcena Chriſtianis, quos in Orientem duxerat Hugo de Paganis. Verùm alij cladem hanc differunt in an. ſeq. de quâ conſule Tyrij Hiſtoriam.

Anno Chriſti MCXXX. *Ludouici Craſſi* 22. Honorius II. Romanus Pontifex obiit die 24. Februarij, vel vt alij 14. in monaſterio S. Andreæ, ſepultúſque eſt in Eccleſia Lateranenſi, cùm ſediſſet annis 5. ac duobus ferè menſibus. Eodem die Gregorius Card. S. Angeli, dictus Innocentius II. ſucceſſit, cui ab aliis paucis obiectus eſt Petrus Leonis Card. Tituli S. Mariæ Tranſtiberinæ, cui nomen fuit Anacletus II. Huic Rogerius, Siciliæ Dux, Romani, Mediolanenſes, Aquitaniæ Dux cum ſuo Geraldo Engoliſmenſi Epiſcopo, & pauci alij adhæſerunt, vnde verſus:

Romam Petrus habet, totum Gregorius orbem.

De hoc ſchiſmate plura Sugerius, S. Bernardus, eiúſque vitæ auctor Abbas Bonæuallis, Petrus Venerabilis, Anſelmus Gembl. Otho, aliíque paſſim, ex quibus fusè Baronius qui de titulo Regio Rogerij ac Monarchia Sicula quædam inſeruit non omittenda curioſis Lectoribus. De eodem hæc Ordericus p. 898. Vehementi violentia creuit ac primus de Tancredina progenie Regalem thronum conſcendit, filiam Petri Leonis ſororem Anacleti Pontificis vxorem duxit, & ab eodem coronatus Regium ſtemma nunc gerit. Innocentius Româ fugiens, Italiáque relicta, *appulit ad S. Ægidium & Cluniacum venit, tum celebrato apud Clarummontem in Aruernis Concilio, aliud Stampis conuocauit, Ludouicum Regem cum Regina, & filiis occurrentem Floriaci ad S. Benedictum ſuper Ligerim, Henricum verò Anglorum Regem Carnoti excepit; &c. De Concilio Anicienſi videndus Guigo Prior Cartuſiæ in Vita S. Hugonis Ep. Gratianopolitani, & de Legatione Ioſleni Sueſſionenſis Epiſcopi cum S. Bernardo ad Vvillelmum X. Aquitaniæ Ducem à Gerardo Engoliſmenſi dementatum, Bernardus Abbas Bonæuallis lib. 2. cap. 6. nec omittendum grauiter aberraſſe Baronium, Spondanum, alióſque qui quæ de Vvillelmo IX. huius X. patre dixerunt Vvillelmi, Malmeſburienſis, & Tyrius in Hiſtoriis Anglicana & Hieroſolymitana in hunc congerunt. Peronæ Eccleſia*

S. Furſei penitus comburitur, & Eccleſia S. Petri in Louanio cum toto oppido, inquit Gemblacenſis Abbas, qui & de Aiberto Rec'uſo & Hugone Victorino. Thomas de Marla Codiciaci Dominus peſſimus Eccleſiæ perſecutor à Rege Ludouico cum exercitu impetitus, & à Radulfo Viromandorum Comite in vltionem Henrici fratris ſui vulneratus & captus, Lauduni mortuus eſt, ex Roberti Appendice, quæ etiam admonet Ioanni Morinorum Epiſcopo Milonem Abbatem S. Iudoci in Nemore, & Roberto Atrebatenſi Aluiſum ſimiliter Abbatem Aquicinenſem ſucceſſiſſe, quæ in annum ſeq. differunt alij Chronographi. Eodem anno Hugo, qui fuerat Abbas Radingenſis in Anglia, conſecratus eſt Rotomagenſis Archiepiſcopus in feſto ſanctæ Crucis die Dominica in Eccleſia S. Audoëni: & Henricus nepos Regis ex Adela ſorore Cluniacenſis Monachus factus eſt Vvintonienſis in Anglia Ep. Robertus Montenſis differt in annum 1133. *decétque Glaſtonienſem Abbatiam quâ iam donatus fuerat, vſque ad obitum cum Epiſcopatu retinuiſſe.* Gratianus Ep. Cluſinus, inquit Robertus editus poſt Guibertum coadunauit Decreta valdè vtilia, quæ poſtmodum abbreuiauit Omnebonus Ep. Veronenſis qui fuerat eius diſcipulus.

ANNO ÆRÆ CHRIST. MCXXXI. *Ludouici Craſſi* 23. *Innocentius Papa multo Epiſcoporum, & Abbatum Comitatu è Franciâ Nouiomo ac Camaraco Leodium venit die* 11. *Kal. Aprilis ſeu Dominica tertia Quadrageſimæ à Lothario Rege & Præſulibus, tam Lotharingis, quàm Tranſrhenenſibus, muneribus honoratus. Idémque Dominica in medio eiuſdem Quadrageſimæ cum curribus, & rhedis ab Eccleſia S. Martini in publico monte quaſi Romæ via triumphali vſque ad Capitolium S. Lamberti aſcendit, Miſſam celebrat, Regem Reginámque coronat. Addit idem Anſelmus. I. Vltraiectum ex maxima parte concrematum. II. Hugonem Candauenam exortis inimicitiis contra oppidanos S. Richarij in Pontiuo oppidum cum Eccleſia combuſſiſſe. III. Fredericum Coloniæ Archiepiſcopum obiiſſe ſuccedente Brunone. IV. Monaſteria Valcellenſe in agro Cameracenſi & Aureæ vallis apud Treueros inchoata, de quibus & de Parco ſeu Viuario ferarum prope Louanium plura Miræus. Idem Pontifex Innocentius Eccleſiam Maioris Xenodochij, quod S. Ioannis vocant, Bruxellæ dedicauit, deinde Baſilicam ſancti Medardi in ſuburbio Sueſſionicæ ciuitatis: tum Remos venit poſt feſtum B. Lucæ vbi Concilium habuit cum* 300. *Epiſcopis & Abbatibus; de quo videndi Sugerius in vita Ludouici Groſſi,*

Dode-

Dodechinus, Chronica Mauriniacense, Gemblacense, Altissiodorense, & plurima alia, cum iis, qui Vitas scripserunt SS. Norberti atque Bernardi. In reditu Pontifex Claramuallem ac Cluniacum adiit, vt pluribus Baronius, de dissidiis sanctorum illæsâ charitate feruentibus non iniucunda obseruans, multáque exscribens ex vulgari Appendice ad Sigebertum, quam ab aliquo Præmonstratensi in Picardia viciníque locis commorante scriptam potiùs arbitror, quàm à Roberto Abbate S. Michaëlis de Monte, sub cuius nomine iampridem prodiit. Philippus Rex in Grauia Parisius equo lapsus paulò pòst obiit die 13. Octobris, eiúsque frater Ludouicus Florus siue Iunior dictus annos decem natus à Ludouico patre Remos deductus à Romano Pontifice concilium celebrante in Regem vnctus, & coronatus est die Dominica 8. Kalend. Nouembris in festo SS. Crispini & Crispiniani. De vtroque plura Ordericus lib. 13. Sugerius, Gembl. Abbas, Continuator Aimoini cap. 51. Henricus, Robertus, Rogerius, Mauriniacense Chronicon, vt recentiores sileam. De nece Hugonis Decani, qui ad Aurelianensem Præsulatum electus erat postquam Ioannes senex illum deseruisset, & Thomæ sancti Victoris Canonici interfectione, quam Stephanus Parisiensis Episcopus cum ingenti mœrore contemplatus est, vide eumdem Ordericum, & epistolas 158. & 159. sancti Bernardi & 13. lib. 3. Petri Cluniacensis Abbatis, ex quibus multa pro more Baronius. Omisit tamen Concilium Iotri celebratum ab Episcopis diœceseon Remensis, Rotomagensis, Turonensis & Senonensis, mandato Gaufredi Ep. Carnotensis S. R. E. Legati: cuius Synodi decretum in homicidas ampliauit Innocentius in epistola, quam vide in Notis ad epistolas sancti Bernardi. Balduinus II. de Burgo nominatus Hierosolymorum Rex tertius, 11. vel vt alij 18. Kalendas Septembris obiit, in eiúsque locum Fulco Comes, non Turonensium, sed Andegauensium, subrogatus est, vt Ordericus, Tyrius, aliíque. *Henricus Angliæ Rex, cùm Rotomagi post Pascha Innocentium Papam excepisset*, in Angliam æstate rediit, adducens secum filiam suam Matildem, quam ex placito cum Principibus apud Nordhantonam in Natiuitate B. Mariæ celebrato, ad Gaufredum Andegauensem Consulem maritum eam requirentem transmisit, vt docent iisdem pene verbis laudati à nobis soliti Historiæ Anglicæ Scriptores. Stephanus Hungarorum Rex sine liberis decessit, cùm priùs in pœnitentiæ signum monasticum habitum induisset. Successit ex eius testamento cognatus Bela pietate insignis Princeps. De Concilio Mo-

guntinenſi adi Dodechinum, & de conſecratione Præſulum Bruni Colonienſis, & qui Meghinero ſucceſſit Adalberti Treuirenſis.

Anno Chriſti MCXXXII. *Ludouici Craſſi* 24. *S. Hugo Gratianopolitanus Epiſc. octogenarius cùm Eccleſiam illam* 42. *annis gubernaſſet, ad ſuperos tranſiit die* 1. *Aprilis, cuius vitam virtutibus plenam Guigo Cartuſiæ Prior præcepto Innocentij Papæ deſcripſit eleganti, vt aiunt, ſtylo. Conuentus Monachorum cum Abbate ſuo Rodulfo ex Anglia oriundo venit Kal. Auguſti ad Valcellas haud procul Camaraco, adducente B. Bernardo ex fide Abbatis Gembl. Goffridus Vindocinenſis Abbas per ea tempora doctiſſimus* 7. *Kal. Aprilis obiit Andegaui, dum Monaſterium S. Trinitatis paulò ante cum toto burgo de Aquaria combuſtum adiiſſet. Fromenius ei ſucceſſit ab Epiſcopo Carnotenſi ægrè conſecratus, vt docent pluribus Chr. Andeg. pag.* 289. *Nouæ Bibl. MSS. Librorum. Fara caſtrum à Ludouico Rege Francorum obſidione cingitur à Nonis Maij vſque ad* 7. *Idus Iulij, nec tamen capitur. Tandem affinitatis confederatione pacem inierunt. Ingelrannus quippe eiuſdem caſtri Dominus neptem Radulfi Comitis ex ſorore accepit in coniugium, ex Appendice vulgari ad Sigebertum.* Lotharius Rex collectis viribus circa Aſſumptionem B. Virginis in Italiam profectus eſt pro conſecratione ſua ab Apoſtolico in Cæſarem apud Romam, vt loquitur Chron. Hildensh. quod meminit conflagrationis Auguſtanæ ciuitatis, & tranſlationis S. Godehardi, de quibus conſulendæ Additiones ad Lambertum Schafnaburg. Innocentius Papa Aſtæ in Lombardia celebrato Paſchate, Placentiæ Concilium habuit, dein cum Lothario in Roncaliis de ſtatu Eccleſiæ atque Imperij collocutus, Piſas contendit, Sanctis Norberto & Bernardo inter cæteros comitantibus, eámque ciuitatem cum Genuenſi reconciliatam priuilegiis ornauit. De Beneuentanis & Rogerio aliiſq; Anacleti fautoribus conſulendi Petrus Diaconus & Chr. Beneuent. *Petrus Cluniacenſis Abbas, teſte Orderico lib.* 13. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, qui præſens ipſe interfuit, veredarios & epiſtolas per omnes Cellas ſuas direxit, earúmque Priores omnes accerſiit, vt Cluniaci adeſſent die Dominico tertio Quadrag. vt præcepta monaſticæ conuerſationis auſteriora, quàm hactenus tenuerant, audirent. Adfuiſſe ibi narrat fratres* 1212. *cum Radulfo Antiſſiodorenſi Ep. Abbatibus Alberico Vizelienſi, & Adelardo Meldunenſi, iiſque æmulatione Ciſtercienſium aliorúmque qui noua inſtituta ſectabantur, aucta ieiunia, ablata colloquia, & infirmi corporis quædam*

subsidia, quæ illis hactenus permiserat moderata Patrum clementia. Subiungit tamen eumdem postea emollitum atque inualidis compatientem, perplura de grauibus institutis, quæ proposuerat, intermisisse.

Anno Christi MCXXXIII. *Ludouici Crassi* 25. *die* 3. *Nonas Martij in urbe Cenomanensi natus est Henricus filius Gaufredi Comitis Andegauorum, & Mathildæ Imperatricis, vt Robertus de Monte testatur cum Chronicis Andegauensi, Fiscanensi, &c. Auus eius Henricus I. Angliæ Rex eadem die* 2. *Augusti, quâ Sol defecit feria* 4. *ex Anglia soluit, in eam numquam reuersurus; de ea hæc Rogerius: Eclipsis Solis circa horam diei sextam ita vt totus orbis Solis, quasi nigro scuto videretur obtectus. Eodem die nonnullis ob periculi metum prohibentibus, & dissuadentibus Regi, ne transfretaret, Rex tamen feliciter mare transiit. Plura Vvillelmus Malmesburiensis lib.* 1. *Historiæ nouellæ mihi pag.* 177. *Anno* 32. *regni pridie transacto Henricus Nonis Augusti (corrigesis mecum,* 4. *Nonas) quo die quondam apud Vvestmonasterium coronæ culmen acceperat, Normanniam nauigauit. Erant tunc Nonæ (iterum iterúmque postea idem mendum elue) Augusti, & feria* 4. *prosecuta sunt elementa, &c. quæ Lectoris otio permitto.* Lotharius cum Papa Innocentio Veterem Romam ingressus eum in Patriarchio Lateranensi collocauit (Anacleto Antipapâ domum Crescentis siue Molem Hadriani, & Basilicam Apostoli Petri occupante) & ab eo Imperator Romanorum coronatus est die 6. mensis Iulij, cúmque frustra diúque in componendis Ecclesiæ dissidiis laborasset, in Germaniam ipse rediit, & Pisas Innocentius, vt discès ex Falcone, Ottone, Orderico, Roberto, Auctoribus Vitarum SS. Nortberti atque Bernardi, Anselmo, *&c.* Alfonsus, siue, vt Ordericus scribere amat, Hildephonsus, Aragonum Rex, exercitu aggregato munitissimum ditissimúmque castellum Meschinaz per tres septimanas coarctauit, captósque ciues detruncauit. Inde ad ciuitatem Fragam exercitum duxit, annua ipsam obsidione vallauit, & de Amorauiis ex Africa subsidio submissis victoriam reportauit, vt prolixiùs narrat mox laudatus huius temporis scriptor, quem Marianæ aliísque Hispanis adiungere Lector non dedignabitur.

Anno Christi MCXXXIV. *Ludouici Crassi* 26. *Gaufredus Abbas S. Maxentij obiit* 5. *Idus Ianuarij, vt discimus ex Chronico quod Malleacense dicitur. Obiit quoque* 6. *Iunij feria* 4. *Pentecostes S. Nortbertus Archiep. Parthenopolitanus seu Magdeburgensis, Pra-*

monſtratenſis Ordinis fundator, ab expeditione Italica in Germaniam reuerſus, cuius vitam ſcripſit Hugo Monachus & Archiepiſcopus eius ſucceſſor, laudes verò dixere S. Bernardus, Petrus Cluniacenſis, Robertus in vulgata Appendice Sigeberti, altérque Robertus S. Mariani Monachus, Anſelmus, &c. Gaufridus Secundus, Gaufridi Andegauenſis Comitis filius natus eſt pridie Kal. Iunij circa feſtum Pentecoſtes, ex Roberto Montenſi & Chronicis Andegauenſibus, in quibus celebratur exercitus de Candeio. Robertus Dux Normannorum, Curta ocrea per iocum vulgò dictus, Guillelmi Conquæſtoris maior natu filius, 28. anno, ex quo apud Tenerchebraicum captus eſt, menſe Februario Carduili in Britannia obiit, & Gloeceſtriæ in cœnobio S. Petri ſepultus eſt, ex Orderico, Montenſi, &c. Notant quoque Henricus & Rogerius Henricum eius fratrem in Normannia moratum pro gaudio nepotum ſuorum, quos de eius filia genuerat Conſul Andegauenſis. Recitat Anſelmus Gemblacenſis epiſtolam Clericorum Maliſnenſis in Brachanto Eccleſiæ de lupo rabioſo, qui intra corpus ſuum colubros habebat viuos, plurimúmque commendat Theobaldum Comitem Bleſenſem & Carnotenſem. Addit & alia de maris exundatione, & de ædificatione eremi Montis Dei. Innocentius Papa in Synodo Piſis celebrata Anacletum eiuſque fautores excommunicauit, & Hugonem Ep. Gratianopolitanum in ſanctos retulit. Præſules & Abbates in reditu à Schiſmaticis capti & expoliati ſunt, vt diſces ex Epiſtola Petri Cluniacenſis Abbatis 27. lib. 3. Mediolanenſes operâ S. Bernardi reconciliantur ſummo Pontifici, atque inter Lotharium Imp. & Conradum Sueuorum Ducem pax in Germania compoſita, ex Othone, Vrſpergenſi, Annalibus Sueuicis, ac Bernardo auctore Vitæ S. Bernardi. Ordericus pluribus exponit prælium apud Fragam in Campo-dolenti inter fluuios Sicorim & Eburam menſe Iulio, in quo *Haimarus de Narbona, Centulfus Gaſtonis de Biara filius*, aliíque cum multis millibus perierunt à Saracenis interfecti. Ipſe quoque Alfonſus Rex, Pugnax vulgò dictus, laboribus & ærumnis fractus paullo poſt ægrotauit, & in lecto decumbens, poſt octo dies animam exhalauit in introitu Autumni. Addit ab Aragonibus, quia Alfonſus abſque filiis obierat, electum fuiſſe in Regem Remigium (Ranimirum) Sacerdotem & Monachum, quia frater Regis erat; Nauarros verò Garſionem Satrapam ſibi Regem conſtituiſſe: Sed de his conſulesis Hiſpanos Scriptores, neque enim ad viuum omnia reſecare decreui

tam anguſtis limitibus circumſcriptus. Sufficiat verba Chronici Maſſilienſis ex pag. 340. Tomi I. Nouæ Bibliothecæ huc transferre. Rex Aragonenſis Alfonſus triceſimo anno regni ſui poſt plurima bella, quæ geſſit cum Moabitis, apud Hiſpaniam, & poſt totius Hiſpaniæ luſtrationem apud Fragam debellatur ab eiſdem in obſidione ipſius vrbis, nec multo poſt apud Almuniem caſtrum diem clauſit extremum. *In prima Septembris ſeptimana Cenomanis, Carnotum, Alencio, Vernolium, & alia oppida igne concremata, vt pauca hæc è multis delibem, quæ de ſimilibus portentis refert Ordericus Vitalis diligentiſſimus illius ætatis ſcriptor.*

Anno Chriſti MCXXXV. *Ludouici Craſſi* 27. *Hugo Rotomagenſis Archiepiſcopus, curis Apoſtolicæ ſeruitutis in Italia cum Pontifice occupatus proprij Præſulatus curas aliquamdiu intermiſit, quod diſpliciuiſſe dicit Ordericus Henrico Regi, qui Richardo nepoti ſuo notho Roberti Gloceſtriæ Comitis filio Baiocenſem Epiſcopatum diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ tribuit, & Abrincatenſem Ricardo de Belfago. Idem Rex de Guallorum factionibus ſollicitus ordinata prudenter Normannia transfretare ter conatus eſt in Angliam, ſed turbis à Goffredo genero ſuo, Guillelmo Talauacio, Rogerio Toënite, aliiſque excitatus præpeditus, viuus Angliam videre à Deo permiſſus non eſt. Ludouicus interim inchoato iam regni ſui anno 28. exinanitione diarrhœæ attenuatus ægrotabat, mortiſque metu domum ſuam diſponens, præcipuos Gallorum Optimates, Tedbaldum Bleſenſem, atque Radulfum Parronenſem accerſiit, eóſque, quia diſcordes erant, pacificauit. Filio quoque ſuo Ludouico-Floro regnum Galliæ commiſit, quem ante triennium Regem Remis conſtituerat, & ab Innocentio Papa cum Synodo* 13. *Archiepiſcoporum &* 263. *Epiſcoporum* 10. *Kal. Nouembris (imo* 8.*) coronari fecerat. Hoc circiter tempore Guibertus B. Mariæ de Nouigento prope Codicianum in diœceſi Laudunenſi Abbas ſcribebat librum de Pigneribus ſanctorum ad Odonem ex S. Symphoriani Abbate poſtea Bellouacenſem Epiſcopum, ex quo pauca hæc delibaſſe haud fuerit ab inſtituto noſtro alienum:* Dominum noſtrum inquit ſub finem capitis I. libri ſimiliter I. Ludouicum Regem conſuetudinario vti videmus prodigio: hos planè qui ſcrophas circa iugulum aut vſpiam in corpore patiuntur, ad tactum eius, ſuperaddito Crucis ſigno, vidi cateruatim, me ei cohærente, & etiam prohibente concurrere: quos tamen ille ingenita liberalitate ſerena, *vel vt alij aptiùs*, Scœua ad ſe manu obuncans, humillimè conſignabat. Cuius gloriam miraculi cùm Philippus pater eius

alacriter exerceret, nescio quibus incidentibus culpis amisit. Super aliis Regibus qualiter se gerant in hac re supersedeo, Regem tamen Anglicum neutiquam in talibus audere scio: *Hæc ille, quæ meridiana luce clarius dispellunt Chiffletij, similiúmque φεγλρομαςιγων offucias hæreditariam Regibus Christianissimis, saltem è Capetinâ familia oriundis, sanandi chœradas à Deo Opt. Max. iampridem concessam virtutem, atque in Hispanis, Sequanis, Subalpinis aliísque quotidiana experientia contestatissimam impudentissimè iuxta ac mendacissimè inficiantibus. Goffredus Carnotensis Episcopus Sedis Apostolicæ per Aquitaniam Legatus cum S. Bernardo Clarauallensi Abbate conuenit Partheniaci Vvillelmum X. Aquitaniæ Ducem Comitémque Pictauorum, quem dementauerat Gerardus ex Engolismensi Ep. Burdegalensis Metropolitanus Anacleti Antipapæ partibus addictissimus, eúmque ad pacem Ecclesiasticam atque obedientiam Innocentij Papæ cum vniuerso Principatu suo reuocauit, vt copiosiùs enarrat Bernardus Abbas Bonæuallis, & Theobaldus ille, quisquis tandem cuiásve fuerit Episcopus, qui trium quatuórve Villelmorum res gestas in vnam coacernauit historiam, quam exhibet Surius die 10. Februarij. mortem Gerardi impœnitentis subitaneam absque confessione & viatico, eiúsque iussu eiusdem Goffredi S. R. E. Legati exhumationem idem Bernardus Abbas refert, quem Besly us, aliique nescio qui eius exscriptores vellicare audent, auctoritate nixi Anonymi cuiusdam, qui Engolismensium Consulum atque Episcoporum res gestas nondum luci publicæ commissas scriptis mandauit. Die proxima mortis suæ, inquit, accepimus, quod in confessione sua Sacerdotibus dixerit, si partem Petri Leonis contra voluntatem Dei ignorans manu tenuerit se confiteri & pœnitere. Sabbato autem Missam celebrans maxima deuotione, & effusione lacrymarum sequenti die Dominica migrauit à sæculo, &c. deinde subdit: Et illud magnificum sidus, quod claritate sua partes occiduas illustrauerat proh dolor! extra Ecclesiam, quam ipse ædificauit, sub vili latet lapide. Quæ sanè verba schismaticum adeóque & mendacem scriptorem redolent, ac Goffredo infensum, cuius iussu exhumatum fuit cadauer Gerardi, & aliò proiectum. Successit ei in Episcopatu Lambertus Coronæ fundator, de quo supra diximus. Bernardus primus ex Francis Patriarcha Antiochenus obiisse dicitur in Chronico Abbatis Gemblacensis. Henricus Anglorum Rex 7. Kal. Decembris in castrum Leonis siue apud S. Dionysium in siluam Leonum venit, constitutísque venatoribus, vt seq. die venatum irent, cùm murænarum carnes sibi vetitas noxiásque comedisset, nocte ægritudinem incurrit, & à feria 3. vsque ad Do-*

minicam lethali morbo laborauit, vocatóque Hugone Rotomagi Archiep. & accepta à sacerdotibus pœnitentiâ, oleíque sacri vnctione delibutus, & sancta Eucharistiâ refectus obiit Kal. Decembris incipiente nocte, cùm regnasset annos 35. & 4. menses. Corpus eius postridie delatum est Rotomagum, tum Cadomum in Ecclesiam S. Stephani, vbi seruatum est donec post natale Domini impositum naui transuectum est in Angliam, & Radingis, vbi cœnobium 200. Monachorum in honorem S. Trinitatis condiderat, honorificè sepultum, præsentibus Stephano Rege, Guillelmo Cant. Arch. aliísque. Stephanus iste Bononiensis Comes auditâ morte auunculi sui protinus transfretauit, & à Præsulibus & Principibus Angliæ susceptus regale fastigium ascendit, & 18. Kal. Ianuarij coronatus est, vel vt alij malunt die 22. Decembris Dominicâ. *Normanni Tetbaldum Blesensem Comitem fratrem eius apud Nouumburgum conuenientes illi præferre voluerunt, qui Lexouias venit sabbato ieiunij decimi mensis, cúmque ex Anglia venisset nuncius coronatum fuisse susceptúmque ab omnibus Stephanum, ipse in Franciam reuersus est. Gaufridus verò Comes Andegauensis, vt mortem soceri audiuit, præmissâ in Normanniam Mathilde vxore, Argentonum, Oximos, Damfrontem, aliáque oppida subegit, & cum Guillelmo Talauacij Comite Pontiui, alíque crudelia multa peregit. Plura Ordericus, Malmesb. qui epistolam Hugonis Rotomagensis Archiep. ad Innocentium Papam recitat, Robertus, Henricus, Regerius, Neubrigensis qui an. seq. natum se innuit, aliíque, vt de Anonymis sileam.* Alfonsus VIII. Legionensis Rex æra 1173. Ludouici Francorum Regis labente anno 27. die sacra Pentecostes 26. Maij ab Archiepiscopo Toletano iussu, vt volunt, Innocentij Papæ coronatus est Imperator, qua de re ac similibus consulendus præ cæteris Mariana. Fulco Hierosolymitanus Rex Cæsaream Philippi obsidet, eámque deditione accipit, vt ex Tyrio disces. Dominica ante mediam Quadragesimam 16. Kal. Aprilis Fridericus Sueuorum Dux Bambergæ cum Imperatore sociatur, eiúsque frater Conradus in festo S. Michaëlis in loco, qui dicitur Mulenhusem, ex Chronico Hildensheimensi.

Anno Christi MCXXXVI. *Ludouici Crassi 28. quem non secus ac Guillelmum Aquitaniæ Ducem hoc anno decessisse mendosè asseruerunt Baronius, eúmque pro more sequuti Spondanus, Caluisius, &c. Cœnobium S. Vedasti Atrebatensis concrematum est, teste Anselmo Abbate Gemblacensi, quo, vt in Auctario adiungitur, paullò pòst defun-*

cto, de substituendi Abbatis electione inter Godefridum Ducem Louanien-
sem, & Comitem Namucensem multo tempore decertatum est. Mons Castrilocus cum templo S. Vvaldetrudis deflagrauit, & Monasterium S. Dionysij in Broqueroia apud Hannones. Post Alexandrum Adelbero ex Clero Metensi assumptus datur Leodicensibus Episcopus, & Bituricensibus defuncto Vulgrino 6. Idus Ianuarij cùm sedisset an. 15. Albericus ex Archidiacono Remensi vir ea ætate eruditionis ac pietatis laude præstantissimus, de quo Otho Frisingensis lib. I. cap. 47. de rebus Frederici, Richardus Pictauinus in Chronico pag. 619. Partis II. nostrorum Miscellaneorum, aliíque plures. Obiit Hugo Antissiodorensis Ep. & in Ecclesia S. Germani, vbi prius fuerat Abbas, sepelitur: Succedit Hugo Pontiniaci primus Abbas, & apud Ferrarias à Gaufredo Ep. Carnotensi consecratur. De vtroque Robertus S. Mariani & Anonymus Tomo I. Nouæ Bibliothecæ, qui res gestas Antissiodorensium Antistitum memoriæ commendauit. Hoc fermè tempore scripta perhibetur epistola 174. S. Bernardi ad Canonicos Lugdunenses quos redarguit, quod Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis diem festum agerent, nondum id approbante Romana Ecclesia, cuius auctoritati & examini, totum illud, cæteráque omnia vellet reseruari. Vvillelmus tertius Gaufridi Comitis Andegauensis filius nascitur 11. *Kalendas Augusti, ex Chronicis Andegauensibus.* Stephanus Anglorum Rex exercitum in Scotiam duxit, & cum Dauide Rege pacem iniit, ex Henrico, Roberto, Rogerio, *&c. Tetbaldus Comes tertia septimana Iunij Pontem sancti Petri obsedit; obiit Boso Beccensium Abbas. Rotomagus igne combusta est tertia septimana Septembris cum cœnobiis SS. Audoëni atque Amandi. Sequenti dominico* 11. *Kal. Octobris Gaufridus Andegauensis Comes Sartam pertransiuit, & cum Guillelmo Pictauensium Duce (nondum ergo is obierat) & Comitibus Gaufrido Vindocinensi, Guillelmo iuniore Niuernensi, Guillelmo Talauacio Pontinensi, &c. Normanniam intrauit, cuncta igne ferróque vastans. Plura suggerent curiosis Ordericus & Robertus Montensis.* S. Leopoldus Austriæ Marchio obiit succedente filio cognomine natu minimo. Lotharius Imperator circa B. Virginis Assumptionem susceptа in Italiam expeditione, Langobardiam percurrens, pleráſque ciuitates ad obsequium compulit, compositis earum dissidiis, ac redintegrato cum Venetis fœdere, *&c.* De Ioanne Græcorum Imperatore, post aliquot in Cilicia victorias aduersus Barbaros irrumpentes reportatas, Latinorum vrbes inuadente, ac de Radulfo Patriarcha Antiocheno

tiocheno Schismatico Romam ab Innocentio Papa vocato, celebratísque ab Alberico Ostiensi Episcopo S. R. E. Legato Conciliis Antiocheno atque Hierosolymitano, cui interfuit inter cæteros Maximus Armeniorum Catholicus, consule Tyrium & ex eo Baronium.

Anno Christi MCXXXVII. *Ludouici Crassi 29. Stephanus Rex Anglorum in Normanniam venit tertia septimana Martij, eiúsque aduentu audito pauperes per integrum annum oppressi exultauerunt, teste Orderico, ex quo etiam discimus I. Guillelmum X. Aquitaniæ Ducem vltimum, memorem malorum, quæ nuper in Normannia fecerat, pœnitentia motum ad S. Iacobum peregrè profectum feria sexta in Parasceue die 5. Aprilis, sacra communione munitum, ante aram Beati Apostoli defunctum fuisse, dum Christi Passio legeretur, &c. quæ coætanei Scriptores quamplurimi enarrant Sugerius, Maxentianus, & Gemblacensis Monachi, Robertus Montensis, Continuator Aimoini lib. 5. cap. 51. Richardus Pictauinus, Gaufridus Vosiensis, aliíque, atque adeò ipse Ludouicus Rex in diplomate, cuius mentionem fecimus in Miscellaneis & Chronico Technico, vt videas meritissimo iure in dubium venisse Baronio cordatísque omnibus narrationem Theobaldi nescio cuius Episcopi, qui commentis inanibus posteritati illusit, duos-trésve in vnum compingens Vvillelmos. II. Vvillelmum illum priusquam viæ se committeret filiam suam Alienordem, seu Eleonoram, Ludouico Iuueni Francorum in coniugem dari præcepisse, cúmque totius iuris sui hæredem reliquisse. III. Stephanum Regem cum Ludouico colloquium habuisse mense Maio, Normanniæ Ducatum ab ipso iure recepisse, & fœdus amicitiæ, sicut antecessor eius tenuerat, pepigisse. IV. Gaufredum cum quadringentis militibus in Normanniam venisse, Stephanum mense Iunio Lexouium adiisse, ortámque inter Normannos Morinósque seditionem. V. Iulio mense Ludouicum Crassum filium suum Tedbaldi Palatini Comitis, & Radulfi de Parrona consobrini sui tutelæ commissum cum exercitu Francico in Aquitaniam direxisse, vt filiam Pictauensis Ducis vxorem duceret, totúmque Ducatum sibi subiugaret. VI. Eumdem Ludouicum Crassum nimietate æstiui caloris in Aquilina silua ægrotasse, & crescente languore pridie Nonas Augusti (alij omnes cum Sugerio Kalendis eiusdem mensis obitum eius consignant) hominem exuisse, anno trigesimo regni, ætatis ferè sexagesimo, atque in Ecclesia sancti Dionysij inter Reges regiam tumulationem accepisse.* VII. LVDOVICVM FLORVM, *qui Iunior vel VII. dici solet, sequenti die Dominico* Ludouicus VII.

Augusti 8. Pictauis coronatum fuisse, & in Natali Domini apud Biturícum, vbi ingens Curia nobilium, Consulum, Metropolitanorum, eorúmque Suffraganeorum aggregata est: sícque regnum Francorum, & Aquitaniæ Ducatum, quem nullus patrum suorum habuit, nactum esse. VIII. Stephanum Regem in Aduentu Domini festinanter in Angliam transfretasse. IX. Raymundum Guillelmi IX. Pictauensium Comitis filium, qui Buamundi Iunioris filiam dono Fulconis Regis consobrini sui duxerat, Antiochiam à Ioanne Græcorum Imperatore accepisse, auxiliúmque illi aduersus Damascum omnésque Gentiles promisisse. *De itinere Ludouici Iuuenis in Aquitaniam plura poteram annotare ex Gaufrido Vosiensi, Chronico sancti Stephani Lemouicensis, aliísque, quæ strictim in Miscellaneis attigimus, pleniúsque Deo dante exhibebuntur Tomo II. Nouæ Bibliothecæ, cui res Aquitanicas reseruauimus. Verùm ad Robertum de Monte accedendum est, ex-eóque nonnulla obseruanda. I. Stephanum obsedisse in Caletensi agro Lislebonam seu Iuliobonam, quam tenebat Rabellus Camerarius. II. Locutum fuisse apud Ebroicas cum fratre suo Tedbaldo, & pepigisse ei duo millia marcarum argenti per annum. III. Reddita Firmitate Gransiluæ concordatum esse cum Rege Francorum, cui Eustachius filius eius fecit hominium de Normannia. IV. Inter Comitem Andegauensem, & Stephanum inducias in tres annos pactas, quæ tamen tantùm durauerunt vsque ad festum sancti Ioannis anni sequentis. V. Eadem nocte quando Rex Ludouicus senior decessit combustum fuisse Corbeiæ monasterium. VI. Tantam fuisse siccitatem vt etiam stagna & flumina multa siccarentur,* &c. *Videndi quoque Henricus, Rogerius, Malmesburiensis, Neubrigensis, similésque.* Lotharius Imperator habito apud Viterbium cum Papa colloquio in Apuliam venit, vbi Bruno Colonienſis Archiepiscopus eíque substitutus Hugo sancti Petri Decanus post paucos dies obierunt, multásque munitiones & oppida, ipsámque adeò Beneuentanam ciuitatem Rogerio Siciliæ Regi eripuit, Legatos Græcorum, in Calabria magnificè excepit ac dimisit, cúmque rebus in Italia compositis in Germaniam reuerteretur, Veronæ aut Tridenti in ipso reditu tertio Kal. Decembris, vel vt alij pridie Nonas eiusdem mensis, aut certè postridie scilicet in festo sancti Nicolai, mortem oppetiit, delatúsque à suis in Saxoniam, in Lutrensi monasterio, quod in hæreditate paterna fundauerat, tumulatus est. Porrò Lotharij

huius exceſſum in hunc annum conferunt Robertus Montenſis, Gemblacenſis, & Erfordenſis Monachi, Auctor Chronici Hildensheimenſis quod hîc deſinit, Dodechinus, Otho Friſingenſis, aliíque; Baronius tamen in annum ſequentem differt, cuius ſententiam, quam in Chronico Technico ſequutus ſum, Orderici Vitalis auctoritate nixus, ideò minùs probabilem nunc exiſtimo quod præter cætera nullæ res eo anno in Italia à Lothario geſtæ queant adſignari. De Romanâ S. Malachiæ Ardinachæ in Hiberniâ Archiepiſcopi profectione, fusè in eius vitâ S. Bernardus, qui Romæ, Salerni, aliíſque Italiæ locis pro Eccleſia eiúſque vero Pontifice ſedulam nauauit operam, vt Bernardus alter Bonæuallis Abbas aliíque atteſtantur.

Anno Chriſti MCXXXVIII. *Ludouici Iuuenis primo labente.* Petrus Leonis Antipapa dictus Anacletus ſeptima die Ianuarij, vel vt Ordericus habet 8. Kalendas Februarij, ſubitâ morte deceſſit, atque vt fertur, inquit ille, à fratribus ſuis quorum in Vrbe maxima poteſtas eſt, ita occultatur, vt vbi cadauer eius ſepultum ſit, ignoretur. Suffectus ei à Schiſmaticis Victor IV. abdicauit ſe Dominica poſt Pentecoſten. De quibus videndi S. Bernardus ep. 147. ad Petrum Abbatem Cluniacenſem eiúſque vitæ ſcriptor lib. 2. cap. 7. necnon Falco in Chronico Beneuentano, & Petrus Diaconus in Caſſinenſi, quamuis hîc Innocentio parum æquus exiſtat. Conuentus Principum apud Confluentiam vrbem factus eſt in Cathedra S. Petri, vbi Conradum Henrici Imperatoris ex ſorore nepotem Regem conſtituunt. Qui deinde mediæ Quadrageſimæ Dominico die à Theoduino ſeu Dicuino Cardinale Aquiſgrani ciuitate coronatus eſt, Coloniæ Paſcha celebrauit: Inde aſcendens tertiâ hebdomade poſt Paſcha Moguntiæ ſuſceptus eſt, Curiam apud Babenbergam in Pentecoſte habuit cum totius regni Principibus, excepto Duce Bauariæ Henrico, qui cùm ex filia Lotharij iam liberos ſuſcepiſſet, Conradum in regno ſublimatum dolebat, & quoſcumque poterat ab eius fidelitate auertebat. Hæc Dodechinus & Gemblacenſis Monachus, vt Ottonem Friſingenſem Epiſcopum eiuſdem Conradi Imp. vterinum fratrem atque alios omittam. *Honorij Auguſtodunenſis Preſbyteri Chronicon hîc deſiſſe diſcimus ex eodem Auctario Gemblacenſi, in quo etiam mentio*

Roberti Brugenſis poſt Fulconem Abbatis in Dunenſi cœnobio conſtituti. Robertus in vulgatâ iampridem Appendice Pſeudo-Henricum memorat in Alamannia Imperatorem exortum, qui declarata tandem fraude Cluniaci in Monachum attonſus eſt. Rex Danorum in Angliam nauibus ad inuadendum regnum inuectus multis militum ſuorum cæſis re infectâ in patriam redire compulſus eſt, ex Auctario Gemblacenſi. Cæteras Angliæ ac Normanniæ turbas depredationéſque repræſentant Ordericus, Malmeſbur. Henricus, Rogerius, Robertus, ſimiléſque quos amabo conſulat Lector. Victis Auguſto menſe Scotis Albricus Eccleſiæ Romanæ Legatus, & Hoſtienſis Epiſcopus Concilium Londoniæ tenuit in Aduentu Domini, & ibidem annuente Rege Stephano Theobaldus Beccenſis Abbas Cantuarienſis Archiep. effectus eſt. *Theodoricus Flandrenſis Satrapa filiam ſuam filio Stephani Regis coniugem dedit, deinde Crucem Domini accepit. Gaufredus Andegauenſis menſe Iunio in Normanniam cum militari manu venit, & Robertum Comitem Gloceſtriæ Henrici filium nothum precibus, & promiſſis ad ſuam partem inclinauit, per quem Baiocas, Cadomum, & plura oppida ſibi ſubiugauit; ſed fruſtra Faleſiam obſedit,* &c. *Debacchatione furentium Abrincatenſium conbuſtum eſt Caſtrum Montis S. Michaëlis, excepta Eccleſia & officinis Monachorum menſe Auguſto, & Pontius frater Petri Cluniacenſis Abbatis de Cluſino Monaſterio aſſumptus ordinatus eſt Vizeliacenſis Abbas ex pagg. 349. & 397. Nouæ Bibliothecæ.* De controuerſia Fulcheri Archiep. Tyrij cum Willelmo Patr. Hieroſol. plura dabit Willelmus Tyrius lib. 14.

Anno Chriſti MCXXXIX. *Ludouici Iuuenis 2. Idibus Ianuarij obiit Raynaldus ſeu Reginaldus Remenſis Archiepiſcopus, cuius ſucceſſor fuit Sanſon de choro Carnotenſis Eccleſiæ aſſumptus. Obiit quoque, ſed dies ignoratur, Albericus Patriarcha Bituricenſis ſcientia literarum atque conſilij prudentia clariſſimus, ex Roberto Montenſi: Godefridus Louanienſis, cui Conradus Rex anno ſuperiore Ducatum reſtituerat Lotharingiæ inferioris, hoc anno vel potius 15. Ianuarij anni ſequentis obiit, Affligemij ſepultus, Godefridus eius filius paterni honoris à Rege ſucceſſor factus eſt eâ maximè pro causâ quòd ſuæ coniugis ſororem ei dediſſet vxorem, ita Monachus Gemblacenſis, qui I. addit Henricum Baioariorum Ducem irremediabili morbo triſtitiæ peruenisſe ad extrema vitæ. II. cæptam hoc anno famem ad 12. annos perduraſſe.* Innocentius Papa die 8. Aprilis in medio Quadrage-

simæ Oecumenicam Synodum circiter mille Episcoporum Romæ in Ecclesia Lateranensi celebrauit, de cuius decretis Ordericus, Falco, Otto, Gratianus, *&c.* Arnaldus siue Arnoldus Brixiensis Petri Abælardi discipulus multis erroribus infectus in hac Synodo damnatus de Italia fugiens in oppido Heluetiorum Turego pernicioſum dogma seminauit, vt cum Ottone testatur Guntherius Ligurinus huius temporis Poëta. Rogerius Siciliæ Rex auditâ morte Rainulfi Apuliæ Ducis S. R. E. feudatarij, ad prouinciam illam inuadendam cum ingentibus copiis transfretauit, Innocentium Papam structis per filium insidiis cepit die 10. Iulij, ab eóque per vexillum regnum accepit 7. Kalendas Augusti, cùm fidelitatem iurasset, séque S. R. E. beneficiarium fuisset professus, vt iidem Otto & Falco narrant. Sunt qui ad hæc tempora reuocent populares per Italiam vicináſque prouincias Gibellinorum Welforúmque factiones, his aduersus Imperatores, illis pro Imperatoribus pugnantibus: sed de his multi multa, quæ excutere in tanta rerum quæ se mihi offerunt copia, non est operæpretium. Boleslaus Poloniæ Dux quem quadragies septies victorem fuisse memorant, cum an. sup. victus fuisset in Russiâ, totóque ægrotasset anno, filium Ladislaum throno imponit. Alfonsus Portugalliæ Comes, Henrici Burgundi filius, in exercitu à militibus Rex proclamatus die 25. Iulij biduo post ingentem retulit de quinque Barbaris Regibus victoriam, & in memoriam profligatorum illorum Principum quinque minuta scuta in Lusitanicis Insignibus circumferri præcepit. Audinus Ebroicensis Ep. in Anglia obiit 6. Nonas Iulij, eodémque anno eius frater Turstinus Eboracensis Archiep. defunctus est. De Rogerio Salesburiensi Præsule ditissimo eiúsque filio ac nepotibus iussu Stephani Regis comprehensis plura dabunt Malmesb. Ordericus, Henr. Rog. Robertus, Parisius, aliíque, *ex quibus etiam constat Rogerij illius Episcopi paullò post defuncti thesauris comparatam fuisse à Rege filio suo Eustachio Constantiam sororem Ludouici Francorum Regis*, & Mathildem Imperatricem vxorem Gaufredi Comitis Andegauensis Henrici Regis filiam atque hæredem vnicam cum fratre suo notho Roberto Comite Gloceſtriæ, & aliis quibusdam nobilibus in Angliam appulisse inuitatam à Guillelmo de Albenneio marito Ælidis quondam Reginæ, quæ habe-

bat Comitatum de Arundello sibi in dotem datum ab Henrico Rege. *Amalrico Ebroicensi Comiti successit frater eius Simon & Henrico Augensi Comiti filius eius Ioannes. Mendosè scribitur Comes de Hen in Chronica Normanniæ, quam ab hoc anno vsque ad annum 1259. deductam ex codice MS. Bibliothecæ Canonicorum Regularium S. Victoris Parisiensis edidit Andreas Duchesnius anno 1619. in Collectione Historicorum Normanniæ.*

Anno Christi MCXL. *Ludouici Iuuenis 3. Samson Remensis, & Henricus Senonensis Præsules cum Suffraganeis suis victum à sancto Bernardo Clarauallensi Abbate Petrum Abaillardum diœcesis Namnetensis è paræcia de Paietz iuxta Clissonium, & S. Gildasij Ruyensis, vt volunt, Abbatem condemnarunt, vt in multis Fidei Catholicæ articulis fœdè aberrantem: qui cùm damnationi non acquiesceret ad Apostolicam sedem prouocauit, factúsque deinde Cluniaci Monachus, pœnitens obiit: de quo consulendæ S. Bernardi epistolæ plures, præsertim 189. 191. 194. Petri Cluniacensis Abbatis lib. 5. ep. 3. & 20. Bernardus Abbas Bonæuallis, Otto Frisingensis, aliique apud Andream Duchesnium in notis ad eiusdem Abaillardi opera à Francisco Amboso in lucem edita. Robertus Monachus S. Mariani locum Concilij aliáque designat: Anno Domini 1140. Senonis præsente Rege Ludouico Episcoporum & Abbatum Religiosorum sit Conuentus contra Petrum Abaillardum. Hic ingenio subtilissimus, mirabilisque philosophus construxerat cœnobium in territorio Tricassino in prato quodam, vbi legere solitus erat, in quo sanctimoniales plurimas Episcopali auctoritate congregauit, quod Paracletum nominauit. Quibus Heloissam quondam vxorem suam religiosam fœminam literis tam Hebraïcis, quàm Latinis adprimè eruditam, præfecit Abbatissam. Quæ verè ipsius amica magnam ei post mortem in assiduis precibus fidem conseruauit, corpúsque eius de loco, vbi obierat, transtulit ad prædictum cœnobium. Bernardus Guidonis post Robertum vulgarem, & plures alios, asserit obiisse Cabilloni apud S. Marcellum. Hugonis de S. Victore doctissimi Viri obitum huic anno plerique affigunt. De eo tamen Monachus Gemblacensis sub periocha anni sequentis hæc habet: Hugo Prior Ecclesiæ sancti Victoris multa Ecclesiæ sanctæ vtilia scripta relinquens, diem obiit. Idem verò Monachus errat in Eclipsi Solis, quam ad IV. Nonas Aprilis reuocat, cùm aliorum consensu atque ex Tabulis Astrologicis constet eam contigisse die 20. Martij feria 4. Ortam deinde refert I. discordiam inter Adalberonem Ep. Leodiensem & Henricum Comitem Namurcensem, qui captum Fossense oppidum cum Monasterio*

S. Foillani incendit, deſtruxítque: nec in eamdem rem omittenda Appendix Chronici Leodienſis pag. 406. N. B. II. Cùm Henricus Comes Lemburgenſis dolens ſe priuatum honore Ducatus, quem pater ſuus habuerat, rebellis eſſet Godefrido Duci, hunc oppidum S. Trudonis ad deditionem coëgiſſe, & Aquaſgrani ingreſſum, oppidanos ſuæ fidelitati adſtrinxiſſe, & ne Henrici Comitis fautores eſſent, oſtentatione potentiæ ſuæ deterruiſſe. III. Henricum Comitem filium Ducis Godefridi ſuperiore anno defuncti, militiæ cingulo depoſito, Affligemij Monachum factum citò à Deo vocatum migraſſe. IV. Henricum apud Tornacum adoleſcentem multa in ſpiritu vidiſſe, & vitam S. Eleutherij Tornacenſis Epiſcopi notitiæ hominum tradidiſſe. V. Othonem Babenbergenſem Epiſcopum Pomeranorum Apoſtolum mortuum fuiſſe: de quo plura Vrſpergenſis Abbas, & Anonymus Tomo II. Henrici Caniſij, necnon Clemens Papa III. in diplomate Canonizationis apud Baronium anno 1189. *Vvillelmus Adelelmi, Epiſcopus Pictauenſis Eccleſiæ, pridie Nonas Octobris obiit, ſuccedente Abbate Alodiorum Grimoardo, viro religioſo, qui conſecratus apud Engoliſmam die 26. Ianuarij Dominica Septuageſimæ anni ſequentis Paſcha apud S. Maxentium celebrauit primo ordinationis ſuæ anno, ſacrauítque chriſma feria 5. Cœnæ Domini, nec propriam ſedem ante Pentecoſten tenuit, quod nondum litteras conceſſionis Regiæ accepiſſet, vt docet qui tunc aderat, quíque vlterius non progreditur, Monachus eiuſdem cœnobij San-Maxentiani, Auctor Chronici, quod Malleacenſe vulgò dictum, plurimíſque ditatum ad Aquitaniam Hiſtoriam ſpectantibus laciniis emittetur à nobis in publicam lucem Tomo II. Nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum ex codice MS. qui à Beſlyo donatus fuit VV. CC. Puteanis Fratribus.* Ludouicus Thuringiæ Lantgrauius obiit, cuius filius teſte Siffrido Preſbytero Principatum ab Imp. Conrado ſuſcepit. Henricum Wentonienſem Ep. narrat Ordericus Vitalis, receſſiſſe iratum de Curia Stephani Regis, quòd Henricum de Solleio ſiue Soliaco, nepotem ſuum à Saliſburienſis Epiſcopatus aſſecutione Rex repuliſſet Fiſcanenſi cœnobio dumtaxat donatum: Malmeſburienſis teſtatur de pace Angliæ tractatum iuxta Bathoniam, miſsúmque fuiſſe in Galliam menſe Septembri Legatum, qui poſt colloquium cum Rege Franciæ, Theobaldo Comite, multíſque religioſi ordinis perſonis reuerſus eſt in fine Nouembris ſalubria patriæ mandata referens, ſi eſſet qui verba factis apponeret. Hæc aliáque idem Auctor, qui

inextricabilem Rerum Anglicarum, vt vocat, labyrinthum perperam anno 1142. attribuit, vt Robertus post Guibertum Nouigentinum editus, & Chronica Normanniæ huicce anno 1140. cùm sequenti haud dubiè anno conueniat, vt deinceps docebimus. *Pullulauit paulò pòst inter Ludouicum Regem & Tetbaldum Comitem simultatis germen, inquit Robertus, pro eo quòd Comes cum Rege in Aquitanicam expeditionem proficisci detrectaret. Ordinatus fuit Robertus filius Ducis Burgundiæ Episcopus Augustodunensis, eodémque anno defunctus die 16. Kal. Augusti, ex Chronico Breui S. Benigni Diuionensis ad Cyclos Paschales pag. 294. Nouæ Bibliothecæ.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MCXLI. *Ludouici Iuuenis Francorum Regis 4. Radulfus senior Castri Radulfi Dominus obiit, ex Chronico Dolensi. Hugo quoque Burgundiæ Dux succedente Odone filio. Arnulfus is, cuius extant Epistolæ, Lexouiensis factus est Episcopus post mortem Ioannis, qui 12. Kal. Iunij anno Episcopatus sui 34. defunctus est. Orta dissensione inter Innocentium Papam & Francorum Regem Ludouicum, inquit Auctor Appendicis ad Sigebertum, Ecclesia Gallicana turbatur. Defuncto enim Alberico Bituricensi Archiepicopo missus est Petrus à Papa eidem Ecclesiæ pastor consecratus, sed à Rege Ludouico repudiatus, eò quod sine eius assensu fuerit ordinatus, in ciuitatem minimè recipitur. Cuius partes, quia Comes Theobaldus fouere videbatur, simultas, quæ sopita putabatur inter Regem & ipsum, cœpit repullulare. Idem paucis sic exponit Gaufredus Vosiensis cœnobita nondum excusus cap. 49.* Petrus cognomento Effenouard ex Militibus de Castra Archiepiscopus Alberico Bituricensi successerat. Hic ad tempus in Ruthenico metu Ludouici Regis delituit. Electus quippe absque illius nutu fuerat ideóque contra eum sententiam dictauerat. Victus denique precibus religiosorum iuramentum fregit, sedésque vacua Præsulem admisit. Qua verò ratione id tandem factum sit enucleatiùs aperiemus Tomo II. Nouæ Bibliothecæ. *Ordericus Vitalis Vticensis siue S. Ebrulfi in Normannia Monachus Ecclesiasticæ Historiæ 13. hoc anno clausit librum natus annos 67. senio & infirmitate fatigatus, dum Stephanus Anglorum Rex in carcere gemens detineretur, & Ludouicus Rex Francorum expeditionem ageret contra Gothos & Vascones.* Willelmus quoque Malmesburiensis Monachus librum 2. Historiæ nouellæ vsque ad annum sequen-

rem

tem produxit : ex quibus, non ſecus atque ex Henrico Huntindonienſi Archidiacono, quem Robertus, Rogerius, Chronica Normanniæ, aliíque exſcripſerunt, pauca delibabo quæ ad Hiſtoriam Anglicam ſpectant. I. Superioris anni exitu Lincolienſem arcem militari fraude interceperant Ranulfus Comes Ceſtræ, & Guillelmus de Raumara vterinus eius frater, ideóque Stephanus Rex poſt Natalem Domini congregato exercitu arcem circumuallauerat, ex quâ Ranulfus noctu egreſſus Robertum de Gloceſtra ſocerum ſuum, Mathildem Imperatricem, Gualos & exhæredatos contra Regem excitauit, atque vrbi propiùs copias admouit. II. Ipſo Dominico die Septuageſimæ, dum ſacra ſolemnitas Purificationis Deiparæ celebraretur, & Rex pugnaturus Miſſam audiret, cereus conſecratus in manu eius fractus eſt, & multis ſpectantibus ac peſſimè ominantibus, ter lapſus eſt infelici præſagio. III. Inito prœlio Guillelmus de Ipra cum Flandrenſibus, & Alanus de Dinam cum Britonibus primi terga verterunt, dein Normannorum atque Anglorum equites, aliíque. Ipſe verò Rex fortiter pugnans ab omnibus derelictus Rodberto Comiti conſobrino ſuo ſe commiſit, & ab eodem paullò pòſt Mathildi oblatus Briſtolium in carcerem ductus eſt, & annulis ferreis innodatus. IV. Ranulfus vrbem cum aliis victoribus depopulatus ciuium maximam ſtragem edidit. V. Henricus Ventonienſis Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus multíque alij Mathildis partibus adhæſerunt, quam rem pluribus exponit Malmeſb. qui diſertè admonet eo anno 14. Kalend. Martij, fuiſſe primam Dominicam Quadrag. & Paſcha 3. Kal. Aprilis. *VI. Gaufredus Comes Andegauenſis, vt vxorem ſuam viciſſe audiuit, protinus in Normanniam venit, primúſque Rotrocus Moritoniæ Comes pacem cum illo fecit, & rupto fœdere, quod cum Rege pepigerat, auxilium ſuum Andegauenſibus exhibuit. VII. Hugo Rotomagenſis Arch. atque Normanni Tedbaldum Comitem adierunt, eique regnum Angliæ & Ducatum Normanniæ obtulerunt. Verùm is Gaufredo Henrici Regis genero interpoſitis quibuſdam conditionibus regium ius conceſſit : ita videlicet, vt Turonicam vrbem, quæ de feudo eius erat, ſibi dimitteret, fratrémque ſuum Stephanum Regem de vinculis abſolueret*, &c. VIII. Inchoatum Vintoniæ à Legato, Theobaldo Cantuariæ Archiepiſcopo, aliíſque Epiſcopis, & Abbatibus Concilium feria ſecunda, poſt Octauas Paſchæ,

multíque excommunicati Regiarum partium fautores, ac nominatim Willelmus Martellus, qui quondam Pincerna Regis Henrici, tunc erat Dapifer Stephani. IX. Orta simultate inter Mathildem & Legatum occasione Eustachij Regis filij, cui Mathildis Comitatus Bononiensem ac Moritoliensem denegabat, fautores Regis Wintoniam conuenerunt, fugatísque Mathildis copiis Robertum Gloceſtrensem eius fratrem ceperunt die Dominicâ 14. Septembris in Exaltatione S. Crucis. X. Pacto vtrimque inito Kalend. Nouembr. in festo Sanctorum omnium Stephanus Rex ex Bristoliensi carcere liber, Vintoniam venit, & Robertum Comitem Glocestriæ vinculis absoluit: qui ad Mathildem sororem suam quæ Oxonij Curiam sedémque collocarat suam, se illicò contulit. XI. Henrico Legato præside apud Westmonasterium die Octauarum S. Andreæ celebratum est Concilium, cui Rex ipse interfuit, & de suis conquestus est. *XII. Ludouicus Iuuenis Francorum Rex ingentem exercitum congreganit, & ad festiuitatem S. Ioannis Baptistæ Tolosam obsidere perrexit præliaturus aduersus Alfonsum Raymundi filium. Simon Lotharingiæ Superioris Dux, dum è Palæstina reuertitur Venetiis obiit, succedente Matthæo filiorum natu maximo.* Auctarium Gemblacense nonnulla subministrat. I. Conradum Imp. quosdam regni sui optimates sibi obsistentes ad iussa coëgisse. II. Plaga diuini ignis laborantes plurimos per intercessionem S. Dei Genitricis Mariæ, aliorúmque Sanctorum sanatos fuisse. III. Regem Hierosolymitanum Ascalonitas omni commeatu excluso terrâ marique oppugnasse. *IV. Adalberonem II. Leodiensium Ep. castrum Bullonium ab Otberto decessore suo anno 1096. emptum, & à Raginoldo Comite Barrensi iam à 7. annis violenter occupatum 11. Kal. Octobris expugnasse, delato ad locum obsidionis corpore S. Lamberti Præsulis, vt pluribus edisserit Nicolaus Canonicus Leodiensis in Triumpho S. Lamberti à Chapeauillæo cum aliis Antiquis scriptoribus edito.* De dissidio Tiburtinorum cum Romanis, eorúmque antiquam restituere Rempublicam molientium rebellione aduersus Innocentium Papam, Otto Frising. Episc. in vtroque opere Historico, atque ex eo Baronius, Sigonius, &c. Sunt quoque qui hoc circiter tempore Carmelitici Ordinis initia collocent in Syriæ monte Carmelo sub Bertoldo Aquitano, qui Pontificis summi per Orientem Legatus, dispersos priùs ac solitariam vi-

tam agentes in vnum collegit monaſterium. Quod ſanè aliis examinandum diligentiùs excutiendúmque relinquo. Adalbertus Moguntinus Archiepiſc. cum Saxonibus coniurat aduerſus Imp. & paullò pòſt moritur 16. Kal. Auguſti, inquit Dodechinus.

Anno Chriſti MCXLII. *Ludouici Iuuenis 5. Radulfus Veromanduorum Comes Eleonora vxore ſua dimiſſâ Petronillam Guillelmi X. Aquitanorum Ducis filiam, & Alienordis Reginæ ſororem ducit, quamobrem inſtante Theobaldo Campaniæ Comite mittitur Romanæ Sedis Legatus Iuo, qui & Radulfum excommunicauit, & Epiſcopos Laudunenſem Bartholomæum, Nouiomenſem Simonem, & Siluanectenſem Petrum, qui diuortium illud fecerant, ſuſpendit, inquit Robertus, ſeu quis alius Auctor Appendicis vulgatæ, qui etiam ſubdit Valeranum Abbatem Vrſicampi fuiſſe defunctum. Sunt quoque qui ad hunc eundem annum reuocent, quæ ſequuntur de Vitriaco, eiúſque Eccleſia concremata ac pace reformata inter Papam & Regem, cui non inutilem nauauit operam S. Bernardus, vt plures eiuſdem ad varios docent epiſtolæ à 216. ad 225. Godefridus iunior Dux Inferioris Lotharingiæ quarto ſuæ Præfecturæ anno obiit, ſuccedente filio Godefrido primum dumtaxat ætatis annum agente; huic enim conceſſum eſt à Conrado quidquid beneficij vel honoris anteceſſores eius habuerant de manu Imperatoris, vt tradit Monachus Gemblacenſis, quo etiam teſte docemur, in vicinia Louanienſi mel ſtillaſſe de cælo in modum roris, & Conradum Regem pòſt Comitia Frankenfordenſia quoſdam Sclauorum rebelles in fugam vertiſſe, reliquos ad deditionem compuliſſe. Obiit Hugo Pacificus Dux Burgundiæ, ſi quæ fides Chronico Minori Benigniano pag. 294. N. B.* Fulco quoque ex Andegauenſi Comite Rex Hieroſolymitanus, dum venationi inſiſtens leporem inſequitur, ex improuiſo ſibi apparentem, vitâ regnóque priuatur, equo, cui inſidebat, ſe ſuper eum præcipitem dante: Succeſſit Balduinus filius annos natus 13. cum Meleſinde matre, de quibus Willelmus Tyrius, Robertus, aliíque. Verba Chronici Turonenſis nondum editi in lucem hîc adſcribam: *In feſto B. Martini æſtiualis dum Fulco Rex Hieroſolymitanus venatum iret, & leporem ſequeretur, equo ceſſitante ruens mortuus eſt per miraculum rupto collo. Ipſe enim quondam Comitatum Andegauenſem tenuit, & Eccleſiam B. Martini Turonis inquantum potuit infeſtauit.* Regnat poſt Belam in Hungariæ regno Geiſa II. filius eius, cui Nicetas fratres adſcribit Stephanum at-

que Ladiſlaum. In ipſis pene Paſchalibus feriis Stephanum Regem Angliæ grauis morbi incommodum detinuit apud Northamtunam, adeò vt in totâ Angliâ, vt moriturus conclamaretur, durauítque ægritudo vſque poſt Pentecoſten, quo tempore nuncij ad Andegauenſem Comitem miſſi retulerunt, id vnum ei maximéque probari, vt Robertus Comes Gloceſtrenſis cum Nobilium obſidibus in Normanniam veniret: quod & factum eſt. Robertus enim Mathildi ſorori vale faciens poſt feſtum S. Ioannis alto ſe commiſit, veniénſque Cadomum *Comitem Andegauenſem accerſiuit, & cum eo in Normannia caſtella expugnauit. Neque tamen aduentum in Angliam perſuadere potuit.* Interim Rex Roberti Comitis abſentiam aucupatus, tribus diebus ante feſtum S. Michaëlis Oxonienſem vrbem concremauit, & caſtellum, in quo cum domeſticis militibus Imperatrix erat, obſedit. His rumoribus in Normanniâ ſeminatis, reditum maturauit Robertus, & in Anglia nonnulla caſtella cepit, antequam Imperatrix Oxonienſi arce cum ſolis quatuor militibus egreſſa per poſterulam Tameſim amnem tranſiit, & in tutum ſe recepit, vt tradit, qui hîc finem ſcribendi, &, vt quidam etiam ſcripſere, viuendi fecit Willelmus Malmeſburienſis: Eadem tractant, ſed non pari fide Henricus, Robertus, Rogerius, Auctor Chronicæ Normanniæ, ſimiléſque iiſdem penè omnes verbis vſi.

Anno Chriſti MCXLIII. *Ludouici Iuuenis 6. S. Bernardus Clarævallenſis Abbas apud Innocentium II. patitur calumniam, & ab eo obiurgatur: Verùm non deſtitit turbatis rebus ſuccurrere, imò etiam effecit, vt pace compoſitâ inter Regem Comitémque Theobaldum, maneret Bituricenſis Epiſcopus Petrus, & Rex expeditionem in Palæſtinam decerneret: ſic enim vulgata Roberti Appendix: Ludouicus Rex Vitriacum caſtrum Comitis Theobaldi capit, vbi igne admoto Eccleſia incenſa, & in ea mille trecentæ animæ diuerſi ſexus, & ætatis ſunt igne conſumptæ: ſuper quo Rex Ludouicus miſericordia motus ploraſſe dicitur, & hac de cauſa peregrinationem Hieroſolymitanam aggreſſus à quibuſdam æſtimatur. Caſtrum verò Odoni Campanienſi contulit nepoti Comitis Theobaldi, qui patrocinium (fortè emendandum eſt patrimonium) ab ipſo ſibi ereptum per Regem Ludouicum hac occaſione recuperare ſibi voluit. Tum an. ſeq. mediante Abbate Clarævallis ſimultas, quæ inter Regem Ludouicum & Comitem Theobaldum incanduerat,*

ſopitur. Alter Robertus, ſed ante biennium hoc præmiſit: Innocentius Papa interdixit tunc terram Dominicam ipſius Regis, quia nolebat recipere Archiepiſcopum Bituricenſem, quem tamen poſtea recepit, & Papa abſoluit eum de ſacramento, quod irrationabiliter fecerat. Docet Mauriniacenſis Monachus in Chronico à Ducheſniis edito quis fuerit à Rege Bituricenſi deſponſus Eccleſiæ, his verbis: Quidam prædictæ Eccleſiæ Clerici aſſentiente Rege Cadurcum quemdam (de quo multa diximus in Tractatu de Cancellariis Galliæ) ſibi volebant præficere. Altera pars illorum Petro Haimerici Romani Cancellarij conſobrino prærogatiuam illius honoris affectabant. Papa vero Cancellarium diligens contribulem quoque ſuum pro ipſo diligebat. Vnde & ipſi conſecrato in Archiepiſcopum integrè ſuum impendebat auxilium: & licet contra Regis voluntatem ipſe præficiendus eſſet, ipſum miſit Bituriges. Cadurcum verò omni Eccleſiaſtico honore priuauit. Videns Rex, &c. pag. 387. Tomi IV. Hiſtoricorum Franciæ. Videndus quoque Gemblacenſis Monachus aliíque quos exhibemus in Promptuario Antiquitatum Bituricenſium. Innocentius II. Papa, aduerſus quem conſpirauerant Romani Proceres & Arnaldi Brixienſis hæretici nefaria dogmata ſectantes priſtinam reipublicæ formam, & antiquam libertatem, ſolâ ſacrorum curâ Pontifici relictâ, reſtituere nitebantur, diem extremum clauſit 24. Septembris, cùm ſediſſet annos 13. menſes 7. & dies 10. poſtridie creatus fuit Guido de Caſtello, dictus Cæleſtinus Secundus, cuius meminerunt in Epiſtolis S. Bernardus & Petrus Venerabilis. De Monachis S. Maximini, & monaſterio S. Dyſibodi vide Dodechinum. In media Quadrageſima Londoniæ præſente Stephano Rege Concilium tenuit Henricus Vintonienſis Ep. S. R. E. Legatus, in quo ſancitum eſt, ne aliquis, qui Clerico violentas manus iniecerit, ab alio poſſit abſolui, quàm ab ipſo Papâ, & in præſentia ipſius, vnde Clericis aliquantulum ſerenitas vix eluxit. Idem Rex Gaufridum de Magnauilla in Curiâ ſuâ apud S. Albanum cepit, & ante Natale Domini feſtum Wintonienſis Epiſcopus & Cantuarienſis Archiep. Romam petierunt de Legatione acturi defuncto iam Innocentio Papâ, vt pluribus leges apud Henr. Rob. Rog. ſimiléſque. *Alij verò docent à Gaufrido Comite Abrincatenſem vrbem & Conſtantias, imò & omnem citra Sequanam Normanniam acquiſitam.* Pagani vicini Hieroſolymitanis, inquit Monachus Gemblacenſis, pertæſi malorum & frequentis oppugnationis Chri-

ſtianorum, pactum pacis inierunt cum eis, & terras, quas eis Chriſtiani abſtulerant, quæque incultæ erant, ſub tributo colendas ab eis ſuſceperunt. Ioannes Comnenus Orientis Imperator, Caloioannes vulgò dictus, quem inſcitiſſimè Marcus Zuerius Boxhornius pag. 688. ſuæ Vniuerſalis Hiſtoriæ Calonem Ioannem appellitat, obiit die 8. menſis Aprilis, cùm imperaſſet annis 24. menſ. ſeptem, & diebus tredecim, & à Kalendis eiuſdem menſis Manuelem ſiue Emmanuelem minorem natu filium ſucceſſorem deſignaſſet, poſthabito Iſaacio natu maximo. Vulneratum fuiſſe lethaliter ferunt intoxicatâ ſagittâ, cùm arcum nimis intenderet, aut in venatione pharetrâ euersâ cecidiſſet. De eo Nicetas, Cinnamus, Otto Friſingenſis, Tyrius qui in anno mortis eius deſignando fœdè lapſus eſt, Robertus Montenſis, aliíque. Obierunt quoque eodem anno Leo Stypiota Patr. CP. cui ſubrogatus eſt Michaël Monachus Oxytes, & Radulfus Patr. Antiochenus.

Anno Chriſti MCXLIV. *Ludouici Iuuenis 7. quo fames grauiſſima multos afflixit, Henricus Senonum Archiepiſcopus obiit, ſuccedente Hugone Præcentore, vt ſcribitur in Chronico S. Mariani. Gaufridus Comes Andegauenſis congregato exercitu magno poſt feſtum ſancti Hilarij tranſiit Sequanam apud Vernum, & caſtra metatus apud S. Trinitatem de Monte Rotomagi ſequenti die feſto SS. Fabiani & Sebaſtiani receptus eſt à ciuibus Rotomagenſibus, quo tempore flabat vehementiſſimus ventus ſiluas eradicans, & domos proſternens. Turrem quam noluerunt reddere homines Comitis Vuarennæ obſederunt idem Gaufridus Comes, & Galerannus Comes Mellentinus, cæteríque Principes Normanniæ, in eáque obſidione mortuus eſt Rotrocus Comes Perticenſis, relictis duobus filiis Rotroco & Gaufrido, ciúſque vxorem poſtea Ludouicus Francorum Rex dedit Roberto Drocenſi Comiti fratri ſuo. Tandem redditâ ob cibariorum inopiam à ſtipendiariis turre 9. Kalend. Maij, idem Comes Gaufredus cum Ludouico Rege & ſororio ſuo Flandrenſi Comite ad deditionem compulit caſtrum Drincurtis. Hugo quoque de Gornaco reddidit caſtellum de Leons, ſícque omnibus in Normanniâ ſub iugum miſſis, excepto caſtello de Archis, quod Vuillelmus Monachus Flandrenſis adhuc tenebat, redierunt quíque ad ſua. Obiit Ioannes Salarienſis ſeu Sagienſis Epiſcopus, qui tempore Regis Henrici Canonicos ſæculares eiuſdem Eccleſiæ regulariter ſecundùm S. Auguſtini inſtitutionem viuere perſuaſit, additis officinis congruentibus & clauſtro. Plura apud Robertum Montenſem, & in Chronica Normanniæ*

reperies. Henricus, & ex eo Rogerius, aliíque diram necem referunt Gaufridi de Magnauilla, & Roberti Marmium insignium prædatorum, necnon Ernulfi & Reimeri, *&c.* addit verò idem Auctor se cum multis inspexisse propriis oculis, dum Ecclesia cœnobij Rameſienſis pro castello teneretur, ebullientem sanguinem è parietibus Ecclesiæ, & claustri adiacentis, qui diuinam indignationem, & sceleratorum exterminationem denunciaret. Crucifixus est puer quidam à Iudæis apud Noruicum, ex Chronico Fiscanensi, & ex Vezeliacensi: Vox loquens de terra audita est apud Gisortium paginis 326. & 397. Nouæ Bibliothecæ. Cælestinus II. Papa defunctus est die 8. Martij, post sedem mensium dumtaxat quinque, & dierum 13. & in Ecclesia Lateranensi tumulatus est. Postridie subrogatus est in eius locum Gerardus Camerarius patriâ Bononiensis, dictúsque est Lucius II. qui ab Arnaldistis siue Politicis rebellibus atque Hæreticis plurimùm vexatus est, vt pluribus Otto Frisingensis lib. 1. de rebus gestis Friderici Regis capp. 27. & 28. Ii enim nouo magistratu Romæ electo vectigalia Pontificum sua esse decreuerunt, iusserúntque Pontifices decimis sacrísque largitionibus dignitatem suam tueri, ad Conradum Regem scripserunt, *&c.* Alfonsus Lusitaniæ Rex hoc anno principatum suum Romanæ Ecclesiæ vectigalem fecit annuo censu vnciarum auri quatuor, vt testis est Innocentius III. Papa ep. 100. libri primi. Alcobatia in Lusitania Ord. Cistercienſis, itémque Sconaugia in Germaniâ fundantur. De Christianorum exercitu ab extremo periculo bis liberato consule Tyrium lib. 16.

Anno Christi MCXLV. *Ludouici Iuuenis* 8. *Biturícensis Archiepiscopi iura ac nominatim Primatum super Biturícensem ac Burdegalensem Prouincias confirmat Eugenius Papa Idibus Martij, Indictione nona, Pontificatus sui anno secundo. Remis in cœnobio S. Remigij S. Gibrianus Scotus multis claret miraculis, multóque populi concursu celebratur. Adelberone Leodiensi Ep. mortuo sufficitur in eius locum Henricus II. Conradus Rex apud Epternacum in viciniâ Treuerorum Pentecosten celebrat, & quosdam sibi rebelles oppugnando, & expugnando ad deditionem compellit, inquit Monachus Gemblacensis. Hoc anno non solùm apud Carnotum ceperunt homines carros lapidibus onustos & lignis, annonâ, & rebus aliis, trahere suis humeris ad opus Ecclesiæ, cuius turres tunc fiebant, sed & in tota penè Francia*

& Normannia. Vbique humilitas, inquit Robertus Montenſis, cui conſentiunt Chronica ſancti Michaëlis, Rotomagenſe, &c. & afflictio, vbique pœnitentia & malorum remiſſio, vbique luctus & contritio. Videres homines & fœminas per profundas paludes genibus trahere, verberibus cædi, vbique crebra miracula fieri, Deo cantus & iubilos reddi. Extat de hac re epiſtola Hugonis Rotomagenſis Archiepiſcopi ad Theodoricum Ambianenſem Epiſcopum. Addit in æſtate Gaufrido Duci redditum Arcenſe caſtrum, occiſo ſagitta Vvillelmo Monacho, qui illi præerat: & ab eodem Gaufredo firmiſſimum Rotomagi pontem refectum. Ex iiſdem verò conſtat per proditionem in Meſopotamia ſeu Principatu Antiocheno perdidiſſe Chriſtianos Edeſſam, quæ antiquitus dicebatur Rages, & à modernis Rohais, Ioſſelino de Cortenaio iuniore Comite tunc abſente. Noradinus quibuſdam, aliis verò Sanguinius Turcus dicitur, qui Chriſtianos in eâ ciuitate captos occidit, & Eccleſias profanauit ſacra ipſa nocte Natiuitatis Domini, quam deſignat Dodechinus. Lucius II. Romanus Pontifex, cùm ſediſſet menſibus vndecim, & diebus 14. ex hac luce ſubtractus eſt die 25. Februarij, qua die ob periculum imminens ab Hæretici Arnaldi ſectatoribus electus eſt in Pontificem Bernardus Piſanus ex ordine Ciſtercienſi Abbas S. Anaſtaſij Trium Fontium, à B. Bernardo ante aliquot annos è Clarauallè eò miſſus, dictúſque eſt Eugenius III. de quo ac ſimilibus conſulendi Otto, Guntherus, Robertus, & in Epiſtolis ſanctus Bernardus. Idem Otto de Legatione Catholici Armeniorum ad Papam, de Epiſtola Papæ ad Principes Chriſtianos, quâ eos ad ſubſidium Terræ ſanctæ rebus iam valdè inclinatis inuitabat, de Gabulenſi Epiſcopo, de Romanis operâ Tiburtinorum cæterorúmque Latij populorum ad pacem petendam coactis, & celebrata Romæ ab eodem ſummo Præſule Natiuitate Domini, omnino conſulendus. Ex eiuſdem quoque lib. 1. cap. 50. poſterioris operis compertum in Synodo Pariſienſi diſputaſſe Hugonem Rotomagenſem Archiep. aduerſus Gilbertum Porretanum Pictauienſem Epiſcopum. De Ladiſlao operâ fratris Boleſlai pulſo plura Polonicæ Hiſtoriæ Scriptores, & de cœnobio Floriacenſi, cui Macarius præfectus eſt Abbas, Chronicon Mauriniacenſe.

Anno Chriſti MCXLVI. *Ludouici Iuuenis 9. poſt captam ab inimicis crucis Chriſti Edeſſam miſſi ſunt ab Antiochia & Ieruſalem*

Legati

Legati ad Francos, vt eorum inuincibilis probitas periculum quod euenerat, emendaret, & futura repelleret. Audiens Rex, vt erat piissimus, miseriæ transmarinorum condoluit, celsioréque regni sui in Pascha apud Vezeliacum conuocauit, vbi cum Rege, & ipsa Regina ac quibusdam Episcopis multi Crucem sumpserunt, Robertus frater Regis, Henricus Comes Meldensis, Theodoricus Flandrensis, Gaucherius de Monte-Gaij, Rainaldus Tornodorensis, Alfonsus Comes sancti Ægidij, Vvillelmus Niuernensis, Iuo Suessionensis, Guido de Pontiuo, Archembaldus de Borbonio, Ingerrannus de Cociaco, Hugo de Lizenanto, Vvillelmus de Corteniaco, Rainaldus de Monte Argiso, Iterius de Tociaco, aliique quos exhibent Sugerius, Otho, & Anonym. Scriptor Vitæ Ludouici VII. Continuator Aimoini, Mauriniacensis Chronographus, similéque Scriptores. Eodem quoque tempore Conradus Imperator Alemanniæ, Federicus nepos eius postea Imperator, Amedeus Comes Morianæ seu Taurinensis, eiúsque frater vterinus scilicet Guillelmus Marchio de Monteferrato auunculi Regis Ludouici Crucem acceperunt, satagente imprimis S. Bernardo, aliisque viris religione præstantibus, de quibus multa tum alij, tum Otho Frisingensis, de Radulfo quodam Monacho, qui in partibus Galliæ quæ Rhenum attingunt, multa populorum millia ad expeditionem Hierosolymitanam incitans, eosdem quoque ad Iudæos tanquam religionis Christianæ hostes trucidandos animauit, in quem aculeatam scripsit epistolam S. Bernardus ad Henricum Archiepiscopum Moguntinum. *Interim verò Rex à Paschali solemnitate, qua Crucem accepit vsque ad aliud Pascha, & insuper vsque ad Pentecosten, in regno suo commoratus est, constitutam in humeris Crucem portans. Sequuta est cædes Herberti Abbatis S. Petri Viui apud Senonas, cuius interfectores partim à vertice turris iussit Rex ad terram præcipitari, partim Parisiis decollari. Concilium Carnotense pro eadem in Terram sanctam expeditione tertia Dominica post Pascha eodem præsente Rege celebratum est, de quo extant Sugerij, Petri Ven. & S. Bernardi epistolæ. Tria subiicit Appendix Sigeberti Roberto asserta: I. Ecclesiam Tornacensem, quæ per annos circiter 600. à tempore B. Medardi sub Episcopo Nouiomensi sine proprio fuerat Sacerdote, hoc anno proprium Episcopum cœpisse habere Anselmum Abbatem S. Vincentij Laudunensis ab ipso Eugenio Papa Romæ consecratum. II. Fame per Gallias grassante Ecclesiarum Christi enituisse liberalem munificentiam, eóque tempore in Lingonensi parochia apud Normandum seu Morimun-*

dum, vbi pauperes innumeri quotidiana ſtipe alebantur, quemdam hominum necatorum coctas carnes vendidiſſe, deprehensúmque à pauperibus patibulo fuiſſe appenſum. III. Apud Noruicum Angliæ ciuitatem Iudæos crucifixiſſe puerum quemdam Chriſtianum, nomine Willelmum, eúmque extra ciuitatem ſepultum diuina ſuper eum emicante luce declaratum à fidelibus ſummo cum honore in Eccleſia poſitum: quam cædem iam ante biennium ex Chronico Fiſcanenſi retulimus. *De Eunitis eorúmque ſignifero Euno ſiue Eone Britone Armorico plurima obſeruarunt Monachus Gemblacenſis, Otto Friſingenſis, aliíque. Villarienſis Ordinis Ciſtercienſis Abbatia fundatur ad Diliæ fontes in Gallobrabantia, miſſis à S. Bernardo Abbate cum 12. Monachis & 5. Conuerſis. Rainerus S. Mariani Autiſſiodorenſis primus Abbas dum Præmonſtrato rediret apud Pruuinum obiit pridie Kal. Martij, & in Xenodochio pauperum, vt ipſe petierat, inter pauperes pauper Chriſti ſepultus eſt, inquit Robertus eiuſdem S. Mariani Monachus*, qui & nonnulla de S. Hildegarde Virgine inſinuat, licet eius non exprimat nomen. Huius vitam à Theodoro Abbate ſcriptam exhibet Surius ad diem Septembris 17. Rogerius Siciliæ Rex Tripolitanam prouinciam in Africa ſuper Paganos cepit, inquit Robertus Montenſis cum Chronica Normanniæ, addítque inuentum fuiſſe buffonem vnum incluſum in concauo lapide in muro ciuitatis Cenomannicæ, eóque occiſo buffones, qui nulli antea fuerant infra mœnia exinde viſos fuiſſe. Verùm vulgata Sigeberti Appendix in biennium differt Africanam Rogerij expeditionem. Eodem exeunte anno ad Natale Domini Rex Stephanus diademate regaliter inſignitus eſt in vrbe Lincollienſi, quo Regum nullus introire, prohibentibus quibuſdam ſuperſtitioſis, auſus fuerat, inquit Henricus, ex quo Rogerius, aliíque. Michaël Oxyta Patriarchatu CP. ſe ſponte abdicauit, ſuffecto in eius locum Coſmo Æginetâ, vt tradit Nicetas. Willelmus quoque Patriarcha Hieroſolymitanus poſt Sedis annos quindecim obiit, eiúſque thronum obtinuit tranſlatus Tyro Fulcherius Archiepiſcopus, teſte Willelmo Tyrio.

Anno Chriſti MCXLVII. *Ludouici Iuuenis* 10. *S. Bernardus Spirâ ac Coloniâ rediens in Gallias Leodij* 19. *Ianuarij Miſſam celebrauit.* Conradus Alamannorum Rex Henrico filio priùs Aquiſgrani Dominica mediæ Quadrageſimæ coronato ac ſuc-

ceſſore deſignato menſe Maio in Aſcenſione Domini expeditionem in Terram ſanctam cum 50. & ampliùs militum millibus, & innumerabili peditum manu aggreſſus per Hungariam, finitimáſque regiones peruenit haud procul Conſtantinopoli die ante Natiuitatem B. Mariæ Virginis, comite inter cæteros Ottone Epiſcopo Friſingenſi fratre ſuo vterino, qui ſigillatim omnia itineris illius relegit veſtigia à cap. 45. libri primi Rerum à Frederico geſtarum. *Ludouicus Rex Diuioni cum Papâ Dominica media Quadrageſimæ fuiſſe dicitur, in Chronico Breui S. Benigni, cuius cœnobij Eccleſia poſtridie ab eodem Papâ fuit conſecrata. Inde Pariſios veniſſe multis eſt compertum argumentis, tradúntque tum Robertus Montenſis, tum Auctor vitæ S. Villelmi, ex ordine S. Auguſtini, Roſcildenſis poſteà in Daniâ Abbatis, ex quibus docemur Eugenium Papam ob illatam Clericis ſuis iniuriam, dum diuina peragerentur myſteria, amotis ab Eccleſia S. Genouefæ ſæcularibus Clericis, Regulares ſubſtituiſſe ex Abbatia S. Victoris eiuſdem ciuitatis deductos, primo Abbate Henrico conſtituto, qui erat Prior S. Victoris: In Chronica Normanniæ & in Vitâ mox citatâ longè emendatiùs dicitur Odo. Ludouicus Rex, ait Sugerius, ex quo alij, in hebdomada ſecunda poſt feſtum Pentecoſtes ordinatis rebus ad iter tantæ peregrinationis neceſſariis venit, vt moris erat, ad Eccleſiam B. Dionyſij à Martyribus licentiam accepturus. Ibi poſt celebrationem Miſſarum baculum peregrinationis, & vexillum B. Dionyſij, quod Oriflamba Gallis dicitur, valdè reuerenter accepit, ſicut moris eſt antiquorum Regum quando debent ad bella procedere, vel votum peregrinationis adimplere. Inde per Baioariam, Auſtriam, Hungariam, Bulgariámque peruenit C P. & cum Manuele Imperatore Græcorum ipſe & Imp. Conradus locuti ſunt. Pergit idem auctor narrare. I. Tranſita Propontide quæ dicitur Brachium S. Georgij, Conradum Imperatorem à Græcis conductoribus ſuis proditum fuiſſe, & deuictum ab exercitu Soldani Iconienſis menſe Nouembri. II. Habito cum Rege Franciæ, qui non longè aberat, colloquio pleróſque Teutonicos C P. rediiſſe itineris pertæſos, ipſúmque Imperatorem in eamdem vrbem reuerſum cum Baronibus, & gente ſua vſque ad veris initium hiemauiſſe. III. Ad vada Mœandri deuictos à Francis Turcos. IV. Gaufridum de Ranconio vnum de nobilioribus Baronibus prouinciæ Pictauenſis, qui faciebat antegardam, & gerebat baneriam Regis, quæ (ſic enim legendum arbitror, non quam) præcedebat, prout moris eſt, vexillum B. Dionyſij, ab exercitu longiùs receſſiſſe, ideóque à Turcis multos trucidatos fuiſſe, ac*

Regem se aduersus eos viriliter defendisse. V. Ad Attaliam Francos venisse, ibique peditibus dimissis Regem cum Baronibus, & militibus mare conscendisse, & iuxta Seleuciam ad portum S. Simeonis, qui decem millibus Antiochia distat, applicuisse circa mediam Quadragesimam an. seq. & à Raimundo Principe Alienor is Reginæ patruo primùm quidem humanissimè exceptum esse, sed ab eo postea abalienatum de nocte cum suis egressum esse, quæ postrema ad sequentis anni initium pertinere omnino videntur, quidquid nonnulli contendant. De iisdem quoque consulendi Nicetas Choniates, Willelmus Tyrius, &c. Multi Christianorum per mare Anglicum profecti ad debellandos Saracenos (ducentas ferè naues Anglicas, & Flandricas conuenisse volunt) tandem emenso mari in Gallicià apud S. Iacobum applicuerunt, indéque mouentes Vlyssiponam expugnarunt in festo Sanctæ Vrsulæ, & vndecim millium Virginum. Alfonsus quoque, cuius Imperij Toletum caput est, adiutus à Pisanis & Genuensibus Almariam super Paganos cepisse dicitur, & Comes Barcinonæ Tortosam, vt docent Robertus, Dodechinus, qui ipse præsens expeditioni illi Lusitanicæ interfuit. Gemblacensis Monachus, &c. *de Gilberto Porretano Pictauensi Episcopo ab Archid aconis suis, & à S. Bernardo apud Pontificem accu ato multa suggerent Otto Frisingensis, eiúsque continuator Radeuicus, quæ non omisit Baronius, quem etiam consulendum moneo de Henrico hæretico, Petri de Bruis discipulo, eiúsque erroribus fusè differentem, ex Gaufredo auctore Vitæ S. Bernardi, eiusdémque sancti ac Petri Venerabilis commentariis. Guerra vltra Ligerim ex Chronicis Andegauensibus, cùm Comes Gaufridus Doatum castrum atque Blazonium destruxit. Guille'mus Niuernensis Comes relicto sæculi principatu, & omni honore calcato Carthusiam petiit, ibique dignè Deo in humillimâ paupertate conuersans infra annum conuersionis suæ felicem vitæ cursum terminat, inquit Robertus S. Mariani Monachus.*

Anno Christi MCXLVIII. *Ludouici Iuuenis* II. *celebratum est Remis Concilium generale ab Eugenio Papa, & mille ac centum Episcopis atque Abbatibus vndecimo Kalendas Aprilis in media Quadragesima, in quo inter cætera. I. Eudo de Stella, Hæreticus Brito, qui se Prophetam dicebat, & Eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, condemnatus est, & sub custodia Remensis Archiepiscopi non multò pòst defunctus, de quo Otto, Robertus, Neubrigensis, Gemblacensis,* &c. *II. Statuti canones* 17. *III. Gilbertus Porretanus quæ-*

dam, quæ defendere, vel non præsumpsit, vel non potuit, ipsemet damnare coactus est finita iam Synodo, quæ pluribus exequitur Otto, qui seipsum in Gilbertum proniorem fuisse, postea morti proximus vltro fassus est, & Gaufridus in vita S. Bernardi, & in epistola ad Cardinalem Albanensem, cuius ipse creditur auctor: Ibidem quoque multæ lites agitatæ, & Bituricensis Archiepiscopus Narbonensem Archiepiscopum, Anicien sem Episcopum, & Abbatem Dolensis castri, aliique alios sibi vindicarunt, vt ex quadam ad Sigeberti Chronicon Appendice didici, quæ edita est pag. 611. Partis II. nostrorum Miscellaneorum Historicorum. S. Malachias Hibernorum Archiepiscopus & Apostolicæ Sedis Legatus apud Claramuallem migrat ad Dominum 4. Nonas Nouembris, loco quem præelegerat, tempore & die quem designarat, cuius vitam scripsit S. Bernardus, innuitque Eugenium ante huius anni Autumnum iam è Gallia in Italiam, & loca Romæ proxima secessisse. Conradus Imperator hyeme C P. transacta nauigiis ab Emmanuele Græcorum Imp. subministratis in Paschali hebdomada portui Acconensi applicuit: cui Rex Balduinus & Fulcherius Patriarcha obuiam exierunt, & in ciuitatem sanctam cum magna lætitia introduxerunt. Eodem tempore ad eundem portum accessit Alfonsus Comes Tolosæ filius Raymundi Comitis S. Ægidij, qui in vrbe Cæsareâ in margine maris sita veneno cibis permixto sublatus est, teste Sugerio. Addit Auctor vulgatæ ad Sigebertum Appendicis id Reginæ quam alij Francicam interpretantur, alij Hierosolymitanam, dolo factum fuisse. *Expetitus ab eodem Balduino & ab Imp. Conrado Ludouicus Rex Antiochia profectus Tripolim venit, atque inde Hierosolymam, celebratóque conuentu principum omnium quos Sugerius sigillatim enumerat, in vrbe Acconensi, decreta est obsidio Damasci die 20. mensis Maij, quæ felici caruit exitu ob proditionem quorumdam Syriæ Procerum, vt idem auctor fusè describit,* ex quo etiam discimus Imperatorem salutatis Franciæ Solymæque Regibus C P. primùm deinde in Italiam atque Alemanniam incolumem peruenisse. Ex Appendice Sigeberti pauca seligam. I. Rogerium Siciliæ Regem ob Legatos suos carceri mancipatos iure iratum misso nauali exercitu Corinthum spoliasse, cum quibusdam aliis ciuitatibus & castellis in Græcia cepisse quoque Corcyram, quam barbarè Curfolium vocat, & in eius portu forte præsidium ædificasse. *II. Aluisum Atrebatensem Ep. apud Philippopolim & Simonem Nouiomensem Præsulem apud Seleuciam*

diem clauſiſſe. III. Laudruni fulminis ictu in Eccleſia S. Vincentij duos Monachos diurni officij curſum complentes die 4. Nonas Iulij interfectos, quod etiam non omiſit qui hîc deſinit Monachus Gemblacenſis, addítque inter cætera Cameracum magna ſui parte incendio conflagraſſe, & Dacos, Weſtfalos ac Saxonum Duces conſenſiſſe in hoc, vt aliis euntibus contra Saracenos in Palæſtinam ipſi vicinam ſibi Slauorum gentem, aut omninò delerent, aut cogerent Chriſtianam fieri, ſed cùm iam ad arma ex vtraque parte ventum eſſet, Teutonicos accepta pecunia vendidiſſe Dacos, quorum millia multa occiſa. Henricus Dauidis Scotorum Regis filius obiit, relictis Malcolmo, Guillelmo, & Dauide filiis, teſte Neubrigenſi lib. 1. cap. 23. De Aurea Bulla ſeu Conſtitutione, quæ dicta eſt Medicatrix, ab Emanuele lata menſe Februario, & de ſucceſſore Charitonis, non Theodoſio, ſed Luca Chryſoberge plura ex Iure Orientali, Balſamone, Nicetâ, aliiſque Baronius, necnon de Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo, qui quòd latenter & contra prohibitionem Stephani Regis ad Remenſe Concilium euocatus ab Eugenio veniſſet, eiuſdémque Papæ prohibitione Euſtachium Regis filium coronare noluiſſet, grauem in Angliam reuerſus paſſus eſt perſecutionem. Notat verò Henricus Huntendonienſis Alexandrum Lincolienſem Ep. ſuperioris anni menſe Auguſto Antiſſiodorum veniſſe ad Eugenium Papam, qui priùs Pariſiis morabatur, ab eóque honorificè ſuſceptum paullo poſt reditum in Angliam morti ſuccubuiſſe; & in Capite ieiunij anni huius apud Lincoliam ſepultum fuiſſe.

Anno Chriſti MCXLIX. *Ludouici Iuuenis* 12. Eugenius Papa reuerſum in Langobardiam Conradum Imp. litteris eſt conſolatus datis in Tuſculano 8. Kalendas Iulij, quo tempore aduerſus rebelles Romanos vario euentu pugnabat: Vide Ottonem libri I. cap. 61. & Appendicem Sigeberti vulgatam ſub nomine Roberti Abbatis de Monte. *Valcellenſis Eccleſia teſte Affligemenſi ſeu Valc. Monacho Auctarij à Miræo editi auctore, conſecrata eſt 7. Kal. Iunij à Sanſone Remorum Arch. qui pactus eſt etiam inducias in ſex menſes inter Balduinum Hannoniæ Comitem & Sibyllam Theoderici Alſatij Flandriæ Comitis vxorem, interim dum ille rediret è Syria. Henricus Ludouici Sexti filius & Ludouici VII. Regum Franciæ frater contempto mundi ſchemate, verba ſunt Appendicis eiuſdem,*

cui iunge Gaufridum in Vita S. Bernardi, pro Chriſto in Claraualle indutus monachali habitu paullò pòſt prouehitur ad Epiſcopatum ciuitatis Beluagicæ, ex conſilio Petri Venerabilis Cluniacenſium Abbatis. Eadem Appendix ſubiicit. I. Poſt Lunæ Eclipſin 7. Kal. ſic enim legendum non 11. *Kal. Aprilis Sabbato ante Ramos Palmarum ſequutam ventorum intemperiem per quatuor continuos dies. II. Ludouicum Francorum Regem à Palæſtina nauigantem, vt in patriam rediret, in Græcorum naues incurriſſe, cúmque ab eis Imperatori Curſolium obſidenti præſentandus deduceretur, à Georgio Duce nauium Rogerij Ducis Siciliæ (qui vaſtatis ſpoliatíſque Græcorum prouinciis vſque ad ipſam vrbem Regiam accedens ſagittas aureas in palatium Imperatorium iecerat, & incenſis ſuburbanis de fructu hortorum Regis violenter tulerat) ereptum eſſe ex eorum manibus. Quod tamen omiſit Sugerius in Ludouici vitâ, dum tradit poſt annuam in Palæſtina commorationem, licentiâ à Rege, Patriarchâ, & Baronibus acceptâ, in portu Acronenſi nauigium conſcendiſſe, maríſque nullo impediente periculo, ad regnum proprium eſſe reuerſum, menſe Auguſto, vt quidam obſeruarunt, & poſt paruum temporis ſpatium ex Alienorde Reginâ natam filiam natu minorem in ſacro baptiſmate Aleydam vocatam, cùm primogenita Maria Henrico Theobaldi Comitis Campaniæ filio iam deſponſa eſſet.* III. Emmanuelem recepto in deditionem Curſolio per ſuos inſequutum fuiſſe naues Siculorum, & nonnullis earum captis Regem Ludouicum fuga liberatum, tum à Rege Rogero, tum ab Eugenio Papâ honorificè ſuſceptum atque deductum. IV. Raimundum Pictauinum Antiochiæ Principem (cuius vxor Conſtantia poſtea nupſit Rainaldo de Caſtellione quem anno 1187. decollari iuſſit Saladinus cùm alteram iam duxiſſet vxorem) Calendis Aug. contra Turcos egreſſum multis ſuorum captis occisíſque in eorum inſidiis fuiſſe interfectum: Turcos caput eius circumferentes omnia ferè caſtra præter Antiochiam in deditionem accepiſſe. V. Balduinum Regem contra eoſdem Saracenos in Syriam egreſſum munitionem circa Damaſcum cepiſſe, & Damaſcenos in triennium tributarios feciſſe. VI. Milites Templi Gazam reædificaſſe, turribúſque muniuiſſe aduerſus Aſcalonitarum irruptiones. Henrico nepoti ſuo, inquit Henricus Huntindonenſis, Dauid Rex Scotorum virilia tradidit arma, idémque teſtatur Euſtachium feciſſe Stephani Regis filium: Robertus Montenſis diem Pentecoſtes deſignat quo

Dauid accinxit armis militaribus Henricum primogenitum Gaufredi Ducis & neptis suæ Mathildis Imperatricis, qui anno præterito de Normannia in Angliam transfretauerat. Ex eodem quoque Chronographo discimus. *I. Obiisse Letardum Becci Abbatem succedente Rogerio.* II. Magistrum Vacarium gente Longobardum in Anglia docentem leges Romanas suggestione pauperum de Codice & Digestis excerptos libros nouem composuisse, qui sufficiunt ad omnes lites decidendas. *III. Gaufredum castellum Monasteriolum in pago Pictauensi post tres annos obsidionis à Berlaio deditum euertisse. IV. Circa mensem Augustum rediisse Regem Ludouicum. V. Fuisse hyemem horribilem tribus mensibus continuam. VI. Combustum iterum Corbeiense ad Somonam in Picardia monasterium. Consecrata est Ecclesia Vodolionis à Petro Bituricensi Archiep. ex Chronico Dolensi pag. 316. N. B. S. Bernardus eo tempore scripsisse videtur aureos libros de Consideratione ad Eugenium Papam: certè initio Libri Secundi apologiam texuit aduersus eos, qui rei malè gestæ consilium ei obiiciebant, qua de re videndi quoque Otto, Gaufredus & Ioannes Casæmarij Abbas in epistolâ, quam ad eundem sanctum Bernardum misit.* De Epitaphio cuiusdam Lucæ Archimandritæ vide quæ diximus in Chronico Technico.

Anno Christi MCL. *Ludouici Iuuenis* 13. *orta est inter hunc & Gaufridum Comitem Andegauensem discordia ob euersum Monasterienſe castrum, captumque Berlaium castri illius dominum, vt pluribus docet Robertus Montensis, ex quo etiam discimus. I. A Theobaldo Blesensi Comite Gaufridum filium Gaufridi Andegauensis Comitis armis militaribus decoratum. II. Ludouicum Regem cum Eustachio, & magna militia venisse in Normanniam ante Castellum Arcas, vbi Henricus iunior Normanniæ Dux aderat ex Anglia reuersus, ac relicta Castelli Torinnensis obsidione. III. Eundem Regem mense Augusto acuta febre in ciuitate Parisiensi interceptum, eóque conualescente pacis serenitatem refulsisse, reddito Girardo Berlaij, ac Rege assumente hominium Henrici Normanniæ Ducis, pro quo beneficio idem Henricus de assensu patris sui contulit Regi totum Vilcassinum Normannicum perpetuò possidendum ab Etta fluuio ad Andelam, inquit Sugerius seu quis alius Auctor Vitæ Ludouici VII. Regis. IV. Gaufridum Andegauensem Comitem cùm Lutetia recessisset apud Castrum Ledi 7. Idus Septembris mortis concessisse legibus, ac Cenomanis fuisse sepultum in Ecclesia S. Iuliani: non desunt tamen Chronographi plures Henricus, Rogerius,*

Rogerius, &c. qui in seq. annum mortem eius differant, de qua Auctor Anonymus qui Gesta Consulum Andegauensium scripsit nondum edita, & Ioannes Monachus Maioris Monasterij vulgatus à Laurentio Bochello. V. Mortuum eodem anno Sugerium Abbatem S. Dionysij, qui absente Rege, Galliam summa prudentia administrauerat, suúmque monasterium ornamentis, possessionibus, ædificiisque plurimum auxerat, vt tum ipse pluribus in singulari opusculo, tum auctor vitæ ipsius enarrat. VI. Successisse Sugerio Odonem, qui anno præterito fuerat Abbas constitutus in Ecclesia Compendij, quando Rex in ea posuerat Monachos sancti Dionysij. VII. Decessisse Algarum Ep. Constantiensem. VIII. Famem, mortalitatem, sacrum ignem multos vexasse. IX. Denique Henricum Normanniæ Ducem ab Andegauensibus in pace receptum fuisse. Robertus vulgatus duo adtexit. I. Bartolomæum Laudunensem Ep. 38. sui Episcopatus anno contempto mundi schemate Fusniaci Monachum induisse. II. Habitis per Franciam conuentibus, annuente etiam Papa Eugenio decretum, vt S. Bernardus Hierosolymam ad alios prouocandos mitteretur, sed per Cistercienses Monachos totum fuisse cassatum. De contentione & pugna Henrici Leodiensis Episcopi, & Henrici Comitis Namurcensis, & de reditu Theoderici Alsatij Flandrensium Comitis videndus Monachus Affligemensis. Guillelmus à Patre Rogerio Siculi regni successor declaratus die 19. Aprilis in Regem inunctus est : nonnulla alia suppeditabit Baronius ex epistolis Petri Venerabilis deprompta, quæ omitto.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ MCLI. *Ludouici Iuuenis* 14. *Vulgata ad Sigebertum Appendix adscribit obitum Sugerij Abbatis sancti Dionysij (qui anno adhuc sequenti superstes fuit, nam die tantum* 13. *Ianuarij ex hac vita migrasse perhibetur, maximè si verum est quod Baronius asseruit præsentem interfuisse Synodo Balgentiacensi) Rainaldi Abbatis Cistercij, Odonis Abbatis S. Remigij, Hugonis Antissiodorensis, & Iosleni Suessionensis Episcoporum, Gaufredi Belli Andegauor. Comitis, de quo Robertus an. præcedenti, & Theobaldi Campaniæ Carnoti Blæsarúmque Comitis, quem pauperum patrem, Iudicem viduarum, religiosum Principem vocant, multisque aliis præconiis cumulant temporum illorum scriptores. Addit Robertus huic successisse tres filios : Henricum primogenitum habuisse Comitatum Trecassinum, & Campanensem, & quidquid pater eius habuit trans Sequanam, Theobaldum secundum Comitatus Carnotensem, & Blesensem, cum Dunensi*

pago, Stephanum tertium, Sancerrij siue Sacro-Cæsaris honorem in pago Bituricensi. De quibus locupletius disseruimus in Tabulis Genealogicis Ducum Comitúmque Parium Franciæ. Idem Robertus, quem sequitur Auctor Chronicæ Normannicæ, multa subiicit quorum maxima pars ad annum seq. pertinet. Helias frater Gaufredi Andegauorum Comitis hoc anno obiit, quantum colligi potest ex Chronico Vind. cinensi pag. 289. Nouæ Bibliothecæ. Gratianus patria Clusinus è Tuscia, quem Robertus Montensis sub anno 1130. minùs benè Episcopali titulo decorauit, Monachus Benedictinus S Felicis Bononiensis, Decreta Veterum Patrum & Conciliorum Canones per Distinctiones Quæstionésque distribuit, & post Burcardum, Iuonem, aliósque nouo ordine collegit: de quo Trithemius, Bellarminus, Possevinus, alij. Ioannes Paparo Legatus ab Eugenio Papa in Hiberniam missus est, vt deferret pallia quatuor Archiepiscopis, quos in ea instituerat Insula, de quibus Henricus, Rogerius, Robertus, *&c.* Colonensis & Moguntinus Episcopi Romam veniunt ad dicendam causam, & hic quidem pleniori iudicio remittitur, ille autem innocens pronuntiatur. S. Henricus Finlandiæ Episcopus martyrio vitam finiit, vt in vtroque opere docet Ioannes Olaus Archiepisc. Vpsalensis. Garsias Nauarræ Rex hoc vel præcedenti anno obiit equo in venatione lapsus, cùm regnasset annis 50. Succedit filius Sanctius ad annos 44. Pax Eugenij Pontificis opera composita est inter Græcorum Imp. Manuelem & Siciliæ Regem Rogerium, qui quod feliciter pugnasset contra Afros dicitur gladio suo insculpsisse hoc carmen:

Appulus & Calaber, Siculus mihi seruit & Afer.

Anno Christi MCLII. *Ludouici Iuuenis* 15. Conradus III. Alemanniæ Rex obiit die 15. Februarij feria 6. proxima à capite ieiunij, cùm imperasset annis 12. mensibus 10. & diebus 15. Hic numquam fuit Romæ coronatus, inquit Robertus Montensis, ideóque non rectè vocatur Imperator, sed Rex Alemannorum. Fridericus, Ahenobarbus seu Barbarossa passim cognominatus, Sueuorum Dux, Conradi ex fratre maiore natu Frederico nepos, suffectus est in eius locum Francofurti ad Mænum die 4. Martij feria 3. post Dominicam tertiam Quadragesimæ, & seq. Dominica die 9. mensis eiusdem Aquisgrani coronatus, de quo inter cæteros videndi

Otto Frisingensis, Otto de S. Blasio, Radeuicus, Dodechinus, & alij. Idem die 23. Martij, Constantiæ cum Eugenio Papa fœdus init de compescendis rebellibus Romanis, & Græcis Italia pellendis. *De Concilio Balgentiacensi hæc siue Sugerius Abbas S. Dionysij celeberrimus, siue quis alius, qui assumentum illud Vitæ Ludouici VII. attexuit: vt veritas consanguinitatis inter Lud. Regem eiúsque vxorem Alienordem posset veraciùs indagari, die Martis ante festum Paschatis Floridi, id est ante Dominicam Palmarum, in castro Baugentiaci (Samson Remensis, & Hugo Senonensis omissi sunt in editione Duchesnij pag. 411. Tomi IV.) Hugonem Archiep. Rotomagensem, & quartum Lanfredum seu potius Gaufredum, Burdegalensem, cum pluribus suis Coepiscopis, & Baronibus Franciæ fecit solenniter conuenire. Ante quorum præsentiam per iuramentum suum dixerunt quòd Rex & Regina sese cognatione contingebant, & quòd secundùm Deum, & legem coniugalem debebat inter eos diuortium celebrari, sícque inter eos solutâ matrimonij copulâ, cùm Alienordis rediret in Aquitaniam post discessum à regno Franciæ, à Duce Normanniæ Henrico, qui postea fuit Rex Angliæ, solemniter est desponsata, &c. Ludouicum zelotypiæ spiritu inflammatum repudiasse coniugem suam docet Appendix Sigeberti, magnámque excanduisse simultatem inter eum & Henricum, qui contra Regis voluntatem Alienordem sibi sociauerat, & cum ea Aquitaniam acquisierat.* Addit I. Adalberonem Arch. Treuerorum obiisse. II. Balduinum Regem Hierosolymitanum, qui à matre in vrbem sanctam intrare fuerat secundò prohibitus, tandem violenter fuisse ingressum, ac Reginam facta pace Neapolim dimisisse, sibi verò reliquam regni partem retinuisse. III. Masamutos post vsurpatum Mauritaniæ regnum, Regémque patibulo affixum etiam Regem Bulgiæ occidentes, regnum eius inuasisse, ipsíque Siciliæ Apuliæ ac Romæ minas intentasse. *IV. Radulfum Strenuum, Viromanduorum Comitem obiisse, de quo consule Stemmatum Francicorum Tabulam Genealogicam 15.* V. Eugenium Papam facta cum Romanis pace Vrbem ingressum ibi cum eis hoc anno primitus commoratum. *Sanctus Gilbertus ex potenti milite sæculi humillimus miles Christi apud Scolam Aruerniæ vicum migrauit ad Dominum, sepultúsque est in vicino monasterio Septem Fontium Præmonstratensis Ordinis, vt testatur Robertus S. Mariani Antissiodorensis Monachus eiusdem Ordinis. Combusta sunt à Ludouico Rege Castra, & Castrum Meillanum, & ab Ebbone Dolensi Principe Closis. Com-*

buſtam quoque maximam partem Caſtri Dolenſis docet Chronicon eiuſdem Abbatiæ Dolenſis pag. 316. Nouæ Bibliothecæ. De rebus Anglicis non conſentiunt Henr. Rob. Rog. aliíque quos vide. *In Bruxellenſi Eccleſia B. Nicolai per B. Virg. Deus multa miracula operatus eſt, ex Auctario Affligemenſi.* Baronius mortem Rogerij Siciliæ Regis ſuccedente filio Willelmo Malo ex Chronico Romualdi hoc anno collocat, quam alij in biennium differunt.

Anno Chriſti MCLIII. *Ludouici Iuuenis* 16. Moguntinus Archiepiſcopus Henricus à duobus Cardinalibus S. R. E. Legatis depoſitus eſt, ſuffecto electione cleri ac populi Arnoldo Regis Cancellario, vt tradit Otto libri 2. de rebus Friderici cap. 9. cui maior fides habenda, quàm Conrado Mogontiacenſis Chronici auctori, qui poſt ſæculum integrum ſcripſit. Eugenius III. Papa Tibure obiit die 8. Iulij poſt ſedem annorum 8. menſium 4. & dierum 13. & Romæ in Eccleſia S. Petri eſt ſepultus. Succeſſit poſtridie electus, vel vt alij die 10. eiuſdem menſis, Conradus de Sulma, Romanus, Card. Sabinenſis, qui fuerat Canonicus Regularis Abbas S. Ruffi, dictúſque eſt mutato nomine Anaſtaſius IV. *S. Bernardus Abbas Clarauallenſis cœnobij primus & aliorum ampliùs quàm 160. monaſteriorum pater annis circiter 63. expletis, inter filiorum manus obdormiuit in Chriſto die 20. Auguſti, ſepultúſque eſt ante altare Beatiſſimæ Virginis Matris, ipſóque in tumulo pectori eius ſuperpoſita eſt capſula reliquias continens B. Thadæi Apoſtoli ſibi eodem anno Hieroſolymis miſſas. Eiuſdem in honorem verſus aliquot retulit Robertus S. Mariani Monachus. Plura de eo Guillelmus, Bernardus, Gaufredus, aliíque eius vitæ Scriptores, & Ciſtercienſis Ordinis Hiſtoriographi, quos videas licet cum Baronio, eiúſque Epitomarum contextoribus. Succeſſor eius fuit Robertus Brugenſis Abbas Dunenſis in Flandria ab ipſo præelectus. De Eclipſi Solis 26. Februarij monuimus in Chron. Technico.* Balduinus Rex Hieroſolymitanus obſeſſam diebus ſanctæ Dei genitricis Purificationi proximis Aſcalonem cepit tandem 14. Kal. Septembris, vt pluribus enarrat Monachus Affligemenſis ex fide viri, qui præſens interfuit, & omni tempore obſidionis in exercitu durauit. Alij verò cum Tyrio in annum ſeq. differunt. Chronicon Andegauenſe S. Albini vnà cum expugnatione Aſcalonis meminit *natiuitatis Guillelmi ex Henrico Duce Normanniæ, & Alienorde Aquitanica prognati die 16. Kal. Septembris.*

Addit Robertus hoc Vvillelmi nomen quasi proprium esse Comitibus Pictauorum, & Ducibus Aquitanorum, & in eadem octaua S. Laurentij mortuum fuisse Eustachium filium Stephani Regis Anglorum, cùm in festo S. Laurentij prædatus fuisset terram S. Edmundi Regis & Martyris, quod iisdem verbis repetitur in Chronica Normanniæ, ex quibus Rogerium refellas, qui Eustachij mortem differt in annum sequentem. Et verò, quo tandem pacto Stephanus adoptare potuit Henricum in filium superstite adhuc Eustachio? Cameracum recipit Theodericus Flandriæ Comes & moritur Vvaltherus Laudunensis Ep. Præmonstrati, vbi quondam pro Christo paupertatis habitum sumpserat, sepultus, ex vulgata ad Sigebertum Appendice. Rogerius, Henricus, aliique referunt. I. Henricum Normanniæ Ducem mense Ianuario in Angliam transfretasse, & post concertationes mutuas cum Stephano Rege pacem tandem fuisse compositam 8. Idus Nouembris, mediantibus Theobaldo Cantuariensi Archiep. & Henrico Vintoniensi Præsule, ea conditione vt eum Rex Stephanus adoptaret in filium hæredem successorémque regni. II. Obiisse Dauidem Scotorum Regem 9. Kal. Iunij, succedente nepote eius Malcolmo Henrici Comitis filio puero duodecenni, & Willelmum Ep. Dunelmensem, cui successit Hugo de Puteaco Thesaurarius Eboracensis Ecclesiæ prædicti Regis Stephani nepos, consecratus Romæ ab Anastasio Papa Dominica ante Natale Domini; necnon Henricum Archiepisc. Eboracensem, quo defuncto. Vvillelmus, quem Papa Eugenius suspenderat, Romam profectus inuenit gratiam apud eundem Anastasium, eique redditus est Archiep. Eboracensis. Plura de his, de obsidione Castri Vernonis, aliisque supra citatus Robertus Montensis, cuius periochæ ferè omnes hoc & proximis annis in pleríque mihi luxatæ ac perturbatæ videntur, vt pluribus aliàs demonstrabitur. *Ludouicus Rex hoc etiam exeunte anno vocabat se Ducem Aquitanorum, vt tum ex aliis arguitur, tum ex diplomate publicè Bituris acto, quo confirmantur Priuilegia Ecclesiæ Collegiatæ B. Vrsini, vt docebit ex eiusdem Chartulario Promptuarium Bituricensium Antiquitatum.*

Anno Christi MCLIV. *Ludouici Iuuenis 17. nuptiæ celebratæ sunt inter Regem hunc ac Constantiam filiam Alfonsi Toletani Regis, quem, quia vt inquit Robertus Montensis, principatur Regulis Aragonum, & Galliciæ, Imperatorem Hispaniarum appellant. De his ita habet S. Mariani Chronographus: Ludouicus Francorum Rex filiam Imp.*

Hiſpaniæ fœminam morum honeſtate præcipuam accepit in coniugem apud Aurelianis vrbem, ibíque nuptiis quàm ſolemniter celebratis ab Hugone Senonenſi Archiepiſcopo vncta eſt in Reginam. Quod Samſon Remenſis Archiepiſcopus ægrè tulit, dicens ſui eſſe iuris, vbicúmque conſecrandi fuerint Reges Francorum & Reginæ, eos à ſe conſecrari debere, cùm hoc nec approbet ratio, nec ſuffragetur exemplum, inquit ex Iuone Carnotenſi, &c. Stephanus Angliæ Rex & Henricus Normanniæ Dux conuenerunt apud Oxinefordiam ad octauas Epiphaniæ, vt diſcimus ex Henrico Huntindonienſi, qui hoc anno finem impoſuit libro 8. Hiſtoriæ Angliæ. *Paullò poſt in Gallias reuerſus Henricus à matre, fratribus, ſubditíſque debita lætitia & honore ſuſceptus eſt, & cum Ludouico Galliæ Rege pacem iniit ea conditione, vt Rex Duci redderet duo caſtella Vernum, & Nouummercatum; Dux verò daret Regi duo millia marcarum argenti pro reſarciendo damno quod paſſus fuerat in capiendo, muniendo & tenendo eaſdem firmitates.* Stephanus verò Angliæ Rex cùm caſtellum Drac iuxta Eboracum obſediſſet, multáque alia cepiſſet diruiſsétque, Doroberniam petiit cum Theoderico Comite Flandrenſi locuturus, vbi infirmitate mortéque præreptus eſt octo diebus ante Feſtiuitatem Omnium Sanctorum, & in Abbatia Feuershamenſi iuxta vxorem ſuam, & filium ſepultus eſt, cùm ferè 19. annis laboriosè atque infeliciter regnaſſet. Henricus auditâ Stephani morte in Angliam aduolans cum vxore & fratribus Dominica ante Natale Domini Lundoniis à Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo in Regem coronatus eſt, inquit Rogerius, qui quod ad diuortium Ludouici cum Alionorde attinet fœdè allucinatus eſt. Chronici Andegauenſis ipſa tibi verba repræſentare non verebor, ex pag. 278. Nouæ Bibliothecæ: Henricus Dux capto Torinneio caſtro Normanniæ, & auditâ Regis Stephani morte, cum Duciſſa Alienoriſſa in Angliam tranſiens 14. Kal. Ianuarias apud Wintoniam Rex conſecratur, & Natalem Domini celebrans Londoniæ cum vxore coronatur, ſícque Rex Angliæ atque Dux Normanniæ, & Aquitaniæ, Coméſque Andegauiæ potentiſſimus habetur. At Chronicon Rotomagenſe 13. Kal. Ian. apud Weſtmonaſterium electum, & in Regem inunctum teſtatur. Obiit Wicelinus Epiſcopus Aldemburgenſis Vandalorum Apoſtolus, vt ex Anonymo Affligemenſi, Alberto Crantzio, aliíſque conſtat. Expeditionem

Regis Friderici Ænobarbi in Italiam, eiúſque res geſtas repeteſis ex Ottone Friſing. Epiſc. eius patruo, ſimilibúſque Germanicæ Hiſtoriæ Scriptoribus. *Menſe Maio 6. Kal. Iuny feria 5. infra Octauas Pentecoſtes electus eſt Robertus de Torinneio Prior Clauſtralis Becci ad regimen Eccleſiæ S. Michaëlis ab omni conuentu, vt legitur in Chronico eiuſdem Abbatiæ pag. 349. Nouæ eiuſdem Bibliothecæ MSS. Librorum. Plura ipſemet addit in Sigeberti Auctario poſt Guibertum Nouigenti Abbatem edito, quæ tu per ocium, ſi vacat, euolues.* Eidem Roberto aſſerta Appendix ad Sigeberti Chronicon plura refert, quæ breui compendio pro more exequar. I. Rogerium Siciliæ filium obiiſſe (quarto Kal. Martij) eiúſque filium Guillelmum miſſo nauali exercitu vrbem Taneos in Ægypto vaſtaſſe, & ſpoliaſſe, atque in reditu Siculas naues de Græcis circiter 140. aut plures viciſſe ac diripuiſſe. II. Templarios occidiſſe Regis Babyloniæ interfectorem, eiúſque theſauros atque opulentam ſupellectilem poſſediſſe. III. Maſſamutos in Italia Puteolos caſtrum ſpoliaſſe, eóſque à Rege Siciliæ per ſuos nauibus perſequente captos atque exterminatos fuiſſe. IV. Robertum de Botua tyrannidem exercuiſſe. V. Anaſtaſium IV. Romanum Pontificem obiiſſe die 2. Decembris, cùm ſediſſet annum vnum menſes 4. & dies 24. eíque ſucceſſiſſe Hadrianum IV. Anglum de Caſtro S. Albani, dictum antea Nicolaum Brekſpearre, ex Religioſo, vel vt alij habent, Abbate Canonicorum Regularium S. Ruffi in Prouincia ab Eugenio Papa creatum Albanenſem Epiſcopum. Ad eum ſcripta extat nomine Henrici Angliæ Regis epiſtola, quæ eſt 165. ordine inter epiſtolas Petri Blæſenſis Archidiaconi Bathonienſis in eadem Anglia.

Anno Chriſti M C L V. *Ludouici Iuuenis* 18. *die* 15. *Kal. Februarij in nocte feſtiuitatis ſanctæ Priſcæ Virginis feria tertia in Burgundia maximè factus eſt terræ motus, & caſtellum vicinum Cluniaco terrâ abſorptum, vt docet Roberti Appendix tum recens edita tum iampridem vulgata vtraque mendoſa, ſiue quæ 25. Kal. Februarij præſcribit, ſiue quæ 15. Kal. Martij. Additur in vulgata Mors Giſleberti Porretani Epiſcopi Pictauenſis, qui Pſalmos & Epiſtolas Pauli luculenter expoſuit: necnon iter Ludouici Regis Francorum, qui orationis gratia perrexit ad ſanctum Iacobum de Gallicia, & ab Imperatore Hiſpaniarum ſocero ſuo fauorabiliter ſuſceptus eſt. Hæc duo tamen ſub præcedentis anni periocham reuocantur in nuper excuſo Roberto: ad hunc*

verò annum pertinere dicuntur. I. Natiuitas Henrici Secundi ex Alienorde Henrici Regis Anglorum filij Londoniæ pridie Kalendas Martij feria secunda, Litera Dominicali B. II. Terræ motus apud Montem S. Michaëlis ante Solis ortum 18. Kal. Maij feria quinta. III. Dominica post Octauas Paschæ 4. Idus Aprilis iurata fidelitas ab omnibus optimatibus Angliæ apud Warengefort Willelmo Henrici primogenito, & si idem puer immatura morte occumberet, Henrico fratri suo. *IV. Mors Garnerij Abbatis Maioris monasterij. V. Discessus ex Anglia Henrici Vintonienſis Episcopi, qui clam præmisso Cluniacum per Abbatem thesauro suo absque licentia Regis abiit. Concilium Suessionense 4. Idus Iunij præsente Rege Ludouico, & Archiepiscopis Remensi ac Senonensi, ad reprimendum feruorem malignantium, & compescendum violentias prædonum manus, vt loquitur Rex ipsemet epistola 57. diuersarum de Rebus Francicis Tomo IV. Historic. Ducheſnij pag. 583. Puer nascitur, ex Chronico Vezeliacensi, in pupilla vnius oculi naturaliter scriptum legebatur,* Homo Deus, *in alterius verò,* Vir bonus, *pag. 397. N. B. Godefridus iunior III. Lotharingiæ Dux Margaritam filiam Henrici Comitis Lemburgensis in coniugio sortitus est, inquit Monachus Affligemensis, per quod tandem omnibus pace compositis contentio longo tempore protracta ea conditione finita est, vt Godefridus confirmatum sibi Ducatum sine vlla contradictione, Aduocatiam S. Trudonis, castellum Rode obtineat, omniúmque quæ Comes possidebat, post decessum eius medietatem accipiens hæreditario iure successor fiat.* Fridericus castigata Tortonensis vrbis, quæ Mediolanensium rebellioni adhæserat, audaciâ, primùm Papiæ coronatur vt Langobardorum Rex, deinde Romam veniens die 19. Iunij Dominica, vel præcedenti sabbato, vt multi scribunt, ab Hadriano Papa Imperiali corona donatur in Ecclesia S. Petri, repugnantibus nec quicquam Romanis, vt locupletiùs exponunt Fridericus ipse Imperator in Epistola ad Ottonem Ep. Frisingensem, Otto idem Frisingensis lib. 2. Guntherus, Anonymus Affligemensis, Dodechinus, Robertus qui addit condixisse quidem per legatos cum Manuele Imp. CP. qui duxerat sororem eius, vt venientes ex diuersis partibus pessumdarent regnum Apuliæ, Regémque eius Guillelmum, sed mutata postea voluntate in patriam suam se recepisse, Anonymus de rebus gestis Hadriani apud Baronium, aliíque. A Papa solenni ritu excommunicatus Siciliæ Rex Guillelmus, quod Romanæ Ec-

clesiæ

cleſiæ ereptum Beneuentum ſibi vindicaſſet, cùm videret ſe vndiq; copiis Romanis, & vaſtatione Roberti Comitis de Baſcuilla & Ricardi Comitis de Andria aliorúmque Optimatum ſuorum oppreſſum, poſtquam ex graui infirmitate conualuit, inſtanter petere cœpit abſolutionem ab excommunicatione, *&c.* Arnaldus de Brixia à Frederico, antequam Romam ingrederetur, Pontifici redditus, traditúſque in manus Præfecti Vrbis, eius iuſſu ligno adactus atque igne combuſtus eſt, & in Tiberim diſperſi eius cineres. Fulcherius Patr. Hieroſolymitanus prope centenarius Romam ad eumdem Papam venit, ob litem cum Hoſpitalariis acerrimè agitatam, quos à decimis aliiſque iuribus Epiſcopalibus exemerant Romani Pontifices, qua de re Tyrius à Baronio in Annalibus ob nimiam credulitatem reprehenſus, in quibus etiam mentio literarum Hadriani ad Baſilium Achridenum Theſſalonicenſem Archiepiſcopum, eiuſdémque reſponſionis, quæ extant in Codice Iuris Orientalis opera Leunclauij edito. Henricus Angliæ Rex, inquit Rogerius de Houeden initio Poſterioris Partis Annalium, caſtella inimicorum ſuorum in Anglia obſedit & cepit; & quædam illorum in manu ſua retinuit, quædam autem proſtrauit: *deinde transfretauit in Normanniam & homagium fecit Ludouico Regi Francorum de Normannia, & Aquitania, & Andegauia, & Cenomania, & Turonica, & de omnibus earum pertinentiis.*

Anno Chriſti MCLVI. *Ludouici Iuuenis* 19. *ab eodem Rege libertate donata eſt Senonenſis Eccleſia à peſſimis exactionibus, quibus moriente Archiepiſcopo ſolebat fatigari & opprimi, inquit Robertus S. Mariani. Vezeliacenſis burgi incolæ communiam, quam aduerſus Pontium Abbatem, & fratres Monaſterij dominos ſuos fixerant in manu Regis coacti abiurauerunt pag.* 397. *Nouæ Bibliothecæ. Henricus Rex Angliæ Cainonem caſtrum obſidet, & capit, & Loſdunum, & Mirebellum in dominium accepit: ſed Loſdunum fratri ſuo Gaufrido reddit, & poſtea in Angliam tranſiit. Matthæus Abbas S. Florentij, Andegauenſis conſecratur Epiſcopus, ex Chronico S. Albini: At Robertus enucleatius omnia digerit. I. Henricum ex Anglia transfretaturum apud Douram mare intraſſe, & appuliſſe ad Vvitſant: in Purificatione veniſſe Rotomagum, ſequenti Dominica locutum cum Ludouico Rege in confinio Normanniæ & Franciæ: ad eum acceſſiſſe Theodoricum Flandrenſium Comitem cum Sibylla vxore ſua Henrici amita: cúmque*

Gaufridus frater non ſuſceptis iis, quæ offerebantur, in Andegauenſem pagum receſſiſſet, è veſtigio eum eſſe inſecutum. II. Inundatione Tiberis factâ Romæ in Inſulâ inuentum corpus S. Bartolomæi Apoſtoli, necnon S. Paulini Nolani Epiſcopi, quæ de re plura Baronius, Inchoferus, aliíque quæ ego ad amuſſim nolim hîc expendere. *III. Gaufridum expulſo Hoello Comite Britanniæ cepiſſe Namneticam ciuitatem conſentientibus ciuibus.* IV. Guillelmum Siciliæ Regem Barenſem ciuitatem funditus euertiſſe præter Eccleſiam S. Nicolai, Græcos terra marique ſuperaſſe, caſtella vrbéſque quas perdiderat in ius proprium reuocaſſe, exhæredaſſe Comitem Robertum de Baſeuilla; à Papa accepiſſe regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ & Principatum Capuæ, cum conſecrationibus Epiſcoporum regni ſui, & Ducatus, *&c.* Annales Eccleſiaſtici ipſa exhibent diplomata, quæ obſeſſus Beneuenti Hadrianus coactus fuit concedere Willelmo illi Malo, vt in Sicilia non eſſet ius Appellationis ad Sedem Apoſtolicam, nec Legationis eò mittendæ niſi ad petitionem Regis hæredúmque ipſius. *V. In Octaua Pentecoſtes Hugonem Rotomagenſem Archiepiſcopum cum tribus Epiſcopis apud Moretonium leuaſſe corpus S. Firmati, & ab eodem Archiepiſcopo in Monaſterio Montis S. Michaëlis altare Beatæ Mariæ in crypta Aquilonis nouiter reædificatum fuiſſe conſecratum. VI. In pago Pariſiacenſi Monaſterio Argentoilo diuina reuelatione repertam eſſe cappam ſeu tunicam Saluatoris noſtri inconſutilem, & ſubruſſi coloris. VII. Nono, ſic enim legendum non Tertio Kal. Iunij, feria 4. Vigilia Aſcenſionis Domini circa meridiem apparuiſſe circulum circa ſolem ignei & cærulei coloris. VIII. Obiiſſe Guillelmum filium primogenitum Henrici Regis ſepultúmque Radingis ad pedes proaui ſui. IX. Menſe Iulio ſopitam diſcordiam Henrici cum fratre Gaufrido, ea conditione interpoſita, vt Rex daret ei ſingulis annis mille libras Anglicæ monetæ & duo millia Andegauenſium. X. Obiiſſe Alanum Ep. Redonenſem, & Ingelbaudum Archiep. Turonenſem. XI. Conanum Comitem de Richemontio de Anglia in Minorem Britanniam tranſgreſſum obſedíſſe ac cepiſſe vrbem Redonenſem fugato Eudone Vicecomite vitrico ſuo. XII. Radulfum de Fulgeriis cepiſſe in quodam conflictu Eudonem Vicecomitem de Lerchoit, eáque de cauſa maiorem partem Britannorum recepiſſe Comitem Conanum in Ducem Britanniæ, excepto Ioanne Dolenſi, qui adhuc, inquit Auctor ille, pro viribus Conano, & adiutoribus eius reſiſtit.* Henricus Marchio S. Leopoldi Au-

ſtriæ, quæ ſub Bauaria hactenus comprehenſa fuerat, Marchionis filius primus Auſtriæ Dux Ratiſbonæ creatur à Federico Imperatore, qui etiam indulſit, vt eius filij & filiæ poſſent Ducatum illum hæreditario iure à regno tenere & poſſidere, ex Auctario Affligemenſi, & Notitiæ Miræi cap. 159. Idem Imperator relictâ vxore ſuâ, quòd cognata eſſet, duxit Beatricem (quæ quibuſdam imperitè dicitur Agnes) filiam Comitis Burgundionum vltra Ararim Raynaldi nomine (Robertus errat dum Guillelmi Comitis Matiſconenſis filiam vocat Rainaldi neptem) quam patruus eius Guillelmus arctiſſima turris cuſtodia diu clauſam tenuerat. Verùm ea de manibus eius liberata Imperatori in coniugium ciuitatem Veſontionem, & alias multas ciuitates attulit, vt pluribus Otto Friſingenſis lib. 2. cap. 29. Dodechinus & alij, quorum aliqui etiam obſeruant ab Hadriano Papa & Rolando Eccleſiæ Cancellario grauiter ob vxoris ſuæ diuortium obiurgatum ægrè tuliſſe Fredericum, & Cardinalibus S. R. E. introitum Eccleſiarum, & ciuitatum regni ſui interdixiſſe. *Philippus filius Theodorici Alſatij Flandrenſium Comitis filiam Radulfi Veromandenſium Comitis Eliſabetham ducit vxorem Bellouaci, ex Auct. Affligemenſi.* Noradinus Cæſaream incaſſum obſidet, repugnante Balduino Rege, qui in inſidias deductus multos ex ſuis amiſit, Will. Tyrius eum non ſeruatæ Turcis fidei accuſat: verùm eâ de re iterum anno ſeq. ex Roberto Abbate ſancti Michaëlis.

Anno Chriſti MCLVII. *Ludouici Iuuenis* 20. *cùm* 8. *Kalendas Ianuarij ſiue* 25. *Decembris præcedentis obiiſſet Petrus Mauricius ſeu Mauriacenus, dictus Venerabilis, Abbas Cluniacenſis, Monachi clauſtrales tumultuariâ electione Robertum Groſſum cognatum Comitis Flandriæ elegerunt, reclamantibus maturioribus viris. Verùm eo depoſito ac paullò pòſt mortuo cum ſocijs ſuis in reditu à Româ, Hugo Prior Clauſtralis factus eſt Abbas Cluniacenſis, inquit Robertus:* ex quo etiam diſcimus. I. Guillermum Siciliæ Regem nauali expeditione cepiſſe per ſuos Archithalaſſos Cyrenem ciuitatem, quam vocat Sibyllam, ſitam inter Africam & Babylonem. II. Henricum Angliæ Regem poſt octauam Paſchæ tranſmiſiſſe in Angliam, & Malcolmum Scotorum Regem, ei reddidiſſe aliquot ciuitates, & ab eo accepiſſe Comitatum Huntedoniæ. III. Guillelmo filio Stephani Regis, qui erat Comes

Gaufridus frater non ſuſceptis iis, quæ offerebantur, in Andegauenſem pagum receſſiſſet, è veſtigio eum eſſe inſecutum. II. Inundatione Tiberis factâ Romæ in Inſulâ inuentum corpus S. Bartolomæi Apoſtoli, necnon S. Paulini Nolani Epiſcopi, quæ de re plura Baronius, Inchoferus, aliíque quæ ego ad amuſſim nolim hîc expendere. *III. Gaufridum expulſo Hoello Comite Britanniæ cepiſſe Naimneticam ciuitatem conſentientibus ciuibus.* IV. Guillelmum Siciliæ Regem Barenſem ciuitatem funditus euertiſſe præter Eccleſiam S. Nicolai, Græcos terra marique ſuperaſſe, caſtella vrbéſque quas perdiderat in ius proprium reuocaſſe, exhæredaſſe Comitem Robertum de Baſeuilla; à Papa accepiſſe regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ & Principatum Capuæ, cum conſecrationibus Epiſcoporum regni ſui, & Ducatus, *&c.* Annales Eccleſiaſtici ipſa exhibent diplomata, quæ obſeſſus Beneuenti Hadrianus coactus fuit concedere Willelmo illi Malo, vt in Sicilia non eſſet ius Appellationis ad Sedem Apoſtolicam, nec Legationis eò mittendæ niſi ad petitionem Regis hæredúmque ipſius. *V. In Octaua Pentecoſtes Hugonem Rotomagenſem Archiepiſcopum cum tribus Epiſcopis apud Moretonium leuaſſe corpus S. Firmati, & ab eodem Archiepiſcopo in Monaſterio Montis S. Michaëlis altare Beatæ Mariæ in crypta Aquilonis nouiter reædificatum fuiſſe conſecratum. VI. In pago Pariſiacenſi Monaſterio Argentoilo diuina reuelatione repertam eſſe cappam ſeu tunicam Saluatoris noſtri inconſutilem, & ſubruſſi coloris. VII. Nono, ſic enim legendum non Tertio Kal. Iunij, feria 4. Vigilia Aſcenſionis Domini circa meridiem apparuiſſe circulum circa ſolem ignei & cærulei coloris. VIII. Obiiſſe Guillelmum filium primogenitum Henrici Regis ſepultúmque Radingis ad pedes proaui ſui. IX. Menſe Iulio ſopitam diſcordiam Henrici cum fratre Gaufrido, ea conditione interpoſita, vt Rex daret ei ſingulis annis mille libras Anglicæ monetæ & duo millia Andegauenſium. X. Obiiſſe Alanum Ep. Redonenſem, & Ingelbaudum Archiep. Turonenſem. XI. Conanum Comitem de Richemontio de Anglia in Minorem Britanniam tranſgreſſum obſedíſſe ac cepiſſe vrbem Redonenſem fugato Eudone Vicecomite vitrico ſuo. XII. Radulfum de Fulgeriis cepiſſe in quodam conflictu Eudonem Vicecomitem de Lerchoit, eáque de cauſa maiorem partem Britannorum recepiſſe Comitem Conanum in Ducem Britanniæ, excepto Ioanne Dolenſi, qui adhuc, inquit Auctor ille, pro viribus Conano, & adiutoribus eius reſiſtit.* Henricus Marchio S. Leopoldi Au-

ſtriæ, quæ ſub Bauaria hactenus comprehenſa fuerat, Marchionis filius primus Auſtriæ Dux Ratiſbonæ creatur à Federico Imperatore, qui etiam indulſit, vt eius filij & filiæ poſſent Ducatum illum hæreditario iure à regno tenere & poſſidere, ex Auctario Affligemenſi, & Notitiæ Miræi cap. 159. Idem Imperator relictâ vxore ſuâ, quòd cognata eſſet, duxit Beatricem (quæ quibuſdam imperitè dicitur Agnes) filiam Comitis Burgundionum vltra Ararim Raynaldi nomine (Robertus errat dum Guillelmi Comitis Matiſconenſis filiam vocat Rainaldi neptem) quam patruus eius Guillelmus arctiſſima turris cuſtodia diu clauſam tenuerat. Verùm ea de manibus eius liberata Imperatori in coniugium ciuitatem Veſontionem, & alias multas ciuitates attulit, vt pluribus Otto Friſingenſis lib. 2. cap. 29. Dodechinus & alij, quorum aliqui etiam obſeruant ab Hadriano Papa & Rolando Eccleſiæ Cancellario grauiter ob vxoris ſuæ diuortium obiurgatum ægrè tuliſſe Fredericum, & Cardinalibus S. R. E. introitum Eccleſiarum, & ciuitatum regni ſui interdixiſſe. *Philippus filius Theodorici Alſatij Flandrenſium Comitis filiam Radulfi Veromandenſium Comitis Eliſabetham ducit vxorem Bellouaci, ex Auct. Affligemenſi.* Noradinus Cæſaream incaſſum obſidet, repugnante Balduino Rege, qui in inſidias deductus multos ex ſuis amiſit, Will. Tyrius eum non ſeruatæ Turcis fidei accuſat: verùm eâ de re iterum anno ſeq. ex Roberto Abbate ſancti Michaëlis.

Anno Chriſti MCLVII. *Ludouici Iuuenis* 20. *cùm* 8. *Kalendas Ianuarij ſiue* 25. *Decembris præcedentis obiiſſet Petrus Mauricius ſeu Mauriacenus, dictus Venerabilis, Abbas Cluniacenſis, Monachi clauſtrales tumultuariâ electione Robertum Groſſum cognatum Comitis Flandriæ elegerunt, reclamantibus maturioribus viris. Verùm eo depoſito ac paullò pòſt mortuo cum ſocijs ſuis in reditu à Româ, Hugo Prior Clauſtralis factus eſt Abbas Cluniacenſis, inquit Robertus:* ex quo etiam diſcimus. I. Guillermum Siciliæ Regem nauali expeditione cepiſſe per ſuos Architalaſſos Cyrenem ciuitatem, quam vocat Sibyllam, ſitam inter Africam & Babylonem. II. Henricum Angliæ Regem poſt octauam Paſchæ tranſmiſiſſe in Angliam, & Malcolmum Scotorum Regem, ei reddidiſſe aliquot ciuitates, & ab eo accepiſſe Comitatum Huntedoniæ. III. Guillelmo filio Stephani Regis, qui erat Comes

ciuitatis Constantiarum, id est Moritonij, vt loquitur, reddidisse quidquid pater eius habuit in anno & die, quo Rex Henricus auus eiusdem Regis viueret. *IV. Rogerium Aquilam Monachum Cluniacensem factum esse Abbatem S. Audoëni Rothomagensis, Froherio se demittente propter infirmitatem. V. Theodoricum Flandriæ Comitem tertiâ expeditione perrexisse Ierusalem cum vxore sua Sibylla amita Henrici Regis Anglorum, in cuius manu Philippum filium totámque terram suam dimiserunt.* VI. A Saracenis captam Almariam fugato Alfonso Imperatore Hispaniarum, cuius mors subsequuta sit præ dolore, & pudore eiusdem fugæ, necnon discordia inter eius filios. Hic Alfonsus VIII. Legionis & Galliciæ Rex Raymundi atque Vrracæ filius natus Kal. Martij, anni 1096. obiit hoc anno die 21. Augusti. Eius vxor fuit Berengaria Barcinonensis. Verùm de his ac similibus Rodericus, Mariana, *&c.* VII. Noradinum filium Sanguinij Regem Halapriæ Cæsaream Philippi obsedisse, omnésque vicos destruxisse præter principalem munitionem. Sed tandem aduentu viuificæ Crucis, & exercitu Christianorum recedentes paganos iterum postea veniisse, Regémque Balduinum, qui iam copias sui exercitus dimiserat, imparatum adorsos trucidatis multis Militibus Templi in fugam vertisse. VIII. Almaricum Comitem Ioppes, fratrem Balduini Regis duxisse filiam Ioscelini de Cortenaio, qui fuerat Edessæ Comes. IX. Walenses terrâ marique oppressos subditos fuisse Henrico Regi, cui 6. Idus Septembris natus est filius tertius, vocatus Ricardus qui post patrem regnauit. Nec omittenda quæ ex Auctario Affligemensi liquent. I. Iter Theoderici cum vxore in Palæstinam, qui Regem afflictum recreauit, congressúsque cum hostibus Noradinum superauit, castellum Cauea dictum obtinuit, Cæsaream Cappadociæ destruxit, & Hierosolymis biennio commoratus est, vxore eius Bethaniæ religionis habitum suscipiente. II. Castellum Brandeburgense in terra Slauorum trans Albim ab Alberto Marchione captum. III. Fredericum Imperatorem secundò in Italiam mouisse exercitum cum Duce Boëmiæ, & cæteris regni Principibus ad debellandos Italos, qui contra eum arma sumpserant, expugnatísque plurimis munitionibus tandem Mediolanum obsedisse. Occasiones varias discordiæ inter Pontificem atque Imp. vide per ocium à Baro-

nio ex Radeuico aliísque collectas. *Corpus S. Eligij post 500. fermè ab eius obitu annos à Samsone Remensi Archiep. & Balduino II. Nouiomense Præsule ex priore theca in ornatiorem reconditur 7. Kal. Iulij. Castrum Cæsaris, vel vt alibi legitur Censurij, diruptum est à Consule Niuernensi Nonis Martij, ex paginis 293. & 405. Nouæ Bibliothecæ.*

Anno Christi MCLVIII. *Ludouici Iuuenis 21. Obiêre Gaufredus Archiep. Burdegalensis, Theobaldus Parisiensis Ep. & Gaufridus Comes Namnetensis frater Henrici Regis Anglorum mense Iulio. Henricus hoc audito nuncio mense Augusto transfretauit in Normanniam, locutúsque cum Ludouico Rege Francorum super Ettam fluuium de pace, & de matrimonio contrahendo inter filium suum Henricum, & Margaritam Francicam, receptísque hinc inde sacramentis venit Argantonum, & in festo Natiuitatis B. Mariæ iussit apud Abrincas in festiuitate S. Michaëlis congregari exercitum aduersus Conanum Ducem Britanniæ, qui inuaserat ciuitatem Namneticam. Ipse verò euocatus Parisios à Rege Reginâque filiam eorum secum abduxit, & nutriendam tradidit Roberto de Nouoburgo. Eodem quoque tempore nono Kal. Octobris auctus est filio, qui Gaufredus vocitatus est: & in festo S. Michaëlis venit ad eum Abrincas Conanus, reddidítque vrbem Namneticam cum Comitatu, quâ acceptâ paucis interpositis diebus Rex idem castrum Toarcij obsedit, & triduo post cepit. Inde perrexit obuiam Ludouico Regi venienti orationis gratia ad Montem S. Michaëlis de periculo maris: quem ex quo intrauit in Ducatum Normanniæ deduxit, suísque impensis decentissimè procurauit. Vterque verò Rex in festiuitate B. Clementis die Dominica (vnde patet vulgarem Sigeberti Appendicem vno fere semper anno à recto prorsus aberrare tramite) ingressus est Montem sancti Archangeli, & audita Missa rediit Abrincas. Mense sequenti concordiâ inita Henrico Regi Theobaldus Blesensis Comes reddidit Ambaciam & Fractamuallem, & Rotrocus Comes Moritoniæ siue Perticensis sororius eius Molinas, & Bonummolium quæ post mortem Henrici I. Rotrocus pater huius occupauerat, cui Rex Bellismum castrum reddidit, & ille propter hoc Regi homagium præstitit, qui cum Alienorde Regina quæ paullò ante in Normanniam transfretauerat, Natalis Domini solemnitatem apud Cæsarisburgum egit. Is verò qui hæc narrat Robertus Abbas inuentum tradit à se, & repositum S. Autberti Abrincensis Ep. corpus,* inuentáque fuisse corpora Trium Magorum in veteri Capella prope Mediolanum, eáque ob metum Friderici Imp. qui eandem vrbem ob-

sidere parabat, leuata & in ciuitatem transłata. Fridericus certè cum Vladislao, quem ex Duce Bohemorum Regem Ratisbonæ creauerat, multísque aliis Principibus, ac copioso Teutonicorum exercitu, transmissis post Pascha Alpibus in Italiam venit, & Mediolanum die 25. Iulij obsessum deditione accepit die 8. Septembris, Laudam, quam Mediolanenses destruxerant, in tutiori loco restruxit, Cumam renouauit & muniuit, in Conuentu Roncalienśi Placentiam inter ac Cremonam de Regalibus tractari mense Nouembri voluit, quæ sunt Ducatus, Marchiæ, Comitatus, Consulatus, Monetæ, Telonea, Fodra, Portus, Pedatica, Molendina, Piscariæ, omnis denique vtilitas ex decursu fluminum proficiscens, & terræ propriorúmque capitum census, quæ omnia per totam Langobardiam ad Imperatorem pertinere decretum est. Hadrianum addunt cùm ob superductam vxorem excommunicasset eumdem Fredericum de consilio Cardinalium, quatuor exceptis, Guillelmum Regem Siciliæ inuitasse ad regnandum in Italia, misso ei per Rolandum Cancellarium vexillo B. Petri. Plura de his Radericus, Otto Morena, Dodechinus, & Anonymus siue Valcellensis, siue Affligemensis, ex quo præterea discimus. *I. Robertum Brugensem secundum Dunis, & in Claraualle Abbatem è mundo migrasse, succedente Fastrado Camberonensi in Hannonia Abbate.* II. Ottonem Frisingensem Episcopum & Chronographum doctissimum S. Leopoldi Marchionis Austriæ filium, & Henrici I. Ducis fratrem Morimundi in Bassigneio die 21. Septembris anno Imperij Frederici 3. regni 5. vt fusiùs exponit, qui morienti adfuit, vltimas voces collegit, manúque suâ extrema lumina clausit, Radeuicus Historiæ illius Continuator. *III. Obiisse Milonem Morinorum Episcopum, qui olim fuerat Abbas S. Iudoci in Nemore Ordinis Præmonstratensis.* IV. Calatrauæ militum ordinem in Hispania inchoatum.

Anno Christi MCLIX. *Ludouici Iuuenis 22. mediante Quadragesima, inquit Robertus, fecit summoueri exercitum suum Henricus Angliæ Rex, quia Raimundus Comes S. Ægidij nollet ei reddere ciuitatem Tolosæ, quam requirebat, vt hæreditatem vxoris suæ Alienordis. Rogerius tamen ait hoc anno in solemnitate Paschali apud Vincestriam Henricum cum Alienorde vxore sua iam tertiò coronatos, vbi ad oblationem venerunt deposuisse coronas suas, & super altare obtu-*

lisse, vouentes Deo quòd nunquam de cætero in vitâ suâ coronarentur. Malcolmus Scotiæ Rex ad illam expeditionem cum aliis transmarinis veniens ab Henrico cingulo militiæ fuit accinctus: cúmque Cadurcensis vrbs capta fuisset, & maior pars Ducatus Tolosani, noluit tamen obsidere, aut certè, vt plures tradunt, obsessam dimisit vrbem Tolosanam, quam Ludouicus Franciæ Rex muniuerat, & die noctéque ferens auxilium sororio suo Raimundo custodiebat. Remisit itaque Rex Henricus Theobaldum Comitem Blesensem, qui ei fauebat, vt regnum Franciæ vexaret, sed Henricus Beluacensis Episcopus, & Robertus Drocensis fratres Ludouici ei restiterunt. Addit I. Robertum de Nouoburgo Dapiferum & Iusticiarium totius Normanniæ sumpto Monachi habitu in Beccensi monasterio obiisse 3. Kal. Septembris. II. Milonem Archidiaconum à Papa sacratum fuisse in Episcopum Taruanensem, cùm Samson Archiep. Remensis ab ea peragenda consecratione prohibitus fuisset à Clericis Bononiensibus, qui suum sibi Episcopum proprium habere volebant. III. Petrum Lombardum Parisiensi Episcopatu potitum conniuente Philippo eiusdem Ecclesiæ Decano fratre Regis Francorum, qui, vt quidam dicebant, electionem suam concessit eidem Petro. IV. Theodericum Flandriæ Comitem tertiâ vice rediisse Hierosolymis, vxorémque eius Sibyllam (quæ dicta etiam Mabiria reperitur) assumpto religionis habitu remansisse cum Abbatissa S. Lazari de Bethania inuito coniuge suo, vbi sancto tandem fine quieuit. V. Mense Octobri Henricum munita Cadurcorum ciuitate, & commendata Thomæ Cancellario suo, dispositísque custodibus confisum de auxilio Raymundi Berengarij Comitis Barcinonæ, qui regnum Aragonum habebat ex hæreditate suæ coniugis, Trencauelli Comitis Nemausensis, & Vvillelmi de Montepessulano, & aliorum rediisse in Normanniam, destruxisse in pago Belluacensi castellum Guerboredi, multáque villas combussisse. VI. Simonem Comitem Ebroicensem tradidisse Henrico Rupem-fortem, Montem-fortem, Esparlonem & alias firmitates, quas habebat in Francia, sícque per Normannos milites intercluſum fuisse iter Parisiis Stampas vel Aurelianos, ideóque inducias pactas inter duos Reges à mense Decembri vsque ad Octauam Pentecostes. VII. In reditu Tolosanæ expeditionis Octobri mense obiisse Guillelmum Comitem Moritonij absque liberis, eiúsque Comitatum ab Henrico Rege occupatum. Grimberga vrbs prope Bruxellam incensa est cum castro, & ad solum vsque destructa in festo S. Remigij, quo factum est, vt Vvalterus cognomento Bertoldus eius castri Dominus à Comite Flandriæ derelictus in pacem redire coactus sit cum Godefrido III. Louanensi Comite, & Duce Lotharingiæ

Inferioris, vt narrat Anonymus Affligemensis, qui etiam cum Radeuico, Dodechino, aliísque testatur. I. Mediolanenses castrum in quo Imperator thesauros suos deposuerat, inuasisse, amicos eius & confœderatos impugnasse, ac Langobardiam ferè omnem legibus Imperatoris attritam iterum rebellasse. Ipsum hoc audito obsedisse, cepisse, destruxisse Criminum castrum, & quæcumque Mediolanensium essent, circumquáque vastari præcepisse. II. Recruduisse discordiam inter eundem Imp. & Papam Hadrianum, qui Anagniæ anginæ morbo Kal. Septembribus, vel vt alij pridie, obiit, cùm præfuisset annis 4. mensibus 8. & diebus 29. indéque Romam vectus in Ecclesia S. Petri sepultus est. Ridiculam de musca ori eius adhærente fabulam (quæ Caluisio similibúsque Pontificum Romanorum hostibus mirum perplacet) reiicit Baronius, ex Radeuico, Dodechino, Willelmo Tyrio, aliísque. Electus est subinde die 5. vel 6. Septembris Rolandus Senensis patria S. R. E. Cancellarius Presbyter Cardinalis tituli S. Marci, vocatúsque est Alexander III. & aduersus eum à duobus tantùm nominatus est Antipapa Octauianus Presbyter Cardinalis tituli sancti Mariæ in Cosmedin, qui se Victorem III. indigitauit, & Senatorum quorumdam, quos pecunia corruperat, & Frederici fautorum fauore, Alexandrum, eíque fideles obsedit, donec à populo bis educti, Nymphas non longè ab vrbe peruenerunt, vbi Alexander ab Episcopo Ostiensi consecratus est. Cætera dabit curiosis Baronius. Alfonsus VIII. Castellæ Rex vitâ cessisse dicitur æra 1197. succedentibus filiis Sanctio in regno Castellano, & Ferdinando in Legionensi, ex Roderico; Mariana verò aliíque superioris anni die vltimo Augusti Sanctium illum obiisse volunt post regni annum vnum, diésque vndecim, eíque successisse filium quadriennem Alfonsum ad annos 53. quem cùm Ferdinandus patruus abducere voluisset, ab Abulensibus defensus est. Is tamen non secus ac Sanctius Nauarræ Rex plurima ex eodem regno sibi decerpsere. Verùm hæc aliis memoranda relinquo. *Vvaldo quidam Lugdunensis mercator hoc fermè tempore creditur bona diuendita in pauperes erogasse, quorum plerique eius errores assectati cœperunt vocitari Pauperes de Lugduno ac Vvaldenses, quod nomen etiam Albigensibus hoc ad exitum vergente sæculo enatis ex Manichæorum face hæreticis commune extitit.*

Anno

Anno Christi MCLX. *Ludouici Iuuenis 23. Kalendis Ianuarij circa horam primam terræ motus accidit in pago Constantino castro sancti Laudi. Maio mense pax facta est inter Reges Ludouicum Franciæ & Henricum Angliæ, confirmatis prioribus pactis. Matthæus Theodorici Comitis Flandriæ filius Mariam Abbatissam Rameſiæ in clausſtro consecratam filiam Stephani Regis Angliæ contra fas legum duxit vxorem, consentiente immò etiam conciliante Henrico Rege, vt per eam Comitatum Bononiensem retineret, qua de causa à Samsone Archiepiscopo Remensi eiúsque Suffraganeis excommunicatus est, & cum patre ac Philippo fratre propter castrum Lensiense, quod repetebat, bellum gessit. Obiit Ebbo II. Dolensis dominus nonus, & Alexander Papa venit Dolum non quidem hoc anno sed aliquo ex consequentibus, vt series temporis manifestè arguit, ibíque per mensem continuum demoratus mense Septembri 5. Idus eiusdem consecrauit altare Crucifixi. Mense Maio Ludouicus Rex Francorum congregauit Episcopos regni sui Beluaci, & Henricus Episcopos Abbates, & Barones Normanniæ apud Nouummercatum, ibíque repudiato Victore receptus est Alexander. Mortuus est Philippus frater Ludouici Regis Francorum Decanus sancti Martini Turonensis, &c. obiit quoque labore partus Constantia Regina Franciæ superstite filia, quæ Adelais vocitata est: dein paucis diebus interpositis Ludouicus Rex duxit Adelam filiam Theobaldi Senioris Comitis Campaniæ; quam Hugo Senonensis Archiep. Parisiis in Reginam vnxit, ipsámque cum Rege præsentibus tribus Cardinalibus in Ecclesia B. Mariæ coronauit, quod factum Remensi Archiep. eiúsque Episcopis displicuit. Henrico quoque Henrici Regis filio, qui fecerat homagium de Ducatu Normanniæ, desponsata est apud Nouumburgum Margarita Ludouici filia. Quo facto Rex Henricus cepit tria castella munitissima, Gisortium, Nealfam, & Nouum castellum sita super fluuium Eptæ (fraudem Angli Regis Rogerius Houedenus enucleatiùs aperit) id grauiter ferente Ludouico, eiúsque sororiis Henrico, Theobaldo, & Stephano; qui coadunatis viribus suis cœperunt munire Caluimontis castrum, quod erat de feodo castri Blesensis, vt inde pagum Turonicum infestarent. Verùm aduolans Rex Henricus munitionem illam cepit, reddidítque Hugoni de Ambazia, qui aduersabatur pro viribus Theobaldo Comiti, quòd in eius carcere Sulpitius ipsius Hugonis pater fuisset extinctus. Inde verò munitis turribus Ambaziæ, & Fractæuallis egit festum Natalis Domini cum Alienorde Regina Cenomannis.* De Papiensi Conciliabulo iussu Imperatoris celebrato in festo Purificatæ Virginis, in quo Victoris probata est electio, ex

Radeuico Canonico Frisingensi, cuius Chronicon hoc ferè tempore desinit, Willelmo Neubrigensi lib. 2. cap. 9. Rogerio, Dodechino, aliisque plura Baronius, necnon ex Gaufredo auctore vitæ S. Petri Tarentasiensis Archiepiscopi. Alexander Anagniæ in Cœna Domini Fredericum Ecclesiæ persecutorem excommunicauit, & iamdudum prolatam sententiam in Octauianum innouauit. Arnoldus Præsul Moguntinus reuersus à Conciliabulo Papiensi, à ciuibus suis prope vrbem in Claustro Monachorum ad S. Iacobum in Monte speciosо occisus fuit in Natiuitate B. Ioannis Baptistæ, monasterium vero incendio & deprædatione vastatum, ex Dodechino, Erfordiensi Monacho, aliisque. Malcolmus Rex Scotorum tribus vicibus perrexit in Galweiam, eámque tandem sibi subiugauit, dedítque sororem suam Margaritam Conano Duci Britanniæ in vxorem.

ANNO ÆRÆ CHRIST. MCLXI. *Ludouici Iuuenis 24. Gisortium Henricus, & alia castella pleráque in locis vel noua ædificauit, vel vetera emendauit. Post Pascha idem Rex cum Ludouico Rege Francorum instigante eos ad discordiam Theobaldo Comite Blesensi primò in Vilcassino, postea in Dunensi pago congregatis exercitibus occurrit, datísque induciis post festum S. Ioannis idem Henricus perrexit in Aquitaniam, & Castellionem supra Agennum infra vnam septimanam in festiuitate S. Laurentij, admirantibus, & perterritis Vasconibus cepit. Theobaldus obsedit Vindocinum castrum, sed Ioannes Vindocinensis Comes duorum filiorum suorum Burcardi, & Lancelini fultus auxilio castellum suum strenuè defendit. Vide pag. 290. Nouæ Bibliothecæ, vbi & mentio Lunæ quæ Dominica Septuagesimæ nigra apparuit, & famis maximæ. Regina Alienor apud Domnifrontem filiam peperit, quam Henricus Presbyter Cardinalis, & Legatus Romanæ Ecclesiæ baptizauit, & Achardus ex Abbate S. Victoris Parisiensis factus eodem anno Episcopus Abrincensis, ac ipse, qui scriptis hæc commendauit, Robertus Abbas S. Michaëlis de periculo maris, cum aliis multis de fonte susceperunt, & vocata est Alienor de nomine matris suæ. Addit I. Mauricium Archidiaconum Parisiensem fuisse eiusdem Ecclesiæ Episcopum, in quo sanè longiùs abest ab Auctarij Affligemensis auctore, qui hoc demum anno factum vult Parisiensem Episcopum Petrum Lombardum, quem vulgò Magistrum sententiarum vocant. Quid certi definiendum sit docebitur aliàs, nec enim in istis modo libet diutiùs inhærere.*

11. Obiisse Iuhellum de Meduana succedente Gaufrido filio, qui duxit filiam Comitis Mellenti. III. Theobaldum Archiepiscopum Cantuariæ secunda feria Paschæ fuisse defunctum. *Post Generale Capitulum dimissa à Lamberto Abbate Cistercienſis Ordinis administratione electus fuit Fastradus Claræuallensis Abbas, qui successorem habuit Gaufridum Igniacensem Abbatem. Quæ de Samsone aliisque subiiciuntur commodius in seq. annum viderentur mihi differenda, nisi obstaret Chronicon breue Remense editum pag. 361. Nouæ Bibliothecæ. Obiit Samson Archiepisc. Remensis Monachus Igniaci factus* 11. *Kal. Octobris, cui successit Henricus Regis Christianissimi Ludouici frater Episcopus Bellouacensis, cui suffectus est Beluaci Bartholomæus Archidiaconus Remensis. At pag. 39. in breui quadam ad Sigebertum Appendice minùs rectè sequenti anno addicitur eiusdem Samsonis obitus, quem virum à scientia, & sanctitate commendat. Chronicon Vezeliacense Guillelmum Niuernensem Comitem obiisse testatur, mortuóque Pontio Abbate ordinatum fuisse Abbatem Vezeliaci Guillelmum Abbatem Pontœsiæ. Monachus S. Mariani Guillelmo illi apud S. Germanum in capitulo Antissiodori tumulato successisse filium æquiuocum contendit, eúmque à Comitibus Iouiniaci, & Sacricæsaris infestationes sustinuisse.* Fridericus anno superiore ad domandam Mediolanensium insolentiam ter euocauerat copiosum ex omnibus regni partibus exercitum, cuius aduentu lætatus obsedit ex omni parte Mediolanum, adeóque ciues coarctauit, vt non haberent potestatem liberè egrediendi vel ingrediendi, emendi vel vendendi. De Conciliabulo Laudensi, de Alexandro Papa in Franciam relicta Italiâ Willelmi Regis Siciliæ triremibus deportato, de Valdemaro Daniæ Rege Canuti Martyris filio, Rugianorum finitimarúmque gentium idololatriam expellente, consule ex variis Scriptoribus multa pro more congerentem Baronium.

Anno Christi MCLXII. *Ludouici Iuuenis 25. prima Dominica Quadragesimæ Rex Anglorum Henricus aggregauit Episcopos, Abbates & Barones totius Normanniæ apud Rotomagum, querimoniam faciens de Episcopis, & eorum Ministris, & Vicecomitibus suis, iussit vt Concilium Iuliæ Bonæ in pago Caletensi teneretur, interfuitque Fiscanni translationi corporum Ducum Normanniæ Ricardi I. & Ricardi II.* Mediolanenses obsidione, fame, inopia, ac dissensione coarctati Imp. Frederico se dedunt vel Kal. Martiis, vel pridie Dominicæ, quæ dicitur Misericordia Domini tertio die Martij,

& in varias vrbes disperſi ſunt. Vrbs deſtructa eſt, reſeruatis tribus Eccleſiis S. Mariæ, S. Mauricij, & S. Ambroſij. Placentini, Bononienſes, Brixienſes eorum exemplo territi veniam ab Imperatore obtinuerunt. Corpora trium Magorum à Rainaldo Colonienſi electo tranſlata ex ciuitate Mediolanenſi Coloniam cum exultatione totius prouinciæ illata ſunt, & in Eccleſia S. Petri repoſita. *Alexander Papa relicta Campania Genuam applicuit in feſto S. Agnetis, vnde quarta feria poſt Paſcha venit Magalonam, & apud Montempeſſulanum debito honore ſuſceptus eſt, vbi mortuo Harduino Archiepiſcopo Burdegalenſi, dum in Curia Papæ moraretur, ſuffectus eſt ei Lactorenſis Epiſcopus.* Cùm aduerſus Willelmum Siciliæ Regem rebellaſſet Robertus Comes de Baſenuillâ cognatus eius, & maiorem partem maritimarum ciuitatum ſibi conciliaſſet, Willelmus de Sicilia in Italiam tranſiens cum magno exercitu, Roberto in fugam verſo cum ſuis complicibus, ciuitates, quæ defecerant, recuperat. Raimundus de Caſtellione Princeps Antiochiæ dum incautè in terram Mahometanorum intrat multis ſuorum occiſis ipſemet capitur, eiúſque priuignus Boamundus III. factus eſt Princeps, cuius ſororem Conſtantiam duxit Manuel Imperator C P. Thomas Cancellarius Regis Anglorum circa Paſcha fit ab Henrico Rege Archiepiſcopus Cantuarienſis. Raymundus Berengarius Barcinonenſis Comes, & Prouinciæ Marchio vir omnibus bonis plangendus moritur die 6. Aug. relicto filio Alfonſo Caſto Aragonum Rege, quod regnum ei acciderat ex materno genere; neque enim pater eius Rex dici voluit. *Obiit Odo Dux Burgundiæ menſe Septembri relinquens filium Hugonem. Alexander Papa Clarummontem in Aruernia venit, tum in Burgundiam profectus eſt, dimiſſóque conuentu poſtea, apud Tociacum ſuper Ligerim à Regibus Franciæ, & Angliæ honorificentiſſimè ſuſceptus eſt, ij enim ſtratoris officio vſi pedites dextra lauáque frænum equi ipſius tenentes eum vſque ad præparatum papilionem perduxerunt, eóque ſatagente pax inter illos Principes firma reſtituta eſt.* Fridericus Imperator rebus in Italia compoſitis in Burgundiam venit, colloquium habiturus ſuper Ararim ſeu Sagonnam fluuium, vel vt alij in Dola villa in territorio Veſuntionenſi, circa decollationem S. Ioannis Baptiſtæ, propter Schiſma Octauiani Antipapæ, cum Ludouico Francorum Rege, qui Diuione conſederat, & congregatis ex

vtraque parte multis Episcopis, Abbatibus, Clericis, Laicísque, vt discordiæ finem facerent, quæ tamen sedari non potuit, Principibus cum maiori simultate atque odio ab inuicem discedentibus. Balduinus Rex Hierosolymitanus obiit absque hærede die 13. Februarij anni sequentis, vel vt alij mense Martio, eique successit frater Amalricus Ioppensis Comes coronatus die 18. eiusdem mensis, qui more Gallico ad hunc adhuc pertinebat annum, sic enim conciliari debent Historici. Frid. Imp. exeunte anno Moguntiam venit, & aliquos ex parricidis Episcopi capite plectit. Alij Vormatiæ Pascha celebrasse, & in octaua cum Principibus Moguntiæ curiam habuisse volunt, eiúsque iussu murum ciuitatis diruptum. Sed de his omnibus pauca libasse sufficiat ex Roberto, Neubrigensi, Anonymo Affligemensis auctarij Auctore, Monacho Colonienſi, Dodechino, Tyrio, ac similibus.

Anno Christi MCLXIII. *Ludouici Iuuenis 26. cùm occisus fuisset Abbas S. Maximini Aurelianensis, expulsi sunt inde omnes ferè Monachi, & per diuersas Abbatias dispersi, iussúque Papæ ac Regis Abbas de Maiori monasterio ibi constitutus: occiso quoque sup. anno Latiniacensi Abbate ictu sagittæ, Hugo naturalis filius Comitis Theobaldi senioris in eius locum suffectus est. In Octauis Pentecostes die 18. Maij Alexander III. Papa anno 4. sui Pontificatus Ind. 11. celebrauit Turonis in Ecclesia S. Mauricij, quæ nunc vulgò S. Gatiani nomen præfert, Concilium Generale Cardinalium 17. Episcoporum 124. Abbatum 414. cuius decreta edidit Neubrigensis lib. 2. cap. 25. In eo inter cætera excommunicatus est Octauianus cum aliis Schismaticis, & complicibus suis, & duo Episcopi, quorum vnus ab Arch. Tarraconensi, alter à Toletano sacratus fuerat, expulsi sunt de Ecclesia Pampilonensi, & tertius subrogatus. Inde Pontifex Senonas venit pridie Kal. Octobris, in eáque vrbe per annum, & dimidium in sede Archiepiscopali commoratus est, vt discimus ex Chronicis Senonensi & Antissiodorensi, de quo postea. De dissidiis inter Henricum Anglorum Regem, & S. Thomam Cantuariensem Archiep. hoc & seqq. annis plura subministrat Lectoribus Baronius, quæ libentes omittimus. Fastradus Cistercij Abbas Parisiis obiit non 14. Kal. Iunij, vt habetur in Auctario Aquicinctino, quod hîc desinit, sed 11. Kalendas Maij, cùm ei præsente Ludouico Rege, vt asserunt, Extremam Vnctionem ministrasset ipsemet Alexander Papa: Cistercium translatus est ante Ascensionem, eique subrogatus est Gislebertus Abbas Vrsicampi post Concilium Turonense, ad quem ex-*

tant eiusdem Papæ literæ post biennium Montepessulo scriptæ pridie Nonas Augusti Indict. 13. Theodoricus Comes Flandrensium quartò Hierosolymam petit, inquit Auctor Aquicinctini Auctarij, quod hinc incipit. In sequentem tamen annum differt profectionem illam Robertus Montensis, addítque Theodorici primogenitum Philippum per vxorem factum fuisse dominum Comitatum Viromandensis, & Montis-Desiderij, Radulfo iuniore Comite vxoris suæ fratre elephantiasi percusso. Mortuo Geiza Hungaris regnare incipit Stephanus eius filius, qui duxerat filiam Henrici Austrasiorum Marchionis, fratris Conradi III. Imperatoris. Regnum ab eius fratre Geiza turbatum est auxilio Manuelis Imp. CP. qui filiam suam illi in coniugem sociauerat. *Ioscio S. Bertini Monachus, cognomento Roseus, Virgini-Matri deuotissimus in Domino obdormit, de quo præter cæteros Vincentius Beluacensis in speculo Historiali. Lingonensem Episcopatum demisit Godefridus, cui subrogatus est Galterius Hugonis Ducis Burgundiæ filius pag. 295. N.B. Vvernherus Comes de Thierstein, Radulfi & Ittæ Habspurgicæ filius obiit. Guillelmus Niuernensis Comes, verba sunt Roberti S. Mariani Monachi in Chronologia Antissiodorensi, Stephanum Comitem Sacri-Cæsaris iuxta marchiam in bello deuicit, & de suis multos occidit, ac cepit, Niuernúmque cum magna peruenit victoria. Papa in festo S. Hieronymi venit Senonas ab Hugone Archiep. honorificentissimè receptus, eiúsque rogatu BB. Petri & Pauli consecrauit altare in maiore Ecclesiâ, Sanctaque Martyris Columbæ dedicauit Ecclesiam tunc à fundamentis extructam.*

Anno Christi MCLXIV. *Ludouici Iuuenis 27. Vvillelmus Longaspatha frater Henrici Regis, & filius Mathildis Imperatricis apud Rotomagum obiit 3. Kal. Februarij, & in Ecclesia S. Mariæ sepultus est. Obiit quoque eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopus Hugo die 4. Octobris, qui ferè quinque ac triginta annos præfuit, multáque eruditè scripsit. Theobaldus Carnotensis Comes despondit filiam Ludouici Regis, & Rex ei concessit Dapiferatum Franciæ, quem Comes Andegauensis antiquitus habebat: vnde etiam nostris temporibus, inquit Robertus Abbas de Monte, Radulfus de Parrona pro eo seruiebat, eíque homagium faciens, vt dominum honorabat. Henricus autem frater eius primogenitus Comes Trecensis iterum assumpsit eiusdem Regis filiam, quam priùs dimiserat.* Octauianus dictus Victor III. Antipapa die 22. Aprilis, feria 4. post Octauas Paschales apud Lucam obiit, eíque à Schismaticis suffectus est Guido Cremensis, quem Paschalem III. vocitarunt. Huic se Fredericus Imp. Alexandrum

Papam aliquando ſubiecit, coacto in die Pentecoſtes apud Wirceburgum Epiſcoporum & Principum Imperij Concilio. Veneti, Veronenſes, aliíque in Langobardia rebellant. Robertus Abbas de Monte de controuerſia inter S. Thomam Archiep. Cantuarienſem & Henricum Anglorum Regem ob prauas quaſdam ab eo eiúſque maioribus introductas conſuetudines libertati Eccleſiaſticæ repugnantes penitus obmuteſcit, quam alij fermè omnes illius temporis Scriptores annotarunt, Rogerius, Neubrigenſis, Robertus S. Mariani, Anonymus Aquicinctinus, & alij. *Thomas in Conciliabulo damnatus, exulare coactus in Galliam venit, & à Rege Ludouico benignè ſuſceptus, primò in cœnobio Pontiniacenſi moratus eſt, poſtea Senonis in monaſterio ſanctæ Columbæ regiis expenſis ſuſtentatus eſt.* Plura de ſingulis Baronius partim ex ſupradictis Auctoribus, & Codice quodam Vaticano Epiſtolarum, partim ex iis qui Vitam S. Thomæ omni fide conſignarunt. Henricus hoc anno Matildem filiam ſuam dedit in vxorem Henrico Duci Saxoniæ, & in Vigilia S. Agathæ facto terræ motu Catinenſis ciuitas euerſa, *&c.* vt quidem Rogerius Houedenus. Verùm cladem hanc horrendam in annum 1169. differendam ex Hugone Falcando, & Petro Bleſenſi docet idem Baronius. *Auctarium Aquicinctinum, Baronius, & quidam alij Petrum Lombardum è Nouaria ciuitate oriundum Epiſcopum Pariſienſem hoc anno mortuum volunt, & in Eccleſia S. Marcelli ſuburbana ſepultum. Falsò à quibuſdam creditum fuiſſe fratrem Petri Comeſtoris Trecenſis, & Gratiani Cluſini iampridem firmarunt Viri docti, & in iis S. Antoninus Florentinus Archiepiſcopus Parte III. Godeſcalcus Atrebatenſis Epiſcopus Epiſcopatum dimiſit, quem ſuſcepit Andreas Abbas Ordinis Ciſtercienſis, agente Henrico Remenſi Archiepiſcopo. Frederico Imp. Aquiſgrani Natale Domini feſtum celebrante, congregati Epiſcopi, & primates regni corpus Caroli Magni Imp. quod in Baſilica B. Mariæ quieſcebat, de marmoreo tumulo leuantes in locello ligneo in medio eiuſdem Eccleſiæ repoſuerunt. Ibi Philippus Comes Flandriæ adfuit, & ab Imp. Cameracum ſuſcipiens homo eius effectus eſt, deinde reuertenti è Palæſtina patri obuiam profectus.* Saladinus Princeps militiæ Noradini Regis Damaſci Ægyptum ſibi ſubiugaturus intrauit: Soldanus Babyloniæ, qui & Rex Ægypti, Amalricum Regem Hieroſolymitanum quæſiuit ſibi adiutorem, annuo perſoluto tributo. Hic Boamundo cognato ſuo Antiochiæ Principi

traditâ regni curâ cum valido exercitu properauit in auxilium Ægyptij Regis. Cúmque Noradinus obsideret castellum Harenc, Boamundus contractis vndíque viribus egressus Antiochia cum Turcis infeliciter pugnauit, & captus est cum Comite Tripolitano, aliísque. Rex verò Ægyptius Amalrici auxilio Saladinum in ciuitate Belbacensi obsessum ad deditionem coëgit, qui Damascum remissus cum aliis Admiraliis conspirauit aduersus Soldanum Babyloniæ, quem in vnum congregati vita simul ac regno priuauerunt. Ipse Saladinus regnum Ægypti inuasit, vxorémque defuncti Regis sibi coniugio sociauit: Pauca hæc ex Aquicinctino Anonymo, Willelmo Tyrio, Roberto Montensi, Iacobo de Vitriaco, aliísque.

Anno Christi MCLXV. *Ludouici Iuuenis* 28. *Philippus Comes Flandriæ, frater eius Matthæus Comes Bononiæ, & Godefridus Dux Louanienſis cum septem ferè millibus nauium expeditionem mouent aduersus Theodericum Hollandiæ Comitem, quem in deditionem venientem cum suis Comes Flandriæ diutiùs in captiuitate detinuit. Sibylla Philippi ac Matthæi dictorum Principum mater Flandrensium Comitissa obiit, cùm per* 10. *annos Hierosolymis Deo apud S. Lazarum seruiisset. Henricus Angliæ Rex apud Gisortium in octaua Paschæ cum Rege Francorum locutus est, rediénsque Rotomagum Philippum Flandrensem Comitem consobrinum suum regaliter excepit: Inde in Angliam profectus cum multo apparatu bellico super Vvallenses irruit, Regina Alienorde in Cismarinis partibus remanente, quæ mense Octobri Andegauis filiam peperit, quæ in baptismate vocata est Ioanna.* Malcolmus Scotiæ Rex obiit, succedente fratre eius germano Guillelmo, qui Leo dictus est. *Vvillelmus frater Henrici ac Theobaldi Comitum ad regimen Carnotensis Ecclesiæ electus est, datâ ei remissione à Papa propter iuuenilem ætatem, vt vsque ad quinquennium differretur sacratio eius. Adela eorum soror Regina Franciæ nocte, quæ media fuit inter diem sabbati* 21. *& Dominicam diem* 22. *Augusti, in Octauis Assumptæ ad cælos Deiparæ Virginis, filium peperit Adeodatum, diúque à patre expectatum, qui vocatus est Philippus, cognomento Augustus. A Mauricio Parisiensi Episcopo solemniter baptizatus est in Ecclesia S. Michaëlis de platea, patrinis Hugone Abbate S. Germani, Heruco Abbate S. Victoris, & Odone quondam Abbate S. Genouefæ, Constantiâ verò vxore Raimundi Comitis S. Ægidij, & duabus viduis Parisiensibus matrinis. Anonymus Aimoini Continuator qui in cœnobio*

S. Ger-

S. Germani Pratenſis eodem viuebat ſcribebátque tempore, hoc à Deo Regi conceſſum præmium teſtatur ob præclara iuſtitiæ opera, quæ aduerſus Eccleſiæ vaſtatores intuitu diuinæ maieſtatis exhibuit. I. Herueo Donziaci domino ereptum Stephano Sacri-Cæſarienſi Giemacum caſtrum reddidit. II. Drogoni de Merloto medietatem caſtri Monceij reſtituit, quam Niuelo de Petraforti inuaſerat. III. Guillelmum Claromontenſem Comitem, Guillelmum Podienſem, Vicecomitem de Poliniaco in ore gladij expugnauit, & captos ſecum abduxit, tamdiúque detinuit, quoadúſque firmâ fide promiſerunt, quòd ab inquietatione Eccleſiarum pauperum, & peregrinorum perpetuò ceſſarent. IV. Guillelmum Cabillonenſem Comitem Cluniacenſis monaſterij immiſſis prædonibus, qui vulgò Brabantiones dicebantur, vaſtatorem in fugam abire compulit, & Cabilonenſem ciuitatem, montémque S. Vincentij, atque omnem inſuper tyranni illius terram cepit, cuius mediam partem Duci Burgundiæ, reliquam partem Niuernenſi Comiti donauit. V. Vezeliacenſium communiam diſiecit, eiúſque cœnobij Monachos ab infeſtationibus tam ciuium quàm Vvillelmi Comitis Niuernenſis protexit, vt pluribus extremo libro quinto proſequitur, non aſſignatis cuique egregio facinori propriis temporum annorúmque characteribus. In Chronico Vezeliacenſi pag. 397. Nouæ Bibliothecæ hoc anno dicitur Guillelmus Comes Niuernenſis cum matre Ida excommunicatus pro Eccleſia Vizeliacenſi. Alexander Papa à Romanis contra Pſeudopontificem, & Fridericum Imperatorem inuitatus, relictâ Senonenſi vrbe Montempeſſulanum venit, vnde nauali ſubuectione perrexit in terram Willelmi Siciliæ Regis declinatis feliciter inſidiis, quas Friderici Imp. piratæ in mari ſtruxerant. Romam ingreſſus eſt 11. Kal. Decembris, & in die S. Clementis Miſſam apud S. Petrum in Româ Leonianâ celebrauit. Cúmque Paſchalis Antipapa Viterbij ſede poſitâ Imperatoriis viribus fultus peregrinos, & mercatores de terra Francorum in Italiam tranſeuntes turbaret ac deprædaretur, & Papa Romanos haberet ſuſpectos, ad Tuſculanos ſe contulit. Ipſe verò Paſchalis aſſumptis ſecum Imperatoris ſequacibus ciſternam Neronis, vbi Alexander fuerat conſecratus, totam terræ coæquauit, vt Auctor eſt Aquicinctinus Chronographus, quem vide cum Actis Alexandri, Neubrigenſi, Romualdo, qui tunc Archiepiſcopus Salerni erat, aliiſque. De rebus ad S. Thomam Regémque Henricum ſpectantibus plura Rogerius, Radulfus de Diceto, Geruaſius, ſimiléſque Angli.

Anno Christi MCLXVI. *Ludouici Iuuenis* 29. *Henricus Angliæ Rex munitis confiniis inter Anglos & Vvalenses, inquit Robertus, dispositísque per castella militibus in Quadragesima transfretauit in Normanniam, habitóque cum Francorum Rege de pace colloquio, cùm accepisset eum statuisse de thesauris suis ac redditibus omnium quoque regni sui, tam Clericorum, quàm Laicorum de singulis viginti solidis singulos denarios singulis annis vsque ad quinquennium mittere Hierusalem, ad defensionem Christianorum, idem ipse in omni potestate sua præcepit voluítque duplicari insuper redditum primi anni. Vvaleranus Comes Mellenti factus Pratellis Monachus obiit, succedente Roberto filio ex sorore Simonis Comitis Ebroicensis. Vvillelmus Talauacius Comes Sagiensis, & filius eius, rursusque Ioannes nepos eius, filius Guidonis primogeniti sui Comitis Pontiui, concesserunt Regi Henrico castrum Alenceium, & Rocam Maberiæ. Quia verò Optimates Cenomanici Comitatus, & Britannicæ regionis, antequam Rex transfretaret, minùs obtemperauerant præceptis Reginæ, ipse congregatis exercitibus ferè de omni potestate sua citra mare castrum Felgeriarum obsedit, cepit, funditus deleuit. Inde facto connubio inter Gaufridum filium suum & Constantiam filiam Conani Comitis Britanniæ, accepit à Comite nomine ac vice filij sui totum Ducatum Britanniæ, veniénsque Redonas per ciuitatem illam, quæ caput est Britanniæ, totum illum Ducatum saisiuit, vt loquitur idem Robertus. Cùm verò orationis causa venisset ad Montem S. Michaëlis, & ad eum illuc accessissent, Guillelmus Rex Scotiæ, & Episcopus Insulæ Man & aliarum triginta vnius, quæ sunt inter Scotiam Hiberniam & Angliam, Pictauos se contulit, ibíque celebrauit Natalem Domini. Guillelmus Niuerni Comes pacem cum Vizeliaco fecit, & cruce accepta perrexit in Palæstinam, vbi post biennium obiit apud Accaron, ex Chronico Vezeliacensi, quod an. seq. testatur Poplicanos apud Vezeliacum exustos fuisse. De Brabantionibus similibúsque prædonibus apud castrum de Malamorte die 21. Aprilis, in die Cœnæ trucidatis plura exhibebit Gaufridus Prior Vosiensis in Chronico Tomo II. Nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum. Obiit Raimundus Comes Prouinciæ nepos Raimundi Comitis Barcinonensis, de quibus Chronicon Massilienſe S. Victoris ad Cyclos Paschales. Ludouicus Rex auxilio Philippi Flandrensium Comitis, si quæ fides Aquicinctino Monacho, Henricum Regem Anglorum fugat, & pax inter eos vsque in Paschα sequentis anni firmatur.* De Conciliabulo Herbipolensi, Frederici iuramento eiúsque circulari epistola ad cunctos populos sibi subiectos scripta Kal. Iulij, de expeditione eius in Italiam,

de Legatione Emanuelis Imp. CP. Romam missa, de eiusdem constitutione circa dies festos ac iuridicos, de Synodo CP. à Luca Chrysoberge Patriarcha celebrata, ac similibus multa Baronius, qui ex epistolis Codicis Vaticani pleráque etiam submministrat ad Anglicanam controuersiam spectantia, quæ in Rogerio, Neubrigensi, eiusdémque generis scriptoribus desiderantur. Guillelmus Siciliæ Rex, dictus Malus, pridie Kalendas Maij obiit, cùm regnasset annos 13. menses 2. & dies 3. vixisset verò annos 46. succedente filio Willelmo, qui Bonus cognominatus est, annum ætatis 12. nondum egressо. Ioannes Sarisberiensis Episcopus Carnotensis ep. 139. testis est ab vtroque illo Guillelmo 40. millia sterlingorum donata Alexandro Papæ. *De eleuatis Caroli Magni ossibus die 28. Ianuarij, elapsis ab eius obitu 352. annis per Raynaldum Archiep. Colonienſem, & Alexandrum Leodienſem Præſulem, præſente Imperatore cum vxore, & multis Principibus, multa ex antiquioribus Miræus, tum in Chronico, tum in Faſtis Belgicis. Nos ex Aquicinctino Auctario nonnihil iam anno 1164. præmiſimus.*

Anno Chriſti MCLXVII. *Ludouici Iuuenis* 30. *Henricus Angliæ Rex colloquio in Quadrageſima habito cum Comite S. Ægidij apud Magnummontem, poſt Paſcha duxit exercitum in Aruernicum pagum, vaſtauítque terram Guillelmi Comitis, qui cùm datâ fide pepigiſſet ſe coram Rege cum nepote ſuo quem exhæredauerat, præſentem fore, ruptâ fide tranſtulit ſe ad Regem Francorum, & ſeminauit inter eos diſcordias, quas etiam auxit Iocio Archiepiſcopus Turonenſis occaſione pecuniarum, quæ collectæ Turonis mittendæ erant Hieroſolymam. Combuſtam tam fuiſſe cum principali Eccleſia Turonenſem vrbem auctor eſt idem Robertus, qui addit. I. In Octauis Pentecoſtes Ludouicum & Henricum Reges in Vilcaſſino de pace locuturos conueniſſe, ſed irrito ſucceſſu, primoribus regni Francorum lenitatem optimi Principis exacerbantibus. II. Caluummontem ab Henrico, à Ludouico Vadum Nigaſij, & Andeliacum combuſta. III. Treugas menſe Auguſto iuratas vſque ad Paſcha. IV. Henricum perrexiſſe in Britanniam ſibíque Britones omnes ſubdidiſſe, & Guihummarum filium Heruei Vicecomitis Leonenſis, cuius filiam Comes Guido habebat in coniugium, datis obſidibus eidem Regi ſe ſubmiſiſſe. V. Mathildem Imperatricem matrem Regis Henrici deceſſiſſe Rotomagi 4. Idus Septembris, & ſepultam Becci. Videtur tamen Gaufredus Voſienſis differre in an. ſeq. obitum illius, quam Monacham Fontis-Ebraudi appellat, aſſeritque dediſſe Grandi-*

montensibus 30. millia solidorum, & Regem filium eius totidem pro ipsa dedisse. VI. Natum esse Ioannem eiusdem Regis Henrici filium, qui posteà regnauit, ac sine terra dictus est. VII. Amalricum Regem Hierosolymitanum duxisse vxorem neptem Emmanuelis Imperat. CP. cum infinitis thesauris, cepisse Alexandriam quæ caput est Ægypti, eámque reddidisse Amiralio Babyloniæ, cui confederatus erat, qui pepigit ei singulis annis tributum de eadem ciuitate 50. millia Byzantiorum, exceptis 57. quos habebat de Babylone. Victis à Raimone Tusculi domino ingenti clade Romanis mense Maio, Fredericus Imp. circa Pentecosten relicta Ancona cum reliquo exercitu Romam properat, in qua erat Alexander Papa, & omnibus in circuitu vastatis ignem in Basilicam S. Petri iniecit, quæ ne incenderetur milites deditionem fecerunt, atque Alexander Beneuentum se recepit. Ipse verò Imperator cùm idolum suum Paschalem Antipapam Romæ in sede B. Petri collocasset die 24. Iulij feria 2. & ab eo in festo S. Petri ad Vincula vxorem suam Imperatricem coronari iussisset, secuta est è vestigio diuina vltio, pestilentiâ multos ex eius exercitu atque Optimatibus depopulante. Inter eos numerantur Raynaldus Colonienſis Archiepiscopus Schismaticorum coryphæus, Alexander Ep. Leodiensis, Fridericus Dux Bauariæ filius Conradi Imp. & alij ad 25. vt ferunt, millia. Recedens ergo Româ, Papiam cum paucis venit, & deficientibus ab eo propter tyrannidem Langobardis, frustráque tentatâ confœderatarum vrbium expugnatione, trans Alpes fugere coactus fuit. Langobardiæ ciuitates, quæ sunt numero 25. Mediolanum ab eo aliàs dirutum reædificasse, & ab eius fide desciuisse, præter Papiam & Vercellas, testatur Robertus. Alexander Papa S. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum S. R. E. per Angliam legatum constituit, à cuius sententiâ appellant Episcopi ad ipsummet Papam. *Rex quoque apud Cainonem conuentu suorum habito consilio Arnulfi Lexouiensis Episcopi imminentem sententiam appellatione ad Sedem Apostolicam præpedire decreuit, vt docet Ioannes Sareſberiensis ep. 139. vbi S. Thomæ iter Sueſſionense describit, & infirmitatem Regis, precésque eiusdem ac minas, quibus effecit apud Abbatem Cistercienſem, vt S. Thomam à cœnobio Pontiniacensi deturbaret. In locum Nicolai defuncti electus est in Episcopum Cameracensem Petrus filius Theodorici Flandrensium Comitis, de quo hæc in Aquicinctino Auctario:*

Ecclesia S. Bertini valdè infestatur à Theodorico Flandrensi Comite astu, & persuasione Roberti Ariensis Præpositi eius Cancellarij: vnde Godescalcus Abbas, & fratres eiusdem Ecclesiæ animo consternati bis in die pro tribulatione illa clamorem ad Deum faciebant prostrati. Guillelmus natione Gallus creatus hoc anno Tyri in Phœnicia Archiepiscopus ob doctrinam Amalrico Regi Hierosolymitano carissimus.

Anno Christi MCXLVIII. *Ludouici Iuuenis* 31. *Obiit die* 14. *Februarij Theodoricus Alsatius Comes Flandrensis in villa illa Grauelinga, quam S. Bertino abstulerat per violentiam Roberti Præpositi, & in Vvatenensi Canonicorum Regularium cœnobio Diœcesis Audomaropolitanæ sepultus est: successit ei primogenitus filius Philippus, qui iamdiu Comitatum illum rexerat, cùm pater eius Palæstinam frequentaret, & Veromanduorum prouinciam per vxorem sibi debitam obtinuerat, atque hoc anno cum Balduino Comite Montensi confœderatus est. Hæc ex Roberto Montensi, & Aquicinctino Monacho, quibus increpantur moræ Iperij, qui teste Miræo distulit in annum* 1199. Mathildis filia Henrici Angliæ Regis apparatu maximo ducta est in Alemaniam ad sponsum suum Henricum Ducem Saxoniæ & Baioariæ. *Fluuius Sartæ in Cenomanensi pago castro Freernaio, ferè per horam & dimidiam mense Februario ita siccatus est, vt calceati siccis vestigiis possent transire, cùm antea vix equi absque natatu possent transuadare. In Pictauia rebellarunt Comes de Marcha, Comes Engolismensium, Aymericus de Lisinnio, aliique, sed Rex Henricus aduolans eorum conatibus obstitit, & Lisinneium castrum munitissimum cepit, ibique relictâ Alienorde cum Patricio Salisberiensi Comite (qui paullo post dolo Pictauensium occisus est, & sepultus apud S. Hilarium) in octauis Paschæ inter Paceium, & Medantum colloquium habuit cum Rege Francorum, datæque induciæ vsque ad Octauas S. Ioannis. Idem Henricus aduersus Eudonem Vicecomitem de Porrohoit, aliósque Britones, iratus venit in Britanniam, & destruxit inter cætera castellum Ioscelini, eique abstulit Comitatum de Broherec, cuius caput est ciuitas Venetensium, cum dimidio Cornubiæ, castrúmque Abraium captum muniuit. Aliorum quoque ditiones vastauit, tum in Octaua S. Ioannis ad Feritatem Bernardi venit, vbi inter Reges de pace tractatum quidem, sed infecto negotio discessum. Henricus rogatu Matthæi Comitis Bononiensis, quem Ioannes Comes Pontiui non permiserat transire per terram suam, Vimacensem pagum igni tradidit, villas amplius* 40. *comburens. Mortuus est in Britanniâ Heruæus de Lehum,*

succedente Guihomaro filio: Archiepiscopo quoque Senonensi in fata secedente, inquit Robertus, Vvillelmus electus Carnotensis ei suffectus est, concesso eidem Episcopatu Carnotensi per biennium ab Alexandro Papa, quem hoc anno deposuisse, & excommunicasse ferunt Fridericum Imp. qui amisso variis cladibus exercitu rebus penè desperatis occultè fugere coactus fuerat ex Italia, cùm Mediolanenses aliíque aduersus eum fœderati mutuo consensu ædificare cœperunt ciuitatem haud longè à Vercellis in honorem Alexandri Papæ dictam Alexandriam, sumptis habitatoribus ex singulis vrbibus Langobardiæ. Plura ex Actis Alexandri Papæ, Epistolis Sarisberiensis, aliísque Baronius, quem etiam consule de rebus ad S. Thomam Cantuariensem Archiep. spectantibus. Robertus asserit obiisse Romæ Guidonem Cremensem Antipapam, & successisse in Schismate quemdam pseudoclericum, cognomento Calixtum: Rogerius vocat Ioannem Abbatem de Strumâ: Verùm ea in annum 1170. differenda moneo. Rugiani Slauorum populi ab Erico Danorum Rege, & Finlandi ab Erico Suecorum Rege victi Christum agnoscunt. Helmoldus Presbyter, & Canonicus Buthonienſis historiam conuersionis Henetorum siue Sclauorum ad Christum à temporibus Caroli Magni vsque ad hæc tempora perduxit, inquit Auctor Aquicinctinus, ex quo etiam constat Hebronensi in Syria Ecclesiæ primum datum Episcopum Rainaldum Fulcherij Patr. Hier. nepotem. Rogerius testatur Patricium Comitem Salisberiensem redeuntem à peregrinatione Compostellana occisum fuisse à Guidone de Liziniaco, qui ab Henrico Rege de Pictauensi prouincia expulsus, acceptâ Cruce peregrè profectus est Hierosolymam, vbi in obsequio Balduini leprosi Regis Ierusalem remansit, & propter probitatem à Rege, & Principibus plurimùm dilectus est, ac post aliquot annos duxit sororem Balduini illius Sibyllam viduam Willelmi Marchionis de Monteferrato, & post pupilli Balduini obitum ipse regnauit, vt suo tempore exponemus. De Welfi Hetruriæ Ducis & Friderici Comitis Palatini expeditione in Terram sanctam, quo tempore Græcorum Imperator Ægyptum inuadens Pelusium expugnauit, & Calipham impulit ad tributum annuum soluendum, vide Nicetam, & Guillelmum Tyrium. *Pridie Nonas Octobris Dominica die, ideóque hoc anno non ante bien-*

nium, vt habent MSS. exemplaria Chronici Gaufredi Prioris Vosiensis, aut certè legendum erit sexto Nonas, consecrata est in honorem B.V. Ecclesia Grandimontensis à Petro Archiepiscopo Bituricensi, Bertranno Burdegalensi, aliísque Aquitaniæ Præsulibus. Certè idem auctor adiungit Guillermum Sectorem-ferri Engolismensem, & Audebertum de Marchia Comites, cum quibusdam aliis insurrexisse aduersus Regem Anglorum, deinde subnectit Sanctum Pascha celebratum fuisse vltima die mensis Martij, quod huicce anno vnicè competit.

Anno Christi MCLXIX. *Ludouici Iuuenis 32. in Epiphania Domini inter Reges concordiâ initâ Henricus filius Henrici Anglorum Regis fecit Francorum Regi socero suo homagium de Andegauensi Comitatu, & de Senescallia Franciæ, & Ricardus alter Henrici filius de Ducatu Aquitaniæ. Addit Robertus Ludouicum genero suo concessisse Ducatum Britanniæ, quem tamen alij tradunt proprium fuisse Gaufridi, qui filiam Conani duxerat. Idem Auctor subiungit. I. Henricum iuniorem Parisius in Purificatione B. Mariæ seruiisse Regi Francorum ad mensam, vt Senescallum Franciæ, & homagium fecisse Philippo filio eiusdem Ludouici Regis. II. Henricum seniorem locutum esse cum Rege Franciæ apud S. Germanum in Laia seu Laya. III. Gaufridum fecisse homagium Henrico fratri suo de Ducatu Britanniæ, iubente patre eorum. IV. Henricum illum seniorem perrexisse in Quadragesima in Vasconiam, multísque castellis destructis Comites Engolismensem, & Marchianum sibi pacificasse. V. Gaufridum mense Maio venientem Redonas à Stephano Redonensi, & Autberto Aletensi Episcopis, Roberto Abbate S. Michaëlis, aliísque receptum in Ecclesia S. Petri, vbi accepit hominia Baronum Britanniæ. VI. Cùm Biterrenses Guillelmum Trencauel in Ecclesia cum paruulo filio occidissent, filium eius Rogerium Malabranchiam dolo eadem vrbe captâ omnes tam viros, quàm mulieres, suspendio alióve tormento morti tradidisse, & nouis habitatoribus illam inhabitandam tradidisse. VII. Heruæum de Iuen, qui habebat in coniugio primogenitam filiam Guillelmi Goeth in itinere Hierosolymitano defuncti intercurrente magna pecuniâ, & quibusdam pactionibus tradidisse Henrico Regi Anglorum Montemmirabilem, & castrum S. Aniani in Biturico, vnde discordia inter Regem illum Comitémque Blesensem Theobaldum redintegrata est. VIII. Henricum Regem solemne festum apud Namnetas in Britannia tenuisse die Natalis Domini, quæ quinta feria euenit, inquit Rogerius, vnde ratio temporis apprimè stabilitur.* Fridericus Imperator ad comprimendos Italos ire disponens, Henricum filium suum quinquennem

Aquisgrani in Regem sublimat die Assumptionis B. Virginis Mariæ. Romanos à Tusculanis Pontifici fauentibus penè vsque ad internecionem deletos docet Aquicinctinus Monachus, addítque I. ab Imperatore missum in Italiam cum valido exercitu Christianum Moguntinum Arch. Cancellarium suum, qui munitiones hostium destruxit, ciuitates cepit, magnámque partem Italiæ Friderico subegit. *II. Balduinum iuniorem filium Balduini Comitis Haginoënsium vxorem duxisse Margaretam sororem Philippi Comitis Flandrensium, ex eáque genuisse Balduinum Imp. C P. in quo successio Flandriæ rediit ad verum hæredem, rectámque lineam. III. Mariam filiam Stephani Regis Anglorum relicto Matthæo Bononiensi Comite, cui duas peperit filias, habibitum religionis resumpsisse. IV. Miloni Morinorum Ep. successisse Desiderium Tornacensem Episcopum.* Die 4. Februarij in vigilia S. Agathæ vehementi terræ motu Catanensium ciuitas subuersa est cum Episcopo, & viris mulieribúsque ad 15. millia, vt ex Hugonis Falcandi Chronico, Petri Blesensis, qui ex curiâ Siciliæ Regis Willelmi iunioris reuertit hoc tempore in Normanniam ad Henricum Regem Angliæ, epistola 46. ad Ricardum Syracusanum Episcopum, Annalibus Rogerij pluribus disces. Lusitano Principi Alexander Papa Regium titulum confirmat dato diplomate die 3. Maij.

Anno Christi MCLXX. *Ludouici Iuuenis* 33. ossa cuiusdam Gigantis in Anglia per alluuionem, qua mare in Quadragesima limites suos excessit, detecta sunt, cuius corporis longitudo 50. pedum erat. Henricus Rex cùm Eudonem Britanniæ Comitem ad deditionem coëgisset, in prima hebdomada mensis Martij transfretauit de Normannia in Angliam cum maximo discrimine, aliis nauibus, quæ cum ipso erant, fractis, comminutis, aut submersis, & Dauidem Willelmi Scotorum Regis filium militem fecit. In festo S. Barnabæ Concilium habuit Londoniæ, & Dominica sequenti 18. Kal. Iulij, cum magna Cleri populíque lætitiâ euocatum è Gallia Henricum filium suum apud Westmonasterium coronari fecit à Rogero Archiepiscopo Eboracensi, ministrantibus Dunelmensi, Roffensi, Londoniensi, & Salesberiensi Episcopis, nullâ mentione facta B. Thomæ Arch. Cantuariensis, ad quem coronatio illa, & consecratio de iure Ecclesiæ suæ spectabat, vt ait Rogerius, cui Robertus de Monte haud planè suffraga-

tur

tur in omnibus. Postridie Willelmus Scotorum Rex, Dauid frater eius, Comites, Baronésque regni iurarunt nouo Regi fidelitatem. *Ludouicus Rex Franciæ, vbi accepit, quòd Margareta filia cum marito suo Henrico coronata non fuisset in Reginam Angliæ, magnum congregauit exercitum, & Normanniam hostiliter intrauit. Quo audito Senior Henricus, relicto filio suo in Anglia, transfretauit in Normanniam, habitóque apud Vvendoniam cum Ludouico Rege colloquio in festo S. Mariæ Magdalenæ pacem cum eo fecit, regressúsque apud Motamgrani incidit in grauem ægritudinem, terrásque suas filiis diuisit, ex qua postquam conualuit peregrinationem suscepit ad Rupem Amatoris in Cadurcensi pago montibus atque horribili solitudine circumdatam, vbi anno 1166. effossâ terrâ repertum fuerat B. Amatoris corpus integrum, multáque fiebant miracula per B. Mariam.* Interim ad expostulationem B. Thomæ Alexander Papa excommunicauit Londonienſem, Roffenſem, & Sariſberienſem Epicopos, Eboracenſem verò ac Dunelmenſem ſuſpendit ab omni officio Epiſcopali; cúmque Willelmus Senonenſis Archiepiſcopus ab Apoſtolica ſede impetraſſet, vt Rex Anglorum omni ceſſante appellatione ſubiiceretur anathemati, & regnum interdicto, niſi pax Cantuarienſi redderetur Eccleſiæ. *Facta est autem pax inter Arch. & Regem 4. Idus Octobris feria secunda, in Monte Laudato, qui est inter Turonium, & Ambasium: palliatam magis quàm confirmatam alij dicunt. Inde reuersus in Abbatiam S. Columbæ Thomas inchoante iam septimo exilij sui anno instinctu diuino accinxit se ad iter Anglicum, Philippo Flandriæ Comite per Flandriam vsque in Anglium ipsum comitante, in quo transitu in hospitio Flandriæ Comitis, Male dicto, Capellam Præsul ille sanctissimus consecrauit. Obiit Balduinus. IV. Comes Haginoensis 6. Idus Nouembris in Monte Castriloco, & in Ecclesia S. Vvaldetrudis ab Alexandro Aquicinensi Abbate sepultus: Successit Balduinus V. filius.* S. Dominicus, qui Ordinem Prædicatorum poſtea inſtituit, Calarogæ in Hiſpaniâ naſcitur. Ordo Humiliatorum ab exulibus Mediolanenſibus inſtituitur, de quibus plura Iacobus de Vitriaco in Hiſtoria Occidentali. *Obiit Ioannes Comes Aucensis, succedente Henrico, quem ei filia Vvillelmi de Albineio & Aëlizæ Reginæ genuerat.* Terræ motu Tripolis, pars Damaſci, Antiochia, Halapia, & aliæ ciuitates Saracenorum quaſſatæ. *Mortuo Vvillelmo Comite Niuernensi vltra mare, vxorem eius Alienordem filiam alteram Rodulfi Veromanduorum Co-*

mitis duxit Matthæus Comes Bononiæ, cuius vxor Maria susceptis ex eo duabus filiabus redierat ad religionem vnde inuita recesserat. Alienor filia Henrici Anglorum Regis in Hispaniam deducta ab Alfonso Rege Castellæ solemniter desponsata est, cui nondum 15. annos nato aduersabantur duo Reges Ferdinandus Gallicicnsis patruus eius, & Alfonsus seu potiùs Sanctius Nauarræ auunculus eius. Stephanus Comes Sancerranus frater Comitum Henrici atque Theobaldi perrexit Hierosolymam ferens secum pecuniam, quam Francorum Rex Ludouicus colligendam curauerat in subsidium Hierosolymitanæ Ecclesiæ. Odo Dux Burgundiæ nepos eiusdem idem iter aggressus est. De Stephano nos plura in Promptuario Bituricensium tum ex Guillelmo Tyrio tum aliunde, vbi etiam non omittemus quod narrat Rogerius: Iterum Henricum Seniorem Angliæ Regem calumniatum esse Archiepiscopatum Bituricensem debere adiacere Ducatui Aquitaniæ, Ludouico Rege Franciæ omnibus modis contradicente, sícque orta inter eos graui discordia magno vtrimque congregato exercitu venisse Regem Angliæ in Bituricensem prouinciam vsque ad Monlucium, sperabat enim ex confessione Bituricensis Archiepiscopi Petri in extremis laborantis se illum susceperum, nisi Ludouicus præueniisset, & induciis vsque ad festum sancti Hilarij acceptis, desiderio suo fraudatum Henricum in Normanniam amandasset, vbi Natalem Domini celebrauit, qui feria sexta hoc anno euenit. Quinta verò post festiuitatem illam die 29. mensis Decembris venerunt Cantuariam 4. milites, & Beatum Thomam Archiepiscopum in Templo vespertinis precibus incumbentem crudeliter trucidarunt, annum ætatis suæ agentem 53. vt pluribus Rogerius, Neubrigensis, Auctores vitæ eius, aliique, quorum plerique, qui annum à Natali Dominico incipiunt, in sequentem annum differunt: vnde Tetrastichum vulgatum apud Robertum de Monte, &c.

Annus millenus centenus septuagenus
Primus erat, Primas quo ruit ense Thomas.
Quinta dies Natalis erat, flos orbis ab orbe
Vellitur, & fructus incipit esse poli.

Rogerius idem descripsit epistolas à Ludouico Francorum Rege, à Theobaldo Comite Blesensi, à Vvillemo Archiep. Senonensi ad Alexandrum Papam missas de morte B. Thomæ.

ANNO ÆRÆ CHRIST. MCLXXI. *Ludouici Iuuenis* 34. *Petrus de Castra Bituricensis Archiepiscopus obiit Kalend. Maij, & in*

choro Cathedralis Eccleſiæ ſepultus eſt, cui ſucceſſit Stephanus quondam Abbas Dolenſis cœnobij. De vtroque Gaufredus Prior Voſienſis cap. 66. qui addit Stephanum infra paucos dies Pariſius, vnde oriundus fuerat, morientem reliquiſſe in loco ſuo Guarinum, atque hunc annum ſuis characteribus deſignat, dum ait feriam ſecundam hebdomadæ Paſchalis fuiſſe 4. Kal. Aprilis, & feria 5. ſequenti celebratam fuiſſe Annunciationem Dominicam, quæ die 25. Martij euenerat in præcedenti Myſtica Cœna. Cùm ad Alexandrum Papam à multis ſcriptæ eſſent de nece S. Thomæ, & de miraculis ad huius tumulum ſumma Dei virtute patratis, ab illo generaliter excommunicati ſunt interfectores ſanctiſſimi Præſulis, miſsíque duo Preſbyteri Cardinales, qui Regem Henricum Eccleſiaſticæ cenſuræ vltrò ſe ſubmittentem ſeq. anno Deo atque Eccleſiæ reconciliarunt. *Hamo Leonenſis Epiſcopus per conſilium, vt ferebatur Guihamari fratris ſui Vicecomitis Leonenſis, & iunioris Guihamari nepotis ſui crudeliter occiſus eſt. Obiit Conanus Dux Britanniæ & tota Britannia adfiliam eius Alaidem Gaufrido Regis Henrici filio deſponſatam tranſiit: ideóque Henricus Rex in Quadrageſimâ venit ad Pontem Vrſonem, ad eúmque venit Guihamarus, reddidítque ſe & ſua caſtella, perterritus multitudine militum, quos Rex illò direxerat ad eum comprimendum, niſi eius voluntati obtemperaſſet. Humbertus Comes Morienna filius Amati ſiue Amedei Comitis, miſit Abbatem S. Michaëlis de Cluſa ad Henricum Regem Angliæ pro componendo matrimonio inter Ioannem eius filium, ſuámque filiam. Theobaldus Carnotenſis Comes plures Iudæorum, qui Blæſis habitabant, igni tradidit, quòd infantem quemdam in ſolemnitate Paſchali crucifixum, ſaccóque incluſum in fluuium Ligerim proiecíſſent, quod etiam fecerant S. Ricardo in Ponte-Iſaræ, cuius corpus delatum Pariſios in Eccleſia S. Innocentij ſepultum multis miraculis coruſcat. Obiit Guillelmus Taluacius Comes Pontiui, éique ſucceſſit in Comitatu Pontiui Ioannes eius nepos ex Guidone fratre primogenito, in aliis verò ditionibus Ioannes Comes filius eius. Menſe Iulio Henricus Rex congregatis Baronibus ſuis apud Argentonium, tractauit cum eis de profectione ſua ad Hiberniam, menſe Auguſto in Angliam transfretauit, omnibúſque ad expeditionem illam præparatis, vigilia S. Lucæ in Hiberniam tranſiuit, eámque ſibi ſubiugauit.* Rogerius plura in eam rem ſubminiſtrabit curioſis Lectoribus, vbi & Reges, 4. Archiepiſcopos, & 28. Epiſcopos, qui tum erant in ea inſula, ſigillatim enumerat, & Caſſelenſis Concilij mentionem facit de ſtatutis Eccleſiæ, addítque Alexan-

drum Papam confirmasse Henrico, & hæredibus eius regnum Hiberniæ secundùm formam chartarum Archiepiscoporum, & Episcoporum Hiberniæ. Subdit duo idem Auctor. *I. Epistolam Alexandri Papæ ad Bituricensem Archiep. & Niuernensem Ep. datam Tusculani 8. Kal. Maij pro absolutione Gilleberti Londoniensis, & Iocelini Salesbiriensis Episcoporum.* II. Defuncto Lupo Rege Imperatorem Africanorum Saracenorum venisse in Hispaniam cum valido exercitu, & occupatis Murciâ ac Valentiâ intrasse terram Alfonsi Castellæ Regis, multísque vrbibus captis Christianos omnes occidisse, præter paucos, quos in perpetuam redegit seruitutem. *Henricus Vintonensis Episcopus, & Glastonensis Abbas per aliquantulum temporis ante mortem suam lumine corporali priuatus decessit in fata, vt loquitur Robertus de Monte.* Christianus Imperatoris Cancellarius Tusculanos, & Alexandrum Papam oppugnaturus, Tusculum parabat obsidere, sed muneribus à ciuibus aliò auertitur, vt docet Monachus Affligemensis. *Balduinus qui postea Constantinopolitanus extitit Imperator mense Iunio Valentinianis ad Scaldim in Hannonia nascitur, de quo ac similibus plura noster Petrus Doutremannus in C. P. sua Belgica.*

Anno Christi MCLXXII. *Ludouici Iuuenis 35. Henricus senior Angliæ Rex, qui Natalem Domini apud Diuelinam siue Dubblinum in Hibernia peregerat, & in eadem insula vsque ad Pascha moram fecerat, cognito aduentu Legatorum S. R. E. Theoduini, & Alberti Cardinalium, dispositísque omnibus, quæ ad Hiberniæ administrationem necessaria videbantur, transfretauit in Angliam, atque inde cum Henrico filio in Normanniam, & cum Legatis locutus est, primò Sauineij, postea Abrincis, tertiò Cadomi vbi causa finita est, inquit Robertus. Deinde colloquio habito cum Ludouico Franciæ Rege de coronatione Margaritæ filiæ suæ, ex consensu, & consilio prædictorum Cardinalium missus fuit Henricus iunior cum coniuge sua in Angliam cum Rotrodo Rotomagensi Archiepiscopo, & Ægidio Ebroicensi Episcopo, ibíque Vvintoniæ in Ecclesia S. Svvithuni 6. Kal. Septembris, die Dominica coronati sunt, statimque cum iisdem Præsulibus redierunt in Normanniam. Circa festum S. Michaëlis vterque Henricus, omnésque Antistites atque Abbates Normanniæ, & Britanniæ conuenerunt apud Abrincas, & in eorum ac Cardinalium præsentia 5. Kalendarum Octobris, feria 4. festo SS. Cosmæ & Damiani Martyrum in Ecclesia S. Andreæ Henricus senior, præstito sacramento super Sanctorum re-*

liquiæ, & ſacroſancta Euangelia iurauit, ſe nec præcepiſſe nec voluiſſe, quòd Archiepiſcopus Cantuarienſis occideretur, & quando audiuit vehementer inde doluiſſe. Plura dabunt Rogerius, Neubrigenſis, atque ex iis aliiſque prolixiſſimè Baronius, qui etiam recenſet viros illuſtres ex familia B. Thomæ, & de pœnitentia acſine paricidarum, qui eum occiderant tractat. Circa feſtum S. Martini Henricus iunior Rex cum Rege Francorum Ludouico locutus eſt apud Giſortium: Margarita verò eius filia apud Ca'uummontem, vt quidem refert Robertus, nam Rogerius diuturniorem moram vtriuſque in Francia inſinuare videtur, addítque patrem apud Cainonem in Andegauia, filium verò eiúſque vxorem in Normannia Natalem Domini peregiſſe. De Ricardi noui Ducis Aquitaniæ facta Lemouicis inauguratione nonnulla leges obſeruatione digniſſima cap. 67. Chronici Gaufredi Prioris Voſienſis in Tomo II. Nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum ſeu Corpore Rerum Aquitanicarum. Henricus Dux Saxonum, & Baioariorum perrexit Ieruſalem cum magno comitatu militum, theſauríſque, quos ſecum portauerat, pauperibus & Eccleſiis terræ ſanctæ largâ manu diſtributis, rediit. *Hugo III. Burgundiæ Dux Capellam Diuione fundat, & in ea decem Canonicos conſtituit, ex diplomate quod exhibet Notitia Miræi cap. 163. Obiit Godeſcalcus Atrebatenſis quondam Epiſcopus in Monte S. Martini Ordinis Præmonſtratenſis monaſterio apud Laudunum ſito, cuius loci ante epiſcopatum fuerat Abbas, ex Auctario Aquicinctino,* in quo etiam mentio Stephani III. Ladiſlai, Stephani IV. & Belæ Hungariæ Regum, de quibus plura ac certiora Bonfinius aliíque recentiores, additúrque anno ſeq. Boleſlao in Polonia ſucceſſiſſe Caſimirum.

Anno Chriſti MCLXXIII. *Ludouici Iuuenis 36. Petrus Comeſtor celebris habetur in Francia Magiſtrorum Pariſienſium primas, vir facundiſſimus, qui vtriuſque Teſtamenti hiſtorias vno compingens volumine opus edidit gratum atque vtile, vt obſeruat Monachus S. Mariani. Obiit Idibus Februarij Stephanus Bituricenſis Archiepiſcopus, & poſt eius obitum vacat ſedes 2. annis & menſ. 9. In Martyrologio Eccleſiæ Pariſienſis hæc habentur ad diem 13. Kal. Februarij: Obiit Stephanus Bituricenſis Archiepiſcopus, pro cuius anima Galterus frater eius Regis Camerarius dedit nobis 35. libras Pariſienſes ad ſtationem quatuor ferculorum: de qua Philippus Archidiaconus nepos eorum aſſenſu totius Capituli Canonicos S. Dionyſij de Paſſu Canonicis S. Mariæ pares in hoc eſſe inſtituit. Henricus Senior in Aruernia collocutus eſt cum Humberto Comite Maurianenſi, eiúſque filiam primogenitam Adelaidem*

desponsit Ioanni minori natu filio suo, dein Lemouicas accessit cum Henrico filio suo, ibique Raimundus de S. Ægidio homagium de Tolosa fecit Henrico eiúsque filio Ricardo Duci Aquitaniæ. Henricus iunior offensus patri, à quo petierat donari sibi Normanniam, vel Andegauiam, aut Angliam, in qua cum vxore sua morari posset, per consilium Regis Franciæ, & Comitum Baronúmque Angliæ & Normanniæ, qui patrem eius odio habebant, aliísque de causis recessit è paternâ curiâ noctu cum paucis, & ad Regem Francorum socerum suum se contulit. Inde Parisiis magno conuentu celebrato Comitibus, & Baronibus regni Francici multa donauit, promisítque firmans sigillo nouo, quod Rex Franciæ faciendum suaserat. Alienati sunt pariter ab Henrico vxor eius Alienor cum filiis suis Ricardo Comite Pictauensi, & Gaufredo Comite Britanniæ. Post Pascha quoque Bernardus de Feritate cum multis aliis accessit ad partes Henrici iunioris, ac soli ferè Brabantiones stipendiarij cum seniore remanserunt. Gaufredus Vosiensis cùm obseruasset Raimundum Comitem Tolosanum Lemouicas venientem coram Rege Anglorum, & vxore filióque Ricardo, & Principibus multis pro vrbe Tolosana hominium fecisse, prædictámque ciuitatem ex eorum beneficio recepisse, subiungit ab eo tunc patefactam eidem Regi coniurationem vxoris filiorúmque, eiusdémque consilio quasi venandi gratia cum paucis egressum velociter vrbes, & castra muniuisse, per Vosias iter fecisse, Guillelmum Abbatem Radingensem in Burdegalensem Archiepiscopum electum, &c. Philippus Flandriæ Comes obsedit cepítque Albammarlam, & Nouum castrum quod dicitur Dringcurt, vbi Matthæus Comes Bononiensis frater Philippi ex inopinato ictu sagittæ percussus obiit sepultus in monasterio sancti Iudoci, eóque defuncto Petrus electus Cameracensis Antistes, renuncians electioni suæ à Philippo fratre militaribus armis anno sequenti accinctus est, vt Matthæo in Comitatu succederet, & paullo post absque prole obiit. Interim Ludouicus Rex, & Henricus gener eius obsederunt per mensem Vernolienſe castrum, & inde recesserunt quinto Idus Augusti feria 5. in vigilia S. Laurentij; vt pluribus narrant Rogerius, Robertus, similésque. Radulfus de Fulgeriis in Britannia nonnullos ex Brabancionibus interfecit, & postea ab aliis victus est cum Britonibus 13. Kal. Sept. feria 2. Turris Dolensis Regi Henrico reddita 7 Kal. Sept. die Dominica. Tandem colloquio habito inter Gisortium & Triam, vbi Ludouicus Rex adfuit cum Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus, & Baronibus regni sui, adducens secum Henricum, & Richardum, & Gaufridum filios Regis, & pater eorum Henricus Rex Senior cum Archiepiscopis, Episcopis, Co-

mitibus, & Baronibus terræ ſuæ, 7. Kal. Octobris feria 3. receſſerunt re infectâ. Ludouicus Rex militem fecit Ricardum Henrici filium, qui in Feſto S. Andreæ per vim cepit Vendocinum, quod Burcardus de Lauarzino expulſo inde patre ſuo Vindocinenſi Comite occupauerat. Imperator Fredericus & Willelmus Marchio Montisferrati exercitum congregant, vt anno ſequenti Alexandrinos, aliósque Italienſes expugnent. Alexander Papa apud Signiam ex conſenſu Cardinalium aliorúmque Eccleſiæ Catholicæ Antiſtitum, die primo Quadrageſimæ B. Thomam Cantuarienſem Archiep. innumeris miraculis coruſcantem ſolemni ritu in numerum SS. Martyrum retulit. *Addit Anonymus Aquicinctinus ab eodem Papa S. Bernardum Clarauallenſem Abbatem in album SS. Confeſſorum fuiſſe adſcriptum.*

Anno Chriſti MCLXXIV. *Ludouici Iuuenis* 37. *Petrus Archiepiſcopus Tarentaſiæ, qui fuerat Monachus de ordine Ciſtercienſi multis per ea tempora miraculis clarus cum Abbate Ciſtercienſi Alexandro miſſus à Romano Pontifice venit ad Regem Francorum pro reformanda pace inter Regem Angliæ Henricum, & filium eius iuniorem Regem, ſed parum profecit; nam circa Paſcha in conuentu publico Baronum regni Pariſiis habito, Comites plurimi iurauerunt ſe transfretaturos in Angliam cum iuniore Rege, & alios in Normanniam perrecturos, quod & factum, dum Henricus Senior è Gallia in Angliam veniens cum ſuis Brabantionibus, viſitauit Cantuariæ ſepulcrum B. Martyris Thomæ in ſummâ humilitate, vt enim vidit Eccleſiam, deſiliens equo in veſte lanea, & nudis pedibus pedes vſque ad illam per paludes, & acuta ſaxa perrexit, totámque noctem impranſus ibi vigilauit. Mane autem facto in capitulum Monachorum pergens, ſubdidit ſe verberibus eorum. Eadem autem die quâ receſſit à loco ſancto, captus eſt Guillelmus Rex Scotiæ à Baronibus Eboracenſibus, qui totâ æſtate vaſtauerat Septentrionales partes Angliæ. Quo nuncio plurimum exhilaratus Henricus transfretauit in Normanniam, relinquens Angliam in pace, quam ferè perditam intra* 30. *dies recuperauerat, propiorque Rotomago, quam Franci obſidebant, factus, eos ad terminum de pace reformanda petendum adegit: quæ tandem circa feſtum B. Michaëlis inter Turonum, & Ambacium compoſita eſt, tribus filiis patri ſuo humiliter ſe ſubiicientibus, & Rege Francorum, ac Flandrenſi Comite, firmitates, quas ceperant in Normannia, Regi Angliæ reddentibus. Hæc ex Roberto Montenſi, quem cum Heriberti lib.* 3. *Hiſtoriæ Quadripartitæ, & Eduardi in vitâ S. Thomæ, Rogerij Houedeni, Guillelmi Neubrigenſis,*

Radulfi, Geruasij, Aquicinctini Chronographi, similiúmque narrationibus consulet per otium Lector, necnon Gaufredi Vosiensis Chronici cap. 67. epistolam 66. aliásque Petri Blæsensis Bathonienſis Archidiaconi. Post festum S. Ioannis Almaricus Rex Hierosolymitanus decessit die 11. Iulij, succedente Balduino IV. eius filio, obiisse quoque dicitur mense Maio Noradinus Rex Halapriæ, cui successit impubes filius natus ex N. sorore Comitis S. Ægidij, quam captiuam ceperat in itinere Hierosolymitano: de cuius tutela cùm disceptarent inter se principes, euocatus ex Ægypto Saladinus regno etiam Damasceno potitus est, vt fusiùs Willelmus Tyrius. *Petrus Cameracensis electus assensu Philippi Comitis Flandriæ fratris sui relicto Episcopatu, & Clericali corona, in hebdomada Pentecostes sabbato armis militaribus accingitur, sequenti verò anno vxorem duxit relictam Comitis Niuernorum, eodémque anno diem clausit vltimum.* Fridericus Imp. & Willelmus Marchio Montisferrati per Montem Cinisium post Pentecosten Italiam potenter ingressi nouam Alexandriam obsidione cingunt, Segusio capto & euerso, Astensíque vrbe deditâ. Idem Christianum Moguntinum Archiepiscopum, à quo capta, & euersa Interamna Vmbriæ vrbs, misit cum copiis ad oppugnandam Bononiam. Hiemem verò pluuiosam exercitum Friderici Alexandriam obsidentis valdè attriuisse ferunt. *Iacobus de Auestnis miles ditissimus à Roberto Cameracensi electo in Rotomagensi obsidione verborum contumeliis afficitur. Idem paullo post Robertus à seruientibus eiusdem Iacobi apud Condatum in Hannonia ignominiosè perimitur 5. Idus Octobr. feria sexta, vt dicitur in Chronico Remensi, éique Alardus substituitur ab Imperatore precibus Philippi Flandrensis Comitis, qui pro vindicanda Roberti morte contra Iacobum profectus, sed Henrici Remensis Archiepiscopi interuentu detentus, pacto pacis magis vtrimque simulato, quàm composito, in Flandriam rediit.*

Anno Christi MCLXXV. *Ludouici Iuuenis* 38. *Guarinus de Girardo, vel de Gelardum, vt dicitur in Appendice Roberti Montensis, Abbas Pontiniacensis factus est Archiepiscopus Bituricensis, sicut Abbas, qui ante illum monasterium idem rexerat, factus fuerat Archiepiscopus Lugdunensis. Henricus iunior apud Burum in Normannia iurauit, vt homo ligius patri suo fidelitatem contra omnes homines. Pascha peregerunt apud Cæsarisburgum, & post Pascha venerunt Cadomum obuiam Philippo Comiti Flandriæ. Inde Ricardus à patre*

missus

missus est in Aquitaniam, & Gaufredus in Britanniam, assignato ei, vt esset Procurator terræ suæ Rollando de Dinanto, cuius consilio factum, vt quæ habebat Comes Eudo de dominio, reuocaret in ditionem suam. Obiit Henricus frater Ludouici Regis Francorum Remensis Archiepiscopus: Is Natale Domini apud Aquicinctum celebrauerat, profectúsque fuerat in Curiam Philippi Flandrensis Comitis, vbi Iacobus de Auesnis facto secundùm iudicium curiæ sacramento, immunem se ostendit de morte Roberti Cameracensis electi. Obiit similiter Comes Niuernensis, Girardus item Clarauallensis Abbas à quodam eiusdem ordinis Pseudomonacho Hugone de Basochiis Igniaci pridie Idus Octobris nocte, cultro ter appetitus, lethaliter vulneratus est, & per triduum, quod superuixit, confessionem pœnitentiam & Sacramenta Corporis Christi suscipere promeruit. In die sancto Parasceues Philippus Flandrorum Comes cum multis aliis Hierosolymam profecturus crucem accepit. Magna circa Natiuitatem Domini fluuiorum redundantia, inquit Anonymus Aquicinctinus, in tantum, vt Sequana, Axona, & Lisa alueos suos egressi vna nocte magnum circummanentibus damnum inferrent, multos etiam necarent. Post Pascha cùm transfretassent in Angliam Reges senior iuniorque 7. Idus Maij, feria sexta, multóque argento emuncti fuissent, qui de ceruis eorum absque licentia ceperant, Dominica ante Ascensionem celebratum est apud Westmonasterium Concilium præside Ricardo Archiepiscopo Cantuariensi, in quo statuti sunt canones 18. ad disciplinam Ecclesiasticam restituendam, de quibus consule Rogerium Houedenum. Addit Robertus perseueraſſe veterem querelam de primatu Britanniæ inter ipsum, & Rogerium Eboracensem Archiepiscopum, *ac Redonis Concilium quoque habitum à Bartholomæo Archiepiscopo Turonensi cum Episcopis minoris Britanniæ.* Quæ de liberatione Guillelmi Regis Scotiæ & pacis initæ conditionibus narrant Angli Scriptores non æquè arridentLeslæo, Gordono, aliisque recentioribus Scoticæ Historiæ vindicibus. Robertus ait I. Feciſſe Henrico homagium & ligantiam de omni terra ſua vt proprio domino. II. Conceſſiſſe vt omnes Epiſcopi terræ illius, qui ſunt numero decem, Abbates, Comites & Barones idem facerent. III. Tradidiſſe munitiones ſuas, *&c.* Rogerius in Eccleſia S. Petri Eboraci lectam fuiſſe concordiæ formulam, & conceſſam in hunc modum: Willelmus Rex Scotiæ deuenit homo ligius, *&c. Addit idem Auctor I. necem Vvalteri de Fontanis iuſſu*

Flandrensis Comitis. II. Expugnatum à Ricardo Duce Aquitaniæ Castellonium supra Aginnum. III. Concordiam initam apud Windesforam in octauis festi S. Michaëlis inter Henricum Angliæ Regem & Rodericum Regem Conactæ in Hibernia coram S. Laurentio Dublinensi Arch. IV. Ab Hugone Cardinale Apostolicæ Sedis Legato datam Henrico Regi licentiam implacitandi, vt loquitur, Clericos regni sui de forestis suis, & de captione venationis. V. Obiisse Reginaldum siue Rogerium Comitem Cornubiæ prioris Henrici Regis filium naturalem & sepultum fuisse Radingiæ. Fridericus Imperator obsidens Alexandrinam nouam Insubriæ vrbem egerat in eam cuniculum, in quem immissi milites, dum aperto illius ostio erumpunt, omnes trucidati sunt. Alexandrini deinde eruptione factâ fugatóque Frederici exercitu castra eius opulenta spoliarunt. Aiunt cladem illi fuisse illatam cùm ipsa nocte Magnæ sextæ Feriæ proditione illos fuisset adorsus, pugnante pro obsessis S. Petro, & in equo Albo coruscantibus armis præire viso, atque in ipsa solemni Resurrectionis Dominicæ die obsidione soluta versus Ticinum properasse. Alexander Papa, vt Alexandrinis gratificaretur, Aquensem Episcopatum in illam vrbem transtulit, cúmque tractatum fuisset de pace, Imperator acquiescere noluit, stante Alexandria, quam Langobardi noluerunt subuertere, sícque ipse moratus est Papiæ, non valens procedere nec reuerti, vt scribit Robertus. Milites S. Iacobi, de quibus plura Iacobus de Vitriaco, his temporibus in Hispaniâ celebrari cœperunt, Alexandro Papâ approbante, & S. Augustini regulam eis præscribente. Primus eius militiæ magister creatus est Petrus Fernandus à Ponte Encalato. Extat diploma Friderici Imp. in fauorem S. Anthelmi Bellicensis Episcopi anno regni 24. Imperij 22. Indictione 8. 7. Kalend. Aprilis, in obsidione Roboreti in Subalpinis sigillatum aureo sigillo in cuius auersa parte vrbs Roma depicta est cum hac epigraphe: Roma caput Mundi regit orbis fræna rotundi.

Anno Christi MCLXXVI. *Ludouici Iuuenis* 39. *Henricus Rex Anglorum missis nunciis ad Philippum Comitem Flandrorum ab itinere Hierosolymitano detinuisse dicitur hoc anno. Iacobus de Auesnis rebellat contra Dominum suum Comitem Haginoënsem, qui auxilio Flandrensis Comitis Condatum oppidum obsedit, eiusque muros ac tur-*

rim solo æquauit, duas quoque eiusdem munitiones post messem Augusti in Comitatu Veromandensi sitas cepit. Petrus eiusdem Philippi frater accepta Comitissa Niuernensi, quæ fuerat vxor Odonis Domini Issoldunensis castri, mortuus est apud Issoldunum, vna tantùm relicta filia, cuius matrem cum eodem Comitatu accepit Comes Robertus filius Roberti fratris Ludouici Regis Francorum, & ita facta est quadrigama, inquit Robertus Abbas. Guillelmus Archiepiscopus Senonensis Albimanus, siue ad Albas manus, vulgò dici solitus, ad Remensem Archiepiscopatum translatus est, Alexandri summi Pontificis permissione; eique successit Guido, de quo Robertus S. Mariani Monachus anno seq. Idem cum multis alijs obseruauit maxima per Gallias fame inualescente, multarum Abbatiarum sed præcipuè Cisterciensis ordinis apparuisse munificentiam in pauperibus sustentandis, inuadiata Ecclesiarum ornamenta, ac multa Sanctorum feretra decrustata. In Carnotensi vrbe Ioannes Salesberiensis, qui prius fuerat Clericus Theobaldi, & S. Thomæ Martyris Cantuariensium Archiepiscoporum, vir honestus & sapiens, factus est Episcopus: mortuo quoque Beluacensi successit ei in Episcopatu Philippus filius Comitis Roberti fratris Regis Francorum. Guillelmus Rex Siciliæ, Dux Apuliæ Capuæque Princeps, per Legatos expetiit Ioannam filiam Henrici Regis Anglorum in vxorem & accepit. Deposito Radulfo Abbate Cluniacensi consobrino Theobaldi Blesensis Comitis, Gauterius Prior S. Martini de Campis successit ei, & ille Exabbas factus est iterum Prior Caritatis ad Ligerim. Henricus Angliæ Rex apud Notingamum celebrato magno conuentu regnum suum diuisit in sex partes, attributis vnicuique illarum tribus Iustitiariis, eodémque anno Ioanni minori natu filio Hiberniam concessit. *Post Pascha Henricus iunior cum fratribus per licentiam patris transfretauit in Normanniam, & Richardus magno congregato exercitu deuicit prælio Brabancenos, Aimericum Vicecomitem Lemouicensem, Vvillelmum Sectorem ferri Comitem Engolismensem, Vicecomites Ventadorensem & Cabanensem*, &c. *Obiit eodem anno Radulfus de Dolis in Bituricensi prouincia, cuius filiam hæredem Rex Angliæ pater dedit Baldvvino de Riuers in vxorem cum honore castelli Radulfi, inquit Rogerius*, ex quo præterea discimus. I. Fredericum Romanorum Imperatorem magno congregato Teutonicorum exercitu inter Cumas, & Mediolanum prope Securum cum fœderatis Langobardis commisisse prœlium, quod cùm à mane vsque ad vesperas durasset, in fugam versus est Imperator, amissa suorum maiori parte. Septimanam

Pentecoſtes alij deſignant aut 3. Kalend. Iunias, addúntque equo ſuo deiectum, habitum aliquamdiu fuiſſe pro mortuo. II. Manuelem Imp. CP. deuicto Iconij Soltano ſcripſiſſe ad Regem Angliæ epiſtolam, cuius exemplar exhibet. Victoriam illam ad Mæandrum reportatam pluribus deſcribit Nicetas. *III. Damnatos fuiſſe Albigenſium hæreticorum, qui ſe Bonos homines appellabant, errores contra fidem Catholicam, ex Manichæorum aliorúmque ſordibus collectos. Sententia in eos lata ſic incipit: Ego Giſlebertus Lugdunenſis, vel potiùs vt ex conſequentibus omnino conſtat, Ego Gocelinus Lodouenſis Epiſcopus ex mandato Albienſis Epiſcopi, & aſſeſſorum eius iudico iſtos eſſe hæreticos, & damno ſententiam Oliuerij, & ſociorum eius*, &c. *Suſcripſit etiam cum Trenkeuello Vicecomite, & Sicardo Vicecomite Lautrecenſi Conſtantia ſoror Regis Franciæ, vxor Raymundi Comitis Toloſani. Plura poteram de iis obſeruare, ſed iſta Breuiatori ſufficiant.*

Anno Chriſti MCLXXVII. *Ludouici Iuuenis* 40. *quinta feria in Cœna Domini Pariſiis occiſus fuit Guillelmus puer à Iudæis, qui concremati ſunt igne. Auenionem aduenit adoleſcens, nomine Benedictus, dicens ſe à Domino miſſum, vt ibi ſuper Rhodanum pontem conſtrueret, cúmque derideretur, quòd nec ſumptus ad opus complendum haberet, & operi complendo ſpem demeret fluminis magnitudo, & profunditas, inſtitit tamen prædicando, nec multò pòſt diuino nutu incitati ciues opus certatim aggreſſi ſunt, ſanctæque admodum vitæ Iuuenis, quem ferunt etiam nonnullis claruiſſe miraculis, per multas prouincias ex fidelium eleemoſynis infinitas aggregauit expenſas, vt teſtis eſt illorum temporum ſcriptor Robertus S. Mariani Monachus, & Innocentius IV. Papa in diplomate, cuius nonnullorúmque aliorum ex Paradino in Hiſtoriâ Lugdunenſi meminit Baronius, & alij recentiores. Ricardus Aquitanorum Dux ſtatim poſt Natale Domini obſedit Aquenſem ciuitatem, quam Petrus Vicecomes Aquenſis, & Comes Bigorræ contra eum munierant, & infra decem dies cepit. Deinde Baionam, & compulit Baſclos, & Nauarrenſes ſeruare pacem*, &c. *vt docet Rogerius qui multa habet de controuerſia inter Reges Alfonſum Caſtellæ, & Sanctium Nauarræ agitata Londini coram Rege Angliæ, & de Philippo Comite Flandriæ, qui dedit primogenitam fratris ſui Matthæi Comitis Bononiæ Duci Zaringenſi, & alteram Henrico Duci Louanienſi. Philippus Flandriæ Comes circa Pentecoſten Hieroſolymam petiit, & Vvillelmus filius Vvillelmi Marchionis Montiſferratenſis, qui filiam Amalrici Hieroſolymorum Regis vxorem duxerat, à tranſmarinis*

militibus veneno extinguitur, inquit Monachus Aquicinctinus, qui de reconciliatione Regni & Sacerdotij hæc habet. I. Inter Fridericum Imp. & Italienſes pacem vſque in quinquennium firmatam, eóſque ſubmittentes colla magnis illum auri atque argenti onuſtaſſe muneribus. II. Imperatorem degentem Rauennæ, & Alexandrum Papam Venetiis ſæpiùs de pace Legationes alternatim miſiſſe. III. Chriſtianum Archiep. Moguntinum & Imperatoris Cancellarium, ac Primates regni cum Epiſcopis conuenientes 9. Kal. Auguſti, Fredericum Imp. ad Alexandrum Papam adduxiſſe diſcalceatum, & regiis ornamentis nudatum in Venetiâ in loco, qui Riuus altus nuncupatur. Is verò obedientem ſe Eccleſiæ, & domno Papæ curauit exhibere, lacrymis pedes eius rigando, & deoſculando, regiiſque muneribus honorando. IV. Sequenti die in feſtiuitate ſcilicet S. Iacobi Apoſtoli Papam cum Cardinalibus ſuis atque Epiſcopis Miſſam ſolenniter celebraſſe, & Imp. à vinculo anathematis abſolutum Corpore & Sanguine Domini in confirmationem pacis communicaſſe. *V. Epiſtolas ad omnes Epiſcopos Galliæ de pace receptâ à Pontifice fuiſſe ſcriptas, & nominatim ad Villelmum Remenſem Archiepiſcopum, & Apoſtolicæ Sedis Legatum, quas exhibet.* Baronius varias huius toto orbe celeberrimæ reconciliationis narrationes refert, quas expendit ad trutinam, confutátque fabulam de conculcato Imperatoris collo. Vide num. 86. *Henricus Rex aſſumptis filiis ſuis Henrico iuniore, & Richardo Duce Aquitanorum apud Vadum ſancti Remigij cum Ludouico Francorum Rege locutus eſt ea, quæ ad pacem tendunt, & de ſuſceptione Crucis ad ſeruitium Dei. Rogerius ipſa pacta refert, & nonnulla præmittit de Ricardi nuptiis cum Aleſia filia Ludouici Regis dilatis, quod is ciuitatem Bituricenſem nollet dare in dotem. Inde Gaufridum filium ſuum in Britanniam cum cæteris Britonibus miſit Henricus ad expugnandam ſuperbiam Guihomari Leonenſis. Ipſe verò perrexit in Bituricenſem pagum, & accipit in manu ſua caſtrum Radulfi Dolenſis, quod erat de feudo ſuo, filiámque eius vnicam cum tota hæreditate, quam quidam dicebant tantum valere quantum valet redditus totius Normanniæ. Idem Rogerus teſtatur capto Radulfi caſtro cùm proceſſiſſet inde verſus Caſtra, dominum oppidi illius veniſſe obuiam illi, eíque reddidiſſe filiam Radulfi de Dolis, quam Rex dedit Balduino de Reuers cum honore caſtri Radulfi. Iſſoldunenſe etiam caſtrum cum omnibus ad illud pertinentibus, quia Odo eiuſdem caſtri dominus nuper*

deceſſerat, & paruulum filium reliquerat, oblatum à Baronibus, qui illud cuſtodiebant, noluit accipere, quia non habebat hæredem, quem Dux Burgundiæ, quia cognatus eius erat, furtim abſtulerat. Caſtrum quoque munitiſſimum natura, & arte Turenium reddidit ei caſtri illius Vicecomes: totam denique terram Comitis de Marchia ſexies mille marcis argenti emit, alij pro 15. millibus librarum Andegauenſium, 20. mulis & 20. Palafridis totum Comitatum Marchiæ venditum volunt apud Grandem montem menſe Decembri. Richardus verò eius filius caſtrum, in quo requieſcit S. Martialis in monaſterio ſuo iuxta Lemouicenſem ciuitatem abſtulit Vicecomiti, quia adiuuabat partes Comitis Engoliſmenſium, qui infeſtabat ipſum Ducem. Lemouicenſis Epiſcopus eiuſdem ciuitatis Comes, cùm per decennium in cæcitate vixiſſet, Nonis Octobris mortuus eſt. Gaufredus Voſienſis Tomo II. Nouæ Bibliothecæ editus addit præſentibus Geraldo Præſule Lemouicenſi & Iſamberto Abbate S. Martialis vndecimo Kal. Maij in Dominica Cœna cæſos fuiſſe Brabantiones inter Malamortem, & Briuam, *&c.* quæ per otium ibidem leges. *Henricus Trecarum Comes cum multis aliis in Palæſtinam profecturus crucem accepit: Philippus Comes Flandriæ à tranſmarinis magno honore ſuſceptus, ſed paullò pòſt orta ſimultate inter ipſum & Templarios Antiochiam petiit, & cum eius vrbis Principe caſtellum Harenc obſedit.* Quo comperto Saladinus Princeps Damaſci arbitratus deſtitutam omni præſidio Hieroſolymitanam ciuitatem poſſe nullo negotio expugnari Gazam peruenit, & apud S. Georgium de Ramula ab occurrentibus Rege Templariis aliiſque cum Cruce Dominicâ victus eſt, omnibus pænè ſuis gladio ſeu flumine, quod interfluebat, conſumptis, feria 6. ante natale B. Andreæ, ſiue 7. Kal. Decembr. in feſto S. Catharinæ Virginis & Martyris, de qua victoria plura Aquicinctinus Monachus, Robertus Abbas, Rogerius Houedenus, ac Willelmus Archiep. Tyri. Alfonſus Caſtellæ Rex Concham vrbem munitiſſimam nono obſidionis menſe Saracenis eripit die 21. Septembris. Poloni Miciſlaum propter crudelitatem principatu pellunt, ſuccedente fratrum vltimo Caſimiro ad annos 17. Ioanna Willelmo Regi Siciliæ deſponſata fuit, & coronata Dominica ante ingreſſum Septuageſimæ Idibus Februarij, vt teſtatur Rogerius.

Anno Chriſti MCLXXVIII. *Ludouici Iuuenis* 41. reuocatus gemina Legatione Romam Alexander Papa eò acceſſit

4. Idus Martij, & priſtinum decus Eccleſiæ cum optata ab omnibus bonis libertate reſtitutum. Ioannes Strumenſis Antipapa Calliſtus III. dictus apud Tuſculanum 4. Kal. Sept. ad Alexandri pedes ſe abiecit, veniámque petiit, vt narrat, qui hîc Chronico ſuo finem fecit, Romualdus Archiep. Salernitanus. *Obiit Stephanus Epiſcopus Redonenſis, qui ſcripſit vitam S. Firmati Epiſcopi, & S. Vitalis primi Abbatis Sauigneij. Huic in obitu ſuo apparuiſſe Matrem miſericordiæ, cui deuotè ſemper ſeruierat, teſtatur Robertus Abbas, ex quo etiam præter alia diſcimus. I. Ludouicum & Henricum Reges conueniſſe ad colloquium haud procul à Nonantiſcurte, & ibi de firma concordia ac de itinere Hieroſolymitano tractauiſſe. II. Obiiſſe Robertum de Monteforti, cui ſucceſſit Hugo filius eius natus ex ſorore Radulfi de Fulgeriis. III. Carnotenſem vrbem cum monaſterio B. Petri de Valle conflagraſſe, intactis S. Mariæ Eccleſia, & clauſtro Clericorum. Rogerius multa de Hæreticis Albigenſibus hoc quoque anno refert, ad quos miſſi ſunt à Regibus Franciæ atque Angliæ Petrus Preſbyter Card. Apoſtolicæ Sedis Legatus, Bituricenſis & Narbonenſis Archiepiſcopi, Ioannes Pictauenſis Epiſcopus, Henricus Abbas Clarauallenſis, & alij, vt prædicatione ſua illos ad fidem conuerterent: electi quoque cum iis Raimundus Comes Toloſanus, Vicecomes de Torena, & Raimundus de Caſtronouo, vt Cardinali ſociiſque in fide Chriſti aſſiſterent, & hæreticos à finibus illis virtute potenti expellerent. Quid factum ſit non eſt quod diffuſiùs exponam aut referam epiſtolas dictorum Cardinalis, atque Abbatis, aut Alexandri Papæ ad Ioannem Regem Indorum. Eodem anno idem Auctor ſcribit. I. Vvillelmum Remenſem Archiepiſcopum veniſſe in Angliam ad B. Thomam Cantuarienſem Martyrem cauſa orationis.* II. à Papa miſſos Legatos per vniuerſum orbem Romanæ Eccleſiæ ſubditum ad inuitandum Eccleſiæ Prælatos, vt Romam venirent in Capite ieiunij anni ſequentis ad Concilium Generale celebrandum. *III. Richardum Ducem Aquitaniæ multa caſtella cepiſſe, quæ ipſe enumerat. Rogerius Laudunenſis Ep. pugnat aduerſus ſuos Diœceſanos pridie Nonas Martij in diebus Quadrageſimæ.* Philippus Comes obſidione caſtelli Harenc relictâ procinctum ſoluens circa diem Paſchalem, vt videret ſacrum ignem, Hieroſolymam remeauit; dein per Aſiam, Thraciam, Pannoniam, Saxoniámque rediit in Flandriam Octobri menſe, & à Brugenſibus monſtroſum piſcem captum piſcatorum induſtria, & ſale conditum accepit. De Eclipſibus Lunæ ac Solis diximus in

Chronico Technico. *Ex Gaufredo Vosiensi constat Guillermum filium Vulgrini sectorem ferri Comitem Engolismensem, qui cum Ademaro Vicecomite Lemouicensi, Oliuerio filio Gulferij senioris de Turribus, & aliis ascenderat Hierosolymam, obiisse 7. Idus Augusti apud Messanam Siciliæ vrbem, & 16. Octobris die Lunæ decessisse Petrum Abbatem Vosiensem.*

Anno Christi MCLXXIX. *Ludouici Iuuenis* 42. Alexander Papa celebrauit Romæ Concilium Generale in Lateranensi Ecclesia feria 2. tertiæ hebdomadæ Quadragesimæ, die 5. Martij Ind. 12. cui interfuerunt trecenti Episcopi, vt testatur, qui cum reliquis adfuit præsens Willelmus Tyri Archiepiscopus. Quid actum sit in illa Synodo ex variis auctoribus collegit Baronius. Ego ex Rogerio pauca pro more. *I. Vuillelmum Remensem Archiepiscopum factum fuisse Presbyterum Cardinalem ad titulum S. Sabinæ, & Henricum Abbatem Clareuallensem Card. Albanensem.* II. Definitum de Romano Pontifice eligendo, de modo proferendæ sententiæ à Prælatis in subditos, ac de aliis multis, vt de hæreticis, de Brabanzonibus, *&c. In eadem Synodo Præsulum pœnè totius Orbis à Garino Bituricensi Archiepiscopo consecratus est Sæbrandus in Episcopum Lemouicensem, teste Gaufredo Vosiensi. Manuel Imperator C P. misit ad Regem Francorum Legatos vt daret Agnetem filiam suam Alexio eius filio quod Rex concessit, cúmque ea duceretur, & hospitata esset apud S. Benedictum super Ligerim casu tota combusta est Abbatia. Gaufridus Dux Britanniæ à patre missus in Britanniam cum exercitu Guichomarum Leonensem Vicecomitem, filiosque eius subegit, omnia eorum castella in manu sua cepit, eiúsque frater Richardus Dux Aquitaniæ Tailleburgum munitissimum arte ac natura castellum Gaufredi de Rancone obsedit, cepit, diruit, cum castello de Pontibus, cuius dominus Gaufredo erat confœderatus. Is deinde cùm peruenisset in Angliam ad S. Thomam, atque vt videret patrem suum, quidam Basculi Nauarrenses ac Brebenzones venerunt ad vrbem Burdegalensem, ipsámque in suburbiis flammis ac rapina vastauerunt. Ludouicus Francorum Rex statuerat filium suum Philippum Remis coronare in festo Assumptæ ad cælum Virginis, congregatísque rebus omnibus ad tantum negotium necessariis Barones regni conuocauerat, cùm iuuenis coronandus obiter cum sui similibus in syluam venatum diuertit, amissísque sociis omnibus per vnam noctem in siluâ vagabundus permansit. Tandem inuento quodam homine, qui ad opus fabrorum carbones parabat, per eum ad socios suos reductus est. Ex solitudine*

litudine tamen & pauore in periculosissimum incidit morbum, vnde pater eius diuinâ reuelatione in somnis admonitus, vt deuotâ peregrinatione adiret B. Thomam Cantuariensem Martyrem, si vellet filium suum pristinæ restitui sanitati, missis Legatis ad Henricum Angliæ Regem, ab eo petiit licentiam & securitatem veniendi in Angliam ac redeundi, eáque impetratâ assumens secum Philippum Comitem Flandriæ, Balduinum Comitem Gisnensem, Henricum Louanienſem Ducem, aliósque, peruenit vsque Vvitsand, & inde transfretauit in Angliam, applicuit apud Doueram 11. Kalend. Septembris feria 4. & postridie in vigilia S. Bartolomæi ab Henrico Rege ductus est Cantuariam vsque ad tumbam sanctissimi Martyris. Quò cùm venisset Ludouicus Rex obtulit cuppam de auro pretiosissimam, & ad vsus Monachorum ibidem Deo seruientium centum modios vini in perpetuum singulis annis recipiendos apud Possiacum in Francia, & alia, quæ confirmauit diplomate, quod ipsi receperunt ab Hugone de Puteaco Cancellario filio Hugonis Dunelmensis Episcopi. Die autem Dominica seq. 7. Kal. Septembris rediit in Franciam, compertáque filij sui salute præcepit edicto, vt omnes Principes regni sui Ecclesiastici & seculares conuenirent Remos ad Kalendas Nouembres. Quibus congregatis Vvillelmus Remensis Archiepiscopus Philippum Ludouici, & Adelæ sororis suæ filium iam quintum decimum ætatis suæ annum agentem coronauit, & in Regem vnxit in Ecclesia Sedis Pontificalis die solemnitatis Omnium Sanctorum, ministrantibus ei in officio Turonensi, Bituricensi, & Senonensi Archiepiscopis, & ferè omnibus Episcopis regni. Henricus autem Rex Angliæ filius in progressione à thalamo vsque in Ecclesiam, inquit Rogerius, ipso die coronationis ibat ante ipsum gestans coronam auream de iure Ducatus Normanniæ, quâ prædictus Philippus coronandus erat, & Philippus Comes Flandriæ præibat ferens ante illum gladium regni. Alij verò Duces, Comites, & Barones præibant, & sequebantur, diuersi diuersis deputati obsequiis, prout res exigebat. Rex autem Ludouicus morbo laborans paralytico (neque enim senex admodum dicendus erat, qui, vt ostendimus in Chronico Technico, vix sexagesimum ætatis annum attigerat) coronationi filij interesse non potuit, cùm enim ex Anglia rediret, atque ad S. Dionysium iter arriperet, subitò percussus frigore incidit in paralysim, & vsum dextera partis corporis sui amisit. Sunt qui hac demum occasione velint Duodecim Franciæ Pares; sex Ecclesiasticos Episcopos Remensem, Laudunensem, & Lingonensem Duces; Catalaunensem, Beluacensem, & Noviomensem Comites totidémque Laicos Burgundiæ, Normanniæ, & Aquitaniæ Duces;

Toloſæ, Flandriæ & Campaniæ Comites inſtitutos: quâ de re Blondellus plura, & nos etiam alio in opere. Hic enim ab hiiſce controuerſus conſultò abſtinemus. Certè Colardus, qui Archiepiſcoporum Remenſium ſcripſit Hiſtoriam MS. diſertè tradit Ludouicum VII. præſcripſiſſe formulam Regum Franciæ Remis inaugurandorum, ſimúlque inſtituiſſe XII. Pares Franciæ, qui coronando Regi adſtarent. Ex Vvillelmo, quem Armoricum ſiue Britonem vulgo appellant, Rigordo Monacho ſancti Dionyſij, aliíſque temporum illorum ſcriptoribus diſcimus. I. Eodem ipſo anno, quo Philippus magnanimus coronatus eſt, Hebonem de Carentonio in pago Bituricenſi, Imbertum de Bello ioco in pago Lugdunenſi, & Comitem Cabilonenſem cœpiſſe Eccleſias opprimere, Clerum perſequi, immunitates euertere, ſed à Rege vix quindecenni congregato exercitu fuiſſe debellatos. II. Multos regni Principes, in quibus eminebat Stephanus Comes Sacri Cæſaris, ipſius Regis auunculus, frater Adelæ Reginæ, aduerſus eum conſpiraſſe, nec valentes reſiſtere magnitudini Regiæ depoſito faſtu victos in breui imperio Regis colla ſubmiſiſſe: quod initio ſequentis dumtaxat anni contigiſſe non ambigo, vt ex Rogerio Houedeno paullò poſt explicabitur. Obſeruat autem Anonymus Aquicinenſis I. Simonem Abbatem illius loci in reditu à Concilio, cui cum innumera pæne Abbatum multitudine interfucrat, Clareuallem diuertiſſe, & S. Bernardi reliquias obtinuiſſe. II. ſeq. Dominica poſt ſolemnitatem Omnium Sanctorum Vvillelmum Remenſem Archiep. conuocatis Epiſcopis totius Belgicæ ſecundæ in Concilio tractaſſe de rebus Eccleſiæ neceſſariis. III. à Schiſmaticis Antipapam de progenie illorum quos Frangipanes Romani vocant creatum atque Innocentium III. vocitatum, paullò pòſt ad pedes Papæ adductum in cauea perpetuò fuiſſe clauſum. IV. Chriſtianos tranſmarinos multis occiſis vel vulneratis munitionem Vadi Iacob perdidiſſe. *Addit Robertus S. Mariani Monachus Petrum Comeſtorem famoſiſſimum doctorem obiiſſe, qui teſtamento ſapienter diſpoſito, cuncta, quæ habuit, pauperibus & Eccleſiis prorſus diſtribuit. Subiungit vulgatum eius epitaphium.* Petrus eram, *&c.* Manuel Imp. C P. vindicauit ſe, inquit Robertus Abbas, de Solimanno Iconij, qui anno ſuperiori illum fugauerat, multíſque militibus captis etiam Crucem Dominicam ei abſtulerat. Literarum eius ad Fridericum Imp. quibus de victoria illa magnificè gloriatur, & munerum miſſorum, ac præcipuè ſmaragdini canthari ſextarium capientis meminit Albertus Crantzius.

Anno Christi MCLXXX. *Philippi Augusti, siue Adeodati à coronatione in Regem Francorum labente primo, iussu eius, 14. Kalendas Martij, siquidem in sabbato, capti sunt Iudæi per totam Franciam in Synagogis suis, atque auro, argento, vestibúsque exspoliati, quòd qui Parisiis morabantur Iudæi crederentur in opprobrium religionis Christianæ iugulare singulis annis in cryptis subterraneis Christianum vnum in die Cœnæ, aut alio quouis die Hebdomadæ quam pœnosam appellat, quem deinceps sequemur in pleríque, Rigordus Gothus, professione Physicus, & B. Dionysij Clericus Regis Francorum Chronographus, quamquam hic in primo Historiæ suæ limine grauiter impegerit, vt in Chronico Technico iam obseruatum est: sed satius est à Rogerio Houedeno initium ducere, cui tamen vt Francorum hosti non est certa in omnibus fides. Philippus Rex Francorum videns quòd pater suus morbo laboraret paralytico, adhæsit in omnibus consilio Philippi Comitis Flandriæ: cuius consilio omnes, quos nouerat patri suo familiares, spreuit, & odio habuit, matrémque suam adeò persequutus est, vt à dominatione sua expulerit, & Vuillelmum Remensem Archiepiscopum, Comitésque Theobaldum ac Stephanum auunculos suos grauiter vexauerit. Eorum prece Henricus Rex iunior transfretauit in Angliam, vt indicaret patri suo, quæ Philippus Rex in matrem, & auunculos moliretur per consilium Flandrensis Comitis: Cúmque vterque Rex transfretassent in Normanniam, ante Pascha venerunt ad eos in Normanniam Adela Regina, Comites Theobaldus & Stephanus, alíque viri nobiles. Ipse verò Philippus Rex post Pascha vxorem duxit Elisabetham, filiam Balduini Montensis siue Hannoniensis Comitis, & Margaritæ sororis prædicti Philippi Flandrensium Comitis. Celebratæ sunt Bapalmis hæ nuptiæ, inquit Anonymus Aquicinctinus, à Rogero Laudunensi Episcopo, vbi adfuerunt cum Comitibus Philippo & Balduino, Namurcensis, Claromontensis, Sueßionensis, Pontiuensis, & S. Paulli Comites. Dotis nomine data fuit occidua pars Flandriæ à Fossa noua versus Picardiæ fines, ex qua postea coaluit Comitatus Atrebatesij dictus, in quo præter Atrebatum continebantur, Audomaropolis, Aëria, Hesdinium, Bapalmæ, aliáque oppida, de quibus non est hîc proprius disputandi locus. Rogerus asserit datum fuisse in maritagio, vt eius verbis vtar, totam terram Veromanduorum vsque ad aquam de Lis. Idem Philippus Rex teste eodem Historico Angliæ statuerat quòd ipse, & vxor eius coronarentur die Pentecostes apud Senonensem ciuitatem: sed per consilium Comitis Flandriæ anticipauit terminum illum, & à Guidone Archiep. Senonensi eiúsque Suffraganeis ipso Ascensionis Dominicæ die 29. Maij in Eccleßa

S. Dionysij Martyris coronatus est. Quod cùm Vvillelmo Remensi Archiepiscopo constaret, indignatus est vehementer, & Alexandro summo Pontifici conquestus est de transgressione Senonensis Archiepiscopi, qui contra ius & dignitatem Remensis Ecclesiæ Regem Franciæ præsumpserat coronare. Vvillelmus Brito coronatum Regem, inunctam Reginam notat: Rigordus verò quamquam in designando tempore aberrarit, narrat I. coronationem illam susceptam fuisse ad suggestionem cuiusdam boni viri, qui zelum Dei videbatur habere. II. Flandrensem Comitem de more ensem ante Regem honorificè portasse. III. Quemdam militem de Officialibus Regis, cùm ad sedandum populi tumultum virgam huc & illuc in incertum iaceret, tres lampades super capita Regis ac Reginæ ante maius altare pendentes vno ictu fregisse, oleóque effuso vtriusque capita velut in signum plenitudinis donorum Spiritus sancti cælitus missum imbuisse. Addit Rogerus deinde Philippum Regem Franciæ, & Henricum Regem Angliæ conuenisse ad colloquium inter Gisortium & Triam, effectumque contra consilium Flandrensis Comitis, & Roberti Clementis, vt Rex depositâ omni erga matrem & auunculos suos indignatione in debitam eos familiaritatem receperit. Eodem anno Ludouicus Rex eius nominis VII. obiit 14. Kal. Octobris, feria 5. cùm regnasset post mortem patris sui annos 43. mensem vnum & dies 17. & sepultus est in cœnobio Cisterciensis ordinis secus Sequanam, quod olim Sacer portus, modo Barbellum dicitur. In Ecclesia illius loci B. Mariæ dicata super sepulturam ipsius Regis, inquit Rigordus, Adela Regina sepulcrum construi fecit miro artificio compositum ex lapidibus auro & argento, ære & gemmis subtilissimè decoratum. Successit ei PHILIPPVS *filius vnicus qui passim Adeodatus aut Augustus appellatur, & cum Henrico Rege Anglorum in eodem loco inter Gisortium ac Triam pacem, & concordiam fide, & sacramentis hinc inde confirmatam iniit. Verba ipsa leges, cùm volueris, apud Rogerum*, qui nonnullis de eiecto in exilium Frederici Imperatoris iussu Henrico Saxoniæ Duce, de rebus ad Imperium C P. spectantibus, de contentione Ioannis & Hugonis Episcoporum S. Andreæ in Scotia, atque epistolis Alexandri Papæ, aliisque præmissis, multa subiicit de legibus Anglicanis, quas promulgauit Henricus Rex, Ranulfi de Glanuilla, quem Iusticiarium summum totius Angliæ constituerat, sapientia conditas: addítque ὥσπερ ὀξὺ θερμέτερον Genealogiam Ducum Normanniæ à Rollone ad Ioannem qui fratri suo Ricardo successit anno 1199. *Robertus sancti Mariani Monachus enarrata vnctione Reginæ Elisabethæ, Regisque*

Philippus Augustus.

cum matre ſimultate, Ludouicum docet obiiſſe anno regni ſui 43. eúmque fuiſſe multa honeſtate laudabilem, erga religioſos quoſque beneuolum, erga ſubditos vnica vſum moderatione, ſuúmque tranquillè ſatis ac ſtrenuè regnum fouiſſe, ideóque ſub ipſo pace vigente tot nouas villas conditas, & veteres amplificatas, tot exciſa nemora & exculta, tam diuerſos Ordines diuerſis in locis multipliciter propagatos: tum ſubnectit I. Obiiſſe Guarinum Bituricenſem Archiepiſcopum, de quo nos anno ſequenti, Matthæum Trecenſem & Ioannem Carnotenſem Epiſcopos, quorum hîc S. Thomæ, cuius & ſocius extitit, paſſionem deſcripſit, & librum de Nugis Curialibus, &c. II. Diſſenſionem exortam inter Regem, & Guidonem Senonenſem Archiepiſcopum circa iuriſdictionem Eccleſiaſticam. III. Alpidem ſeu Alpaidem ruſticam puellam in villa territorij Senonici, Cudot dictâ, ſex leucis à metropoli diſtante, decem annis corporalis cibi ſubſidio non eguiſſe, reſupinam continuè iacuiſſe, præter caput, & dexteram, membris cæteris ſui vigore officij deſtitutis, &c. quæ Lector pius non ſine fructu conſulet. Audebertus Marchianus Comes vltimus migrauit è vita Conſtantinopoli in Decollatione S. Ioannis Baptiſtæ, & die Natalis Domini Lemouicis feſtiuè ſuſcipitur Ademarus Vicecomes ab Hieroſolymis regreſſus; Ainricus quoque Bleſienſis teſtator eleemoſynæ Comitis Audeberti perinde rediens obiit ſtatim feſto S. Valerici menſe Februarij, inquit Gaufridus Voſienſis. S. quoque Hildegardim Virginem, & Abbatiſſam Cœnobij Bingenſis Ordinis S. Benedicti in Diœceſi Moguntina annos 82. natam die 17. Septembris mortuam fuiſſe colligimus ex Aquicinctino Auctario, Trithemio, aliíſque. Fridericus Imp. contracto vndecúmque exercitu Henricum Saxoniæ Ducem, qui Regis Anglorum filiam habebat in coniugio, quòd in expeditione Italicâ ab ipſo Imp. ter commonitus venire noluiſſet, nec milites in eius auxilium direxiſſet, ciuitatibus eius oppidíſque deſtructis debellauit. Colonienſes ciues, qui & ipſi Imperatori in Italiam proficiſcenti aduerſi aliquantulum extiterant, audita clade Ducis Saxoniæ ſibi metuentes, ciuitatem ſuam vallo miræ latitudinis, & profunditatis munierunt, & Rheni fluminis aquas in circuitu vrbis circumduxerunt. Chriſtianus Archiep. Moguntinus Cancellarius Imperatoris dolo filij Marchionis de Monteferrato capitur, & paullo poſt non procul ab vrbe Roma moritur. *Henricus Comes Campanienſis, Theobaldi Senioris filius, è partibus tranſmarinis per Aſiam & Illyricum reuertens amiſſis facultatibus, comitibúſque ſuis*

vel captis vel interfectis magnum detrimentum passus est, & paullò post infra septem dies suæ reuersionis die 17. Martij sub vesperam huius vel seq. anni potiùs Trecis obiit, sepultus in Ecclesia S. Stephani eiusdem vrbis quam fundauerat anno 1173. cùm à nepote suo Rege Francorum, cæteríque regni optimatibus cum magno fauore fuisset exceptus. Ei successit filius Henricus II. qui in Palæstina postea decessit. Guillelmus defuncti frater Archiepiscopus Remensis hæreticos Fratricellos dici solitos in Flandria iussit comburi. Manuel Comnenus Ioannis filius Imp. C P. obiit Indict. 14. die 24. Septembris indutus habitu monastico, cùm regnasset annis 37. mensibus 5. & diebus 23. Alexius iunior eius filius annos 12. natus successit sub tutela matris, de quibus plura suggerent Nicetas, Cinnamus, Guillelmus Tyrius, qui hoc anno in Palæstinam rediit, Rogerus, aliíque: vox AIMA designauit Alexium, Ioannem, Manuelem, atque Alexium huncce ab Andronico tyranno post triennium è medio sublatum. Amalricus Patr. Hierosolymitanus decessit, succedente Heraclio Cæsarienſi Archiepiscopo. Quid decretum fuerit in Concilio Tarraconensi præside Berengario de Villamurorum Archiepiscopo de annis Dominicæ Incarnationis in chartis, & instrumentis Notariorum subrogandis in locum annorum Franciæ Regum, docuimus ex Tarapha in Chronico Technico, vbi etiam correximus mendum ex Appendice Roberti Abbatis de Monte, librariorum culpâ in Solarem Eclipsim inuectum. *Idem verò Abbas multa refert de diuitiis cuiusdam auari vxore, quæ Romam profecta est ex Aquitaniâ, multáque prædicebat,* quæ quidem strictim attingo, cùm in Annales suos omnia fusè transtulerit Baronius, quem etiam consule de Casimiro Poloniæ Rege statutas à se constitutiones in vtilitatem Ecclesiæ ac pauperum ab Alexandro Papâ confirmandas Romam mittente, de eiusdem Pontif. litteris ad vniuersos Christianos Principes populósque, & Catholicæ communionis Antistites, quibus eos hortabatur ad subsidium Orientalibus aduersus Saladinum procurandum, & de epist. Manuelis Imp. CP. ad eumdem Papam, qua securitatem *à Protonobilissimo Rege Francorum* petebat, mittíque cum exercitu postulabat Cardinalem, qui milites compesceret. Certè Saladinum ferunt hoc anno Hegiræ 576. transmisso Euphrate Mesopot. vrbes omnes vsque ad Nisibin sibi subiecisse, regni sui finibus mirum in modum dilatatis.

ANNO ÆRÆ CHRIST. MCLXXXI. *Philippi Adeodati 2. in Quadrageſima obiit Henricus Largus Trecenſis Comes, de quo anno ſuperiori, & paullò pòſt. Eius conſilio, inquit Anonymus Aquicinctinus, Philippus Rex Francorum, & Philippus Flandrenſium Comes ab Henrico Rege Anglorum ſollicitati, vt ſuper Fredericum Imperatorem propter Ducis Saxoniæ exhæredationem ſecum ducerent exercitum, à tali auertuntur facto. Idem poſt epitaphium Hugonis Cameracenſis quondam Decani exhibitum,* obſeruat I. Fred. Imp. omnibus pænè Ducis illius caſtellis ſibi ſubiugatis eum in quandam inſulam, quæ Brunſwich lingua Saxonica nuncupatur, fugere compuliſſe, & Henrici Anglorum Regis muneribus deſpectis aures clauſiſſe, ac Ducem victorioſis attritum prœliis ad deditionem tandem coëgiſſe. *II. Poſt feſtiuitatem Omnium Sanctorum inſtante hieme, quæ nimis exſtitit pluuioſa, Philippum Regem Francorum occaſione dotis vxori ſuæ promiſſæ cum Philippo Flandrorum Comite diſſenſiſſe, huius mali incentoribus, vt ferebatur, Comite Clarimontis, Rodulfo de Cociaco, & filiis Roberti Clementis Regiis Conſiliariis. Incendia & rapinas, Eccleſiarum expoliationes vſque ad Aduentum Domini graſſatas, tandémque appropinquante die Natiuitatis Dominicæ ſapientibus viris cum Rege tractantibus vſque ad octauas Epiphaniæ inducias datas. III. Gerardum Comitem de Gelrâ duxiſſe vxorem Idam filiam Matthæi, & Mariæ Comitiſſæ Bononienſis & breui poſtmodum fuiſſe mortuum. IV. In ipſis diebus Natiuitatis Dominicæ Fredericum Imp. nuncios cum epiſtola in Franciam direxiſſe, Regíque conſilium dediſſe, vt cum Comite faceret pacem: quodſi nollet facere, ſciret pro certo ſe Comiti Flandriæ auxilium laturum. De eodem ciuili inter Francos bello hæc Robertus S. Mariani Monachus: Philippus Comes Flandriæ, Odo Dux Burgundiæ, Guillelmus Remenſis Archiepiſcopus, Theobaldus Comes Blæſenſis, Stephanus Sacri Cæſaris mutuam ineuntes confœderationem vnanimiter conſpirant in Regem: turbatur proinde Francia, regnum concutitur, &c. Porrò Rex videns plurima ſe parte ſuorum deſtitui, gentem nefariam, quos Brebentiones vocant, in ſuum auxilium accerſiuit, cum quibus Stephani Comitis terram peruagatus abraſit, caſtra dilapidans, incendens villas, omniáque deprædans. Comes interim Flandriæ cum manu validá terram Regis peruadit. Poſthæc Dominico inſtante Natali paululum à bellis quieſcitur, datis inuicem induciis, & expeditionibus vtrimque ſolutis. Nec omittenda quæ præmiſit. I. Vuillelmum Antiſſiodorenſem Epiſcopum obiiſſe, necnon Henricum Comitem Campaniæ, quem*

ait dum de Hierosolymis per Asiam rediret à Turcis captum, sed ab Imperatore Græciæ liberatum. II. Philippum Regem Comitatum Niuernensem in suam redegisse ditionem. III. Apud Aurelianensem vrbem circa festum B. Laurentij die Dominicâ ex hostiâ inter manus Missam celebrantis Sacerdotis sanguinem profluxisse, Regémque ipsum, qui non longè tum aberat, ad hostiæ illius in formam carnis luuidæ apparentis spectaculum festiuum aduenisse. IV. In festo Omnium Sanctorum in Burgundia apud Castrum Carolum, dum loci illius Prior diuina mysteria conficeret, vnam eandémque hostiam, partim carnis, partim panis speciem repræsentasse, & similia, quæ breuitatis causa omitto. Id autem rectè admonet diuinitus tunc gestum fuisse ad confutationem perfidiæ Populicanorum, qui Cathari quoque, Paterini, aliísque nominibus designabantur, quorum hæresis execranda, quæ Christi abnegat Sacramenta, per id tempus clam pluribus in locis irrepserat, sed palam in Vvasconia maximè populos occuparat. V. Inter Imp. Alamanniæ Ducémque Saxoniæ post grauia vtrimque excidia pacem reformatam, tali pacto interueniente, vt Ducatum non recipere, nisi prius septennio exulasset. VI. Alexandrum III. Papam virum discretum multáque litteratura præditum obiisse die SS. Felicis & Adaucti Martyrum, auctoritate cuiusdam distichi tunc vulgati, licet triduo ante die 27. Augusti decessisse alij passim referant, postquam sedisset annis 21. mens. 11. & diebus 21. VII. Humbaudum Hostiensem Episcopum, virum mitissimum, sed Alexandro ipso Seniorem, patria Lucensem, in Papam electum fuisse, assumpto Lucij III. nomine. Is die 29. eiusdem electus, sequenti 30. Dominico coronatus est, vt legendum moneo in Chronico nostro Technico. *Vvillelmus Armoricus testis est Philippum Regem magnanimum Deo, & Christo in primitiuis operibus suis placere quærentem, prohibuisse, ne quis ludendo vel alio modo caput, ventrem, vel aliud membrum Dei iurare præsumeret blasphemando, & quia Iudæos odio habebat omnes debitores eorum à debitis absoluisse quinta parte totius summæ fisco detenta. Ex Rogerio verò discimus I. Regem Francorum Comitémque Flandriæ exemplo Regis Angliæ præcepisse, vt subditi sui arma sibi pararent. II. Post Purificationem B. Mariæ Laurentium Archiepiscopum Dublinensem venisse in Normanniam cum filio Roderici Regis Conactensis, & paullò post decessisse apud Aucum, ibidémque sepultum fuisse.* III. Papam districtius in mandatis dedisse Richardo Cantuariensi Archiepiscopo, vt omni excusatione

postpositâ

postpositâ Gaufridum Regis Angliæ filium nothum (errant enim qui cum Baronio, & quibusdam aliis secundo imò quarto genitum Angliæ Regis filium Gaufredum Comitem Britanniæ, qui numquam patris sui Cancellarius fuit, hoc loco comminiscuntur) Ecclesiasticâ censurâ compelleret electioni suæ renunciare, vel sine dilatione ordinem sacerdotij, & Pontificalis officij dignitatem recipere. Gaufredum verò considerantem se tantæ administrationi minimè posse sufficere, maluisse Episcopatui nuncium remittere, quàm onus importabile sibi imponere, & à patre Cancellariam ac 500 marcarum redditum in Anglia, & totidem in Normanniâ accepisse. IV. Saladinum Babyloniæ Regem magno congregato exercitu terram Hierosolymitanam deuastasse, cùm Balduinus Rex leprâ percussus resistere non valeret. *V. Henricum Angliæ Regem in solemnitate Paschali fuisse apud Cainonem, & post Pascha rediisse in Normanniam, & colloquium habuisse cum Rege Franciæ ad Vadum S. Remigij 5. Kal. Maij, feria 2. ibique Templares, & Hospitalares obtulisse prædictis Regibus litteras Alexandri Papæ datas Tusculani 17. Kal. Februarij. VI. Arnulfum Lexouiensem Episcopum relictâ sede sua propter odium Angliæ Regis, collectis undique auro atque argento, Parisios venisse, & ibi in Ecclesia S. Victoris vsque ad obitum suum permansisse. VII. Pace Gisorty inter Regem Franciæ, & Comitem Flandriæ constitutâ, Regem Angliæ ad Cheresburgum venisse, indéque transfretasse in Angliam 7. Kal. Augusti die Dominica, & Vvillelmum Regem Scotorum cum eo. VIII. Vvillelmum Remensem Archiepiscopum peregrinationem in Angliam suscepisse ad B. Thomam Cantuariensem Martyrem.* IX. Rogerum Archiep. Eboracensem thesauris suis in pauperes distributis 10. Kal. Decembris, die sabbati migrasse à sæculo, *&c. X. Denique, quod alij eiusdem temporis scriptores tacuerunt, ideo exortum bellum inter Francorum Regem, atque Flandrenses, quòd cùm Comes Stephanus Sacrisæsarienses occupasset terram cuiusdam vicini sui, & deuenisset inde homo Philippi Comitis Flandriæ, Philippus Rex eam sibi vindicasset, nec reddere voluisset. Obiit Guarinus de Girardo Bituricensis Archiepiscopus, qui fuerat Pontiniacensis Abbas die 16. Kalend. Aprilis. De eo pauca Robertus de Monte, cuius rationes in multis fuerunt hactenus perturbatæ, cùm mortem Ludouici Regis in hunc annum differat, eámque post obitum prædicti Guarini accidisse narret, & in quampluribus aliis à rectâ temporum distributione aberret, ideóque nullam aut certè*

exiguam illius Chronicæ Appendicis in posterum habebimus rationem. Boamundus iunior Princeps Antiochenus pulsâ Theodorâ legitimâ vxore nepote CP. Imperatoris, vel vt alij dicunt, Balduini Regis sorore, pellicem duxit in coniugem, & ab Antiocheno atque Hierosolymitano Patriarchis anathemate vinctus in Clericos insurrexit, eósq; iniuriis omnibus, incommodísque affecit, vt pluribus narrat Guillelmus Tyrius, qui de morte Noradini filij, Saladino, ac Balduino, multa alia refert per otium à Lectoribus consulenda: mihi quippe res Galliæ vicinarúmque præcipuè ditionum sedulò perscrutanti sufficiet aduertisse ex Chronico S. Victoris Massilienſis ad Cyclos Paschales pag. 341. Tomi primi Nouæ Bibliothecæ MSS. Codicum, *Raymundum Berengarij Comitem & Marchionem Prouinciæ fratrem Alfonsi Aragonensis Regis Comitísque Barcinonensis virum nobilem, strenuum, omnibúsque amabilem à proditoribus in die festo Paschæ interfectum fuisse; cui Anonymo consentiens Gaufridus Vosiensis hæc habet: Die ipso Paschæ Nonas Aprilis à militibus Ademari filij Sichardi de Marueil non longè à Montepistorio occiditur, Comes Prouinciæ vnà cum Guidone de Seueyrac, quapropter magna exercuit mala Adelfonsus Rex Aragonensis frater defuncti: addítque I. Dominica post Rogationes 16. Kal. Iunij, à Saibrando Lemouicensi Ep. eleuatum à proprio mausoleo B. Aredij corpus. II. Eundem Pontificem primam in sua vrbe Synodum tenuisse hebdomada magna Pentecostes. III. In Natali S. Ioannis Bapt. Richardum Pictauensem Comitem populo Lemouicensi mandasse, vt suos euerteret muros, quod protinus adimpletum est. IV. Vulgrinum Comitem Engolismensem decessisse à morte patris biennio nondum expleto, relictâ filiâ vnicâ. V. Henricum Albanensem Ep. cum multo exercitu perrexisse aduersus Albigenses hæreticos, &c. quæ Tomo II. Bibliothecæ nostræ Lectoribus offeremus.*

Anno Christi MCLXXXII. *Philippi Augusti 3. post octauas Epiphaniæ induciis finitis milites plures numerò quàm priùs armantur: rapinæ, cædes, incendia perpetrantur. In Regis procinctu, inquit Auctor Aquicinctinus, isti erant signiferi Henricus Rex Anglorum iunior, Richardus frater eius Dux Aquitanus, Comes Clarimontis, & Radulfus de Cociaco: Comiti verò Flandriæ aderant Balduinus Comes Haginoënsis, Hugo Comes de S. Paulo, Iacobus de Auesnis, Hugo de Oysiaco Castellanus Cameracensis. Instantibus Quadragesimæ diebus iterum induciæ vsque in Pascha obtinentur. Philippus Comes Dominica III. Quadragesimæ ad colloquium Henrici Regis iuuenis filij Frede-*

rici Imperatoris Leodium venit, séque iniustè conquestus est à Domino suo Francorum Rege vexari. Elisabeth eiusdem Comitis vxor Flandrensium & Veromandorum Comitissa die sancto Paraſceues defuncta sequenti die adstante viro suo cum magnis plurimorum lacrymis in Ecclesia Deiparæ Atrebati est tumulata. Post Pascha Henricus Rex Anglorum senior mari transito in Normanniam venit. Dux autem Burgundiæ, & Comitissa Campaniæ Maria soror ipsius Regis Comiti associati debellabant Regem: Guillelmus verò Remensis Archiep. & Theobaldus Blesensium Comes reformandæ paci intendebant, quæ tandem mediante Henrico Albanensi Ep. Apostolicæ Sedis Legato inter Crisseium, & ciuitatem Siluanectensem firmata est. Idem Anonymus testatur I. Templarios & transmarinos milites sæpenumero nuntios transmisisse ad Reges Francorum atque Anglorum obsecrantes, vt quoniam Rex morbo graui laborans regni fastigia fastidiret, ipsi regnum Hierosolymitanum ordinarent, & de corona regni suum velle facerent. II. Ad solemnitatem Pentecostes, quam Fredericus Imp. Moguntiæ celebrauit Philippum Flandriæ Comitem cum suis Baronibus adfuisse: ibique Henricum Saxoniæ Ducem qui in exilium electus ad socerum suum Angliæ Regem cum vxore sua se contulerat, quosdam terræ suæ redditus consensu Imperatoris ad sui exilij sustentationem habere permissum. III. Mauricium Parisiensem & Henricum Siluanectensem Antistites multis virtutibus enituisse. IV. Hæreticos quatuor in Atrebatensi ciuitate deprehensos à Frumaldo Episcopo paralysi laborante ad iudicium Archiepiscopi reseruatos. V. Mariam filiam Stephani Regis Anglorum, & Bononiensem Comitissam tertio decimo anno, postquam resumpserat habitum sanctimonialium, apud Monasteriolum mortuam ac sepultam. Garmundus quartus Abbas Pontiniacensis frater Roberti Clementis, qui Regem à primâ ætate nutrierat, & Ægidij, qui in regni administratione successerat à Rege præ cæteris in curia sublimatus, cùm à quibusdam Antisiodorensibus Canonicis electus fuisset in Episcopum, & quidam contradicerent, Romam profectus grassante illic maxima mortalitate mortuus est, vt obseruat Robertus S. Mariani Monachus, qui de turbis C P. quædam subiungit, quæ tutiùs ex Niceta repetas. Henricus iunior Angliæ Rex ad Philippum Franciæ Regem cum vxore suâ profectus, inquit Rogerus, mala omnia machinabatur in patris sui perniciem contra fidem & sacramenta, quæ illi sæpiùs fecerat de fidelitate seruanda, petens ab eo totam Normanniam, vel aliquam aliam terrarum suarum, in qua ipse & vxor sua morarentur, & vnde ipse militibus obsequia soluere posset. Verùm ille paullò pòst ad patrem rediit, qui

colloquio cum Rege Francorum, & Flandrensium Comite habito vtrumque ad concordiam reuocauit, iis legibus. I. Vt terra, vnde Comes Flandriæ sibi restitutionem fieri petebat, redderetur Militi, qui eam amiserat. II. Vt Comes Flandriæ restauraret Regi Franciæ damnum, quod ipse & sui fecerant in Francia. III. Vt quietum clamaret seruitium Comitis de Claromonte. IV. Vt redderet Ambianum, totámque terram vsque ad Lisam post decessum suum cum nepte sua filia Comitis Hannonienſis. V. Fateretur Peronam pignori quondam obligatam 60. librarum argenti millibus redimi posse à Rege Franciæ. Narrat deinde idem auctor solutum fuisse à Lucio Papa Willelmum Scotiæ Regem ab excommunicatione, Henricum Ducem Saxoniæ exulem peregrè profectum fuisse ad S. Iacobum, relictâ vxore apud patrem; quæ Argentonij peperit filium, Regémque illum Henricum mõrte filiorum Henrici atque Galfredi, qui cum patre natiuitatem Domini in Normannia apud Cadomum celebrarant, tandem punitum, quòd cùm Publicani hæretici in pluribus locis Franciæ comburerentur, idem Rex nullo modo id permisisset fieri in terris suis, in quibus erant perplurimi. S. Franciscus Ordinis Minorum institutor hoc anno Assisij in Vmbria natus perhibetur ex Abbate Stadensi, aliísque. *Initio Quadragesimæ Henricus Legatus celebrauit Lemouicæ Concilium Abbatum ac Præsulum Aquitaniæ, ex Gaufrido Vosiensi qui postquam obseruauit Paschalem solemnitatem designatam fuisse 5. Kal. Aprilis, subdit I. tumulato Petro Pontifice Petragorico in Ecclesia Cathedrali Dominica qua cantatur Misericordia Domini, quæ euenit 3. Idus Aprilis, ipsa feria tertia Ricardum Podium S. Frontonis expugnasse quòd Helias Taleyrandus inimicis suis faueret. II. Henricum Legatum feria 4. Pentecostes altare S. Mariæ Parisiis consecrasse vnà cum Mauricio Præsule. III. Henricum Regem Angliæ senicrem in Lemouicensem Diœcesim venisse, ac pacem inter Richardum filium, & Heliam Petragoricum Ademarúmque Lemouicensem composuisse. IV. Grassante in Italia pestilentia Kal. Augusti electum Bituricensem Archiepiscopum apud Ostiam præsente Papa Lucio obiisse, & in cœnobio quod dicitur Fossanoua tumulatum fuisse, vt cætera silentio premam suo tempore postea omnibus propalanda Tomo II. Nouæ Bibliothecæ. Rigordus & Villelmus Armoricus testantur mense Aprili à Philippo Franciæ Rege propositum fuisse edictum, quo Iudæi omnes iubebantur regno exire ante festum B. Ioannis Baptistæ, venditâ intra tempus illud omni sua supellectili, ac reseruatis sibi suisque successoribus*

Regibus Franciæ bonis immobilibus. In eorum verò Synagogis Ecclesiæ, vbique per ciuitates, & castella ædificari cœptæ, Aurelianis, Stampis, &c. De Maronitis coram Aimerico Patriarcha Antiocheno hoc tempore ad Christiana sacra ex Monothelitarum hæresi conuersis, plura dabit Willelmus Tyrius, atque ex eo Baronius, qui etiam de Canonum elaboratissima collectione à Laborante S. R. E. Cardinali facta nonnulla adtexit. Saladinus Berytum terra maríque frustra obsidet, solutáque obsidione in Persidem abit, multásque ciuitates capit, Balduino interim Damascenum regnum præsidio vacuum depopulante, vt idem Tyrius memorat.

Anno Christi MCLXXXIII. *Philippi Augusti* 4. *Henricus Angliæ Rex præcepit Henrico filio Regi accipere homagium, inquit Rogerius Houedenus, à Richardo Comite Pictauiæ, & à Gaufrido Comite Britanniæ fratribus suis. Qui obediens patri recepit homagium Gaufridi, cúmque illud à Richardo exigeret, primò quidem renuit, sed cùm postea præstare illud vellet, noluit Henricus recipere, vnde plurimùm indignatus Richardus recessit à Curiâ patris sui, veniénsque in Pictauiam castella noua firmauit ac vetera communiuit. Rex autem frater eius per mandatum Comitum Baronúmque Aquitaniæ secutus est eum. Gaufridus quoque Henrico fratri adhæsit. Quod cùm vidisset Richardus fratribus suis impar, à patre postulauit auxilium, qui magno congregato exercitu festinanter aduenit, obsedítque castrum Lemouicense, quod paullo ante traditum fuerat Regi filio suo. Aliam quoque discordiæ causam paullo post idem Auctor fusiùs exequitur, & singula quæque belli illius momenta denarrat, quæ nos quoque Tomo II. Nouæ Bibliothecæ ex Chronico Gaufridi Vosiensis vulgabimus, paucis pro more ex ingenti silua duntaxat delibatis. Cùm Ricardus Archiepiscopus Cantuariensis, & plures Episcopi Normanniæ Cadomi congregati cum Abbatibus, & Clero in monasterio B. Stephani solemniter in communi plebis audientia sententiam excommunicationis tulissent in omnes, qui pacem & concordiam inter Regem filiósque suos faciendam impedirent, excepta solius Regis filij persona, ipse deficiente sibi pecunia perrexit ad S. Mariam de Rupe Amatoris, sanctíque illius viri feretrum decorticauit, & thesauros Ecclesiæ asportauit: dein paucis elapsis diebus, cùm vidisset se non posse multùm nocere patri suo ex indignatione, & animi rancore in grauem incidit morbum in oppido Martel non longè à ciuitate Lemouicensi, vocatóque frustra patre, qui illius metuens insidias accedere noluit, coram Episcopo & viris religiosis, qui aderant, pri-*

mùm secretò, deinde coram omnibus sua peccata confessus, pœnitentiam, & absolutionem accepit, tradiditque Vvillelmo Marescallo familiari suo Crucem suam Hierosolymam deferendam. Deinde depositis mollioribus indumentis cilicium induit, & ligato fune in collo suo dixit Episcopis, & cæteris viris religiosis circumstantibus: Trado me peccatorem indignum culpabilem, & obnoxium per funem istum vobis Ministris Dei, postulans vt D.N.I.C. qui latroni confitenti in Cruce peccata dimisit, per preces vestras & per suam ineffabilem misericordiam misereatur infelicissimæ animæ meæ: & respondérunt omnes, Amen. Et ipse ait illis: Trahite me à lecto isto per hunc funem, & imponite lecto illi cinereo, quem sibi præparauerat, & fecerunt sicut ipse præcepit illis, & apposuerunt capiti, & pedibus eius duos lapides magnos quadratos, & omnibus ritè peractis, præcepit corpus suum deferri in Normanniam vsque Rotomagum, & ibidem sepeliri. Postremò ipse sacrosancti Corporis & Sanguinis Christi Viatico munitus in timore Domini emisit spiritum. Quod cùm nunciatum Patri esset, lacrymatus corruit in terram, & filium suum vehementer planxit: serui verò defuncti corpus multo sale aspersum, extractis cerebro & visceribus, ibidémque apud Martellum sepultis, plumbo & taurinis coriis inuoluerunt, vt Rotomagum deferrent, cùmque venissent in ciuitatem Cenomanorum, & in Ecclesia B. Iuliani circa illud cum hymnis, & psalmis pernoctassent, & manè voluissent recedere, Episcopus & clerus vnà cum plebe non permiserunt corpus asportari, sed sepelierunt illud honorificè in eadem Ecclesia. Quod cùm audisset Rex pater, præcepit, vt postulantibus Rotomagensibus traderetur, effossúmque secum detulerunt illud in ciuitatem suam, & in Ecclesia B. Mariæ Virginis sepelierunt. Interim Regi redditum fuit castrum Lemouicense cum vrbe, aliáque inimicorum eius castella, cúmque reuersus in Normanniam fuisset, colloquio cum Rege Francorum Philippo habito inter Gisortium, & Triam conuentum est, quòd Margarita soror Regis Franciæ 1750. libras Andegauensis monetæ singulis annis reciperet Parisiis à Rege Angliæ, ciúsque hæredibus, quandiu illa viueret. Gaufridus Britanniæ Comes rediit ad patrem, pacémque cum illo, & cum Richardo fratre suo fecit. Is verò Richardus præcipienti patri, vt Ioannis fratris sui homagium de Pictauia reciperet, obtemperare noluit. Addit alia quoque Rogerus idem à nobis obiter decurrenda. I. Philippum Comitem Flandriæ duxisse in vxorem sororem Sancti Regis Portugalliæ, quas tamen nuptias in sequentem annum differunt monumenta Aquicinctina. II. Vualterum de Constantiis Episcopatu Lincolniensi relicto factum Archiep. Ro-

tomagenſem à Lucio Papa pallium accepiſſe. III. Papam eundem acceptâ à Principibus Chriſtianis ingenti pecuniâ pacem iniiſſe cum Romanis ſibi & Eccleſiæ neceſſariam : Illi enim ejecto vrbe Papâ etiam Chriſtianum Moguntinum Archiepiſcopum Friderici Imp. Cancellarium auxilio venientem, & pluſquam mille homines ex eius exercitu necauerant, cùm ex fonte nitidiſſimæ aquæ ab illis veneno infecto bibiſſent. IV. Gilbertum ſummum Magiſtrum domus Hoſpitalis Ieruſalem cùm transfretare vellet in Angliam conſcenſa naue apud Diam in Normannia cum multis aliis ſubuerſum fuiſſe 13. Kal. Octobris. *V. Henricum Regem Angliæ in colloquio inter Giſortium, & Triam habito die S. Nicolai deueniſſe hominem Philippi Regis Franciæ de omnibus terris ſuis ciſmarinis, cui numquam ante tempus illud homagium facere voluerat : eundémque apud Cenomanos celebraſſe Natalem Domini, qui die Dominica euenit. Gaufridus Prior Voſienſis, qui præſens intererat, inter cætera refert. I. Aduerſus Ricardum Pictauiæ Comitem coniuraſſe Henricum Regem iuniorem, Gaufredum Britanniæ Comitem, filios Vvlgrini Comitis Engoliſmenſis, Ademarum Lemouicenſem, & Raymundum Torenenſem Vicecomites, alióſque. II. Regem Philippum ſororio ſuo Anglorum Regi iuniori milites miſiſſe, qui ſe Palearios vocabant, Nobiliaci plurimos interemiſſe, Brantomenſe monaſterium cum burgo inuaſiſſe 4. Kal. Martij die ſabbati ante Quinquageſimam, in qua cantatur Miſſa Eſto mihi, &c. III. Henricum iuniorem theſauros cœnobiorum S. Martialis, Grandimontenſis, Coronæ, aliorúmque corraſiſſe. IV. Ad eum veniſſe Ducem Burgundiæ, & Comitem Toloſanum in Aſcenſione Dominica apud Vſerchiam. V. Poſt Pentecoſtem ægrum Regem apud Martellum Geraldo Cadurcenſi Epiſcopo fuiſſe confeſſum, & viuificis perceptis myſteriis oleo infirmorum vnctum. VI. Inſtante feſto S. Barnabæ Apoſtoli* 11. *Iunij hora decima ſabbati magnæ hebdomadæ Pentecoſtes Luna* 12. *præſente Bertranno Epiſcopo Agennenſi, multiſque aliis religioſis viris, animam exhalaſſe, & poſtridie per Briuam deportatum fuiſſe ad Vſerchienſe cœnobium, tum ad Grandimontenſe, vbi celebratis exequiis, & ventre, oculis, cerebróque ibi ſepultis, corpus aromatibus conditum eſt, & inuolutum linteo candido, deinde corio forti cinctum Cenomanos, tandémque Rotomagum delatum eſt, vnà cum cadauere adoleſcentis familiaris illius, qui poſt eiuſdem obitum cibum nec potum ſumpſit, cùm eſſet ſanus, donec deficeret. Subiungit idem Auctor I. vaſtatores terrarum Palearios (Coterellos vocant S. Antoninus Archiep. Florentinus*

Tomo II. tit. 17. §. 17. ex quo dumtaxat nutuatus est quæ in Annales congessit Baronius, eóque longè antiquiores Rigordus, & Vuillelmus Brito in rebus gestis Philippi Augusti) in Bituricensem pagum arctatos, deuictos, occisósque ad 10525. fuisse à militibus qui Paciferi appellabantur, Ebone de Carantonio, aliísque apud Castellum Dunum 3. Kal. Augusti, Cunbaranum quoque & Raymundum Brunum impiam vitam laqueo, & gladio finiuisse. II. In die Assumptionis Beatæ Virginis apud Podium institutum de pace reformanda fœdus, de quo paullò pòst dicemus. III. Epistolam ab Henrico filio scriptam ante obitum sigillóque suo, & annulo signatam patri fuisse oblatam. IV. Bituricensem Archiepiscopum Henricum fratrem Gilonis de Soliaco electum die 7. Kal. Octobris, in Presbyterum fuisse ordinatum, & in festo S. Cleophæ Apostoli Patriarcham consecratum à Guillelmo Burdegalensi Archiepiscopo, Sebrando Lemouicensi, aliísque Comprouincialibus Episcopis, cùm sedes vacasset annis ferè 3. & mensibus 7. & duo quidem electi fuissent, sed neuter consecratus. V. Ioannem Pictauensem Episcopum ad sedem Lugdunensem euectum fuisse, alióque. VI. Die 7. ab ordinatione Archiepiscopi Bituricensis Merchaderum Principem perditorum terram Archambaldi Cambornensis deuastasse, Pompedorum obsedisse. &c. VII. In linteo altaris plurimas Cruces per aliquot dies apparuisse. Robertus S. Monachi apud Antissiodorum Monachus eodem quoque tempore viuens, scripsit, I. quamdam pacis nouitatem apud Anicium vrbem exortam per quendam genere humilem, qui dicebat se diuinitus admonitum, vt populum hortaretur ad pacem, multísque sibi adiunctis, qui Matris Domini signaculum in pacis signum gerebant, impios deiectis castris deleuisse, ac regionem illam diu iam à latronibus circumquaque corrosam tutam quietámque effecisse. Durandum vocat Rigordus eum, cui schedula à Domino tradita est, multáque alia memorat, quæ Lector per otium consulere poterit de dissensione inter Regem Aragonum, & Raymundum Comitem S. Ægidij, aliísque. II. Aruerniæ proceres in mutua pacis fœdera coniurasse, & nefandam Brabancionum cohortem rapinis cædibus iam per multos annos inhiantem aggressos esse, cúmque ex eis tria circiter millia trucidassent, nullum ex suis prostratum vel saucium reperisse. III. Hugonem Thesaurarium Antissiodori creatum Episcopum. IV. Hugonem Ducem Burgundiæ & Castri Vergiacensis dominum, cuius gener erat Garnerius Triennensis, mutuis se cladibus effecisse. V. Inter Romanos & Lucium Papam exorta dissensione hunc ex vrbe proturbatum, multísque iniuriis lacessitum, Veronam se contulisse. VI. Saladinum partes Hieroso-

Hierosolymorum irrupisse, loca pleráque profligasse ac diruisse, nec longè post repulsum abscessisse. Quæ verò de Alexio Græcorum Imperatore circa mensem Octobrem ab Andronico tyranno exauctorato, occisóque cum pluribus Francis ac Latinis, atque inter eos Ioanne sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiacono, idem Auctor, Gaufredus, Robertus, aliique memorant, tutiùs repetas velim ex Niceta Choniata, & Willelmo Tyri Archiepiscopo, ex quo etiam disces quæ ad Halapiam à Saladino captam die 5. Iunij, & ad Balduinum puerum quinquennem à patre Balduino Leproso Regem creatum die 20. Nouembris, sub tutela & administratione Comitis Ascalonensis spectant; iis enim omissis, nonnulla libet obseruare ex Auctario Aquicinctino. *I. Vvillelmum Remensem Archiepiscopum, & Philippum Flandriæ Comitem in ciuitate Atrebatensi multos hæreticos detexisse, statutúmque vt deprehensi incendio traderentur. II. Obiisse Frumaldum Episcopum Atrebatensem, cúmque Ecclesia anno vacasset integro electum Petrum Cisterciensem Abbatem. III. Bernardum pœnitentem in Monasterio sancti Bertini decessisse, eiúsque vitam à Ioanne postea eiusdem cœnobij Abbate scriptam. IV. Idam Bononiæ Comitissam Bertoldo Duci Zaringensi nupsisse: quibus, vt ad res nostras propius veniamus, ex Rigordo & Vvillelmo placet adiungere, I. Regem Philippum qui per ciuitates & castella ædificari iusserat Ecclesias in locis, in quibus fuerant Iudæorum Synagogæ, à Leprosis extra ciuitatem Parisiensem habitantibus sibi suíque successoribus emisse nundinas, & in forum vrbis, quod Campelli vocatur, transtulisse. II. Nemus Vicenarum muro optimo circumcingi fecisse, ibique maximam multitudinem caprearum, damarum, ceruorúmque inclusisse.*

Anno Christi MCLXXXIV. *Philippi Augusti 5. labente Gaufridus Prior Vosiensis scribebat Chronicon siue historiam à tempore Roberti Regis, vt patet, tum ex capitibus 22. ac postremo, vbi Bissexti meminit, tum ex Prologo, in quo asserit, dum librum hunc terminaret, obiisse Gulferium de Turribus apud Vosias 5. Idus Aprilis, feria 2. die 9. à Paschali solemnitate, qui characteres literam Dominicalem G. & Pascha Kal. Aprilis denotant. Cùm Philippus vxorem suam Elisabetham vellet dimittere, illa ad Deum conuersa tantam erga Dei genitricem in ciuitate Siluanectensi deuotionem exhibuit, vt Rex eiúsque optimates compassi, & pœnitentia ducti, ab incepto destiterint. Hanc ob causam, sed maximè, quòd Philippus Flandriæ Comes reddere nollet Ve-*

romandensem prouinciam, inter illum ac Regem ortâ dissensione Comes cum exercitu cremando, & deprædando venit in Franciam ferè vsque ad Siluanectensem ciuitatem, obsedítque Bestisiacum; sed accurrente Rege statim recessit, & obsedit Corbeiam, quam eodem quoque auxilium ferente dimittere coactus est. Induciis deinde opera Henrici Angliæ Regis à festo S. Ioannis vsque in annum protelatis, in quibus Balduini Hainoënsis indignante Flandrensi cum aliis à Rege habita ratio est, à bello cessatum est. Augusto mense idem Flandriæ Comes secundam duxit vxorem filiam Adelfonsi Portugallensis Regis Mathildem, quam quidam Tarasiam vocant, dein Nouembri mense terram Balduini Hainoënsis rapinis incendiisque demolitus est. Petrus Abbas Cisterciensis consecratur Episc. Atrebatensis Veronæ in Ecclesia S. Zenonis per Guillelmum Remensem Arch. Hugo Burgundiæ Dux obsidebat Vergiacum, cúmque à Rege Philippo admonitus obsidionem dimittere nollet, Rex collecto exercitu ad supplicationem Guidonis Domini, eiusdem castri accessit, & Ducem fugauit, obsedítque Castellionem super Sequanam quod castrum per vim cepit, coëgítque Ducem Ecclesiis, & clero restituere 30000. libras secundùm quod damna ab eo illata æstimata fuerunt. Idem Rex conuocatis primariæ Ciuitatis Burgensibus, & Præposito, regia auctoritate præcepit, vt omnes vici ac viæ Parisienses duris, & fortibus lapidibus sternerentur: alij in annum sequentem differunt. Secta eorum, quos Capuciatos vocabant, quæ superiore anno apud Anicium cœperat, & per Franciam propagabatur, tandem, quòd ij subiectionem insolenter negarent, Principum contradictione deleta est, inquit Monachus S. Mariani, ex quo etiam discimus I. Benedictum Auenionensis pontis auctorem sanctæ admodum vitæ iuuenem obiisse, sepultúmque fuisse super pontem illum mirificum, magna iam ex parte constructum, ab eiusdem fundatione annis circiter septem iam decursis. II. Philippum Regem Guidonis Comitis Niuernensis filiam Petro Cortiniacensi patrueli suo tradidisse in coniugem, & Comitatum, quem iam triennio tenuerat, libera concessione eis resignasse. III. In vigilia S. Ioannis Senonensem vrbem pænè totam cum matre Ecclesia stupenda conflagratione detritam. IV. Heraclium Patriarcham Hierosolymitanum cum Magistris Templariorum, & Hospitalium mare transisse, defunctóque Templi Magistro post Papæ colloquium, trans Alpes venisse, vt opem poscerent. Anno demum sequenti Lutetiam Parisiorum fuisse ingressus arbitror 17. Kalendas Februarij, & solemni processione à Mauricio Episcopo clero populóque exceptos, vt ex Rigordo constat, deinde transisse in Angliam vna cum vexillo regio, & clauibus sepulcri Domini, & Tur-

ris Dauid, & ciuitatis Ieruſalem, poſtulantes ab eo celebrem ſuccurſum ſicut ab hærede, & domino terræ Ieruſalem, nepote ſcilicet Fulconis, qui fuit, non frater, vt mendosè hactenus editum eſt apud Rogerium, Baronium, ſimiléſque, ſed pater Gaufredi Comitis Andegauiæ. Obtulerunt quoque in eamdem rem literas Lucij Papæ, quas idem Auctor recitat, additque Dominica prima Quadrageſimæ apud Londonias Henricum reſpondiſſe, quod conſuleret inde dominum ſuum Philippum Regem Franciæ, & dediſſe vniuerſis hominibus ſuis licentiam capiendi Crucem. Guillelmus Tyri Archiepiſcopus celeberrimam de Bello ſacro Hiſtoriam ad hunc vſque annum deduxit, & in Occidentem deinde Legatus ad Reges Principéſque profectus eſt. Richardus Cantuarienſis Archiepiſcopus, obiit 14. Kalendas Martij, cui antequam inciperet ægrotare, apparuit Dominus in viſione, dicens: Tu diſſipaſti bona Eccleſiæ meæ, & ego diſſipabo te de terra, quâ viſione plurimum perterritus ſtatim in morbum incidit, & octaua die ſequenti obiit. Henricus Angliæ Rex factâ pace inter Franciæ Regem, & Flandriæ Comitem de Veromandenſi Comitatu per mediam Flandriam tranſiit, & in Angliam transfretauit, apud Doueram applicuit 4. Idus Iunij cum Ducissa Saxoniæ filia ſua. Theobaldus Blæſenſis Comes peregrinationem eodem anno ſuſcepit ad S. Thomam Cantuarienſem. Balduinus Vigornienſis Epiſcopus electus eſt in Archiep. Cantuarienſem, & Rex Angliæ Henricus firmauit concordiam inter Richardum, Gaufridum, & Ioannem filios ſuos, coram Alienorde Reginâ matre eorum, Henrico Duce Saxoniæ, & aliis multis. Reuerſi ex Anglia Colonienſis Archiepiſcopus & Flandriæ Comes Hannoniam deuaſtauerunt; obiitque Imperatrix vxor Frederici, ciuſque filia deſponſata Richardo Pictauiæ Comiti. Aſtrologi tam Hiſpanenſes, quàm Siculi, & ferè vniuerſi orbis conicctores, Græci, Latiníque, vnam, eandémque proferentes ſententiam de coniunctione Planetarum ſcripſerunt, vt plurib̃ docent Rogerus, Rigordus, Robertus, vel eius continuator, aliíque. Andronicus tyrannus fratres Iſaacij, qui Cyprum occupauerat, viros honeſtiſſimos iuſſit CP. lapidibus obrui & palis alligari in Feſto Aſcenſionis Domini, ex Niceta Choniata, *&c.* De S. Floriani Martyris corpore in Poloniam delato ex Longino Cracouienſi Canonico conſule Baronium, & de victo ab Alfonſo Luſitaniæ Rege ac trucidato

Aben-Iacobo Saracenorum Rege, cui ſucceſſit frater Aben-Ioſephus, Ioannam Marianam, alióſque Hiſpanicarum rerum ſcriptores.

Anno Chriſti MCLXXXV. *Philippi Auguſti 6. Dominica, quâ cantatur Lætare Ieruſalem, pridie Kalendas Aprilis, Henricus Rex Angliæ apud Vindeshoram Ioannem filium ſuum militem fecit, miſſúmque in Hiberniam illius inſulæ Regem inſtituit. In Anglia ingens terræ motus accidit 17. Kalendas Maij, feria 2. poſt Dominicam in Ramis Palmarum, & Rex in Normanniam tranſgreſſus, mandauit Ricardo filio ſuo, qui Gaufridum fratrem expugnauerat, quòd niſi Alienordi matri ſuæ totam Pictauiam liberam redderet, ipſe viſitaret eum in virga ferreâ, & potenti virtute debellaret. Quod cùm ille patri obtemperans præſtitiſſet, & ipſis Kalendis Maij, circa meridiem viſa fuiſſet Eclipſis Solis, quam ſecuta ſunt tonitrua, & fulmina, ambo Reges habito colloquio de ſubmittendis in Palæſtinam auxiliis promiſerunt ſe pecuniam hominéſque miſſuros, quod teſte Rogero Patriarcha Hieroſolymitanus parui pendit.* Addítque idem Auctor I. Henricum Regem Angliæ impetraſſe ab Vrbano III. Papa ſucceſſore Lucij, quòd vnus, quem vellet de filiis ſuis, coronaretur in Regem Hiberniæ, & in argumentum confirmationis accepiſſe ab eo coronam de penna pauonis auro contextam. II. Paullò ante feſtum S. Petri ad Vincula cùm prædictus Patriarcha Hieroſolymam rediiſſet, & auxilij nihil ſecum aſportaſſet, perterritis omnibus Robertum de S. Albano fratrem Templi natione Anglum relictâ lege Chriſtianâ ad Saladinum defeciſſe, acceptíſque ab eo copiis terras Chriſtianorum vaſtaſſe, cúmque vſque ad Hieroſolymitanam ciuitatem acceſſiſſet in fugam conuerſum vix euaſiſſe. III. Defuncto Willelmo Marchione Ioppenſi Comite Balduinum leproſum regno depoſito Balduinum puerum filium dicti Willelmi, & Sibyllæ ſororis ſuæ ſibi hæredem conſtitutum coronari iuſſiſſe in ſancta ciuitate, tum paullò poſt obiiſſe, Sibyllámque nupſiſſe Guidoni de Leziniaco, ex quo duas peperit filias. Chriſtiani ceperunt Palatium ciuitatis Maioricarum, & fuerunt liberati à captiuitate, ex Chronico Maſſilienſi pag. 341. Nouæ Bibliothecæ, *vbi etiam ſubiungitur menſe Iunio Fulconem Antipolitanum Epiſcopum monaſterium Maſſilienſe reſtauraſſe, cùm de manibus Iudæorum vallem Maſſiliæ liberaſſet, eodémque anno 4. Idus Iulias in eodem cœnobio ſepultum. Cùm inter Regem Franciæ Comitémque Flan-*

driæ inducia finiendæ essent, Balduinus Comes Haginoënsis terram Iacobi de Auesnis virtute irrumpens veteris memor iniuriæ incendio tradit, inquit Anonymus Aquicinctinus, qui etiam subiicit. I. Post festiuitatem S. Ioannis Regem Comitémque prædictos in pago Ambianensi cum exercitibus residentes Dei nutu concordiam iniisse, redditis Regi Comitatibus Ambianensi & Viromandensi, præter vnam alterámque vrbem quæ Comiti vsque ad obitum relictæ sunt. II. Eumdem Comitem à Francis apud Compendium verbis nugacibus impetitum ad Henricum filium Frederici Imp. in Alamanniam perrexisse. III. Lucio Papæ apud Veronam mortuo die 25. Nouembris post sedem annorum 4. mensium 2. & dierum 18. atque in Ecclesia B. Mariæ in sepulcro marmoreo ante maius altare sepulto, suffectum fuisse Lambertum ex Cardinale nuper electum Mediolanensem Archiepiscopum, qui Bituricensis extiterat aliàs Archidiaconus, vocatúmque mutato nomine Vrbanum III. Quem insulsi blaterones cum Caluisio similibúsque hæretici commatis scriptoribus Turbanum dixere. Willelmus Rex Siciliæ contra Andronicum vsurpatorem Imperij terrestrem naualémque comparat exercitum, Græciæ fines ingreditur, vrbes multas, in iisque Thessalonicam peruadit, & obtinét. Andronicus multos perimit, & eos maximè, qui nobilitate & potentiâ eminebant. Cúmque cunctis exosus suspectúsque existeret, quidam de Imperiali semine Isaacius Angelus malè nostratibus Historicis Roberto aliísque dictus Thursac, ad eum venire Constantinopolim iussus, mutuâ cum ciuibus confœderatione initâ, à Patriarchâ, vt coronaretur, obtinuit, & Andronicum cum suis aggrediens, truncari pedibus manibúsque præcepit, totáque vrbe super camelum tracto euelli oculos, linguámque præcidi die 12. Septembris, Ind. 4. cùm regnasset anno vno mens. 11. & diebus 10. Tragœdiam omnem eleganter iuxta ac copiosè descripsit Nicetas Choniates, ex quo alij deinceps res Græcorum sunt mutuati, addítque Isaaci Angeli de Willelmo Siciliæ Rege victoriam, quem terra marique superatum Græciâ expulit, & Amphipolim, Thessalonicam, aliáque omnia priùs ablata feliciter recuperauit. De actis Veronæ inter Lucium Papam & Fridericum Imp. ex Arnoldo Abbate Lubecensi in Slauorum Chronicis, & Alberto Crantzio in Metropoli, plura Baronius. Alfonsus Lusitanorum Rex primus ætatis anno vel

76. vel vt alij 91. deceſſit è vita die 9. Nouembris, ſuccedente Sancio filio ad annos 26.

Anno Chriſti MCLXXXVI. *Philippi Auguſti 7. Guillelmus S. Dionyſij Abbas 6. Idus Maij, ſabbato ſeipſum deponens Abbatiam dimiſit, & in eius locum ſubſtitutus Hugo Prior benedictionem accepit à Meldenſi, & Siluanectenſi Epiſcopis 15. Kal. Iunij, die Dominica, qui duo characteres annum hunc deſignant, oſtendúntque turbatas eſſe temporis apud Rigordum rationes. Subdit idem Auctor. I. Miſſos fuiſſe à Belâ Hungariæ Rege nuncios ad Philippum Auguſtum, qui Margaretam eius ſororem, relictam Henrici iunioris Angliæ Regis, poſtularent in vxorem, eáque conceſſa gaudentes in Hungariam rediiſſe. II. Gaufridum Britanniæ Comitem cùm Pariſios veniſſet, ægrotaſſe (Rogerius teſtatur in conflictu militari pedibus equinis contritum fuiſſe) & Medicis incaſſum laborantibus obiiſſe 14. Kal. Septembris, Regémque qui eum mira dilectione fuerat amplexus, in choro B. Mariæ corpus eius aromatibus conditum, & ſarcophago plumbeo repoſitum tumulari præcepiſſe, quatuórque ſacerdotales præbendas in eadem Eccleſia inſtituiſſe, vt perpetuò pro defunctis Miſſa celebraretur. III. Regem Pariſiis in loco, qui ad ſanctum Innocentium Campellus dicitur, publicum cœmeterium miræ, & amœniſſimæ amplitudinis muro lapideo circumcingi, & ornari iuſſiſſe. IV. Eumdem Regem illud à ſanctis religioſíſque viris dictum animo perpendentem: quòd hiſtrionibus dare dæmonibus eſt immolare, mente promptiſſima Deo promiſiſſe, quòd non ioculatoribus illis, vt alij Principes faciebant, ſed pauperibus omnes veſtes ſuas quamdiu viueret ipſius intuitu numinis erogaret.* Idem aliíque temporum illorum ſcriptores multa referunt de vanis Aſtrologorum prædictionibus occaſione coniunctionis omnium Planetarum, quæ facta eſt menſe Septembri, poſt Eclipſes duas Solis ac Lunæ, de quibus in Chronico Technico. Aiebant tam validum ab Occidente ventum proceſſurum, vt ferè vniuerſa deſtrueret, nec à venti turbine & fragore terribili euadere poſſe, niſi qui in hypogæis ſpecubus latitarent, *&c. Petrus Clarauallenſis Abbas, vir ſanctitatis opinione celebris, dormiuit in Chriſto, inquit Robertus S. Mariani Monachus*, additque veniſſe ad Vrbanum Papam Veronæ morantem ex Calabriæ partibus Ioachium Abbatem, qui Apocalypſis myſteria hactenus occulta reuelaret, ac difficultates quaſlibet Scripturarum enodaret, *&c.* Cùm Fridericus Imperator dies Dominicæ Natiuitatis apud Papiam peregiſſet, deſpondit filio ſuo

Henrico Regi 6. Kal. Febr. Conſtantiam filiam Rogeri ditiſſimi quondam Siciliæ Regis, & N. filiæ Comitis de Reiteſta ipſiuſque, qui tum regnabat, Willelmi Boni amitam. *His nuptiis, teſte Anonymo Aquicinctino, interfuit Philippus Flandriæ Comes, cúmque eundo per Germaniam iter feciſſet, rediit per Galliam, & cum Rege ſecretum habuit colloquium, pacémque cum eo firmauit.* Vrbanus verò Papa, & Imperator multas ob cauſas inter ſe fuerunt altercati: duas Monachus ille refert, alij alias de quibus ac ſimilibus plura pro more Baronius qui vulgatas de Conſtantiæ ætate ac Monachatu fabulas ex coætaneis, & probatæ fidei ſcriptoribus egregiè refellit. Gotifridus Viterbienſis ad hæc vſque tempora Pantheon ſuum ſiue Vniuerſalem hiſtoriam prosâ metróque contextam perduxit, atque Vrbano Papæ III. obtulit. *Balduinus Comes Haginoënſis, & Henricus Comes Namucenſis auunculus eius, Godefridi Ducis Louanienſis terram vaſtant, ac Gemblacenſem villam cum Eccleſia S. Guiberti incendunt. Rex Francorum cum Comite Flandriæ contracto vndecúmque exercitu hoſtiliter inuadit Ducem Burgundionum, qui viribus impar perditis quibuſdam caſtellis ad pedes Regis veniens ſemetipſum dedidit. Pridie Kalendas Iulij, turbo grauiſſimus & lapides ouo gallinæ maiores per diuerſa loca ceciderunt, qui pecora & aues occiderunt, feneſtras quoque vitreas Eccleſiarum, & domorum tegulas confregerunt.* Liuonia Chriſtum cœpit agnoſcere, prædicante Meinardo Sacerdote Lubecenſi, qui poſtea Liuonenſium Epiſcopus eſt ordinatus. Imperator ſubactis auxilio Mediolanenſium Cremonenſibus, relictóque in partibus Beneuentanis filio, in Germaniam rediit. Henricus quemdam Papæ famulum auri argentíque pecuniis ſpoliatum naſo quoque in contumeliam Pontificis mulctauit. *Eodem anno, ſi fides Rogerio Houedeno, poſtulauit Franciæ Rex ab Henrico Rege Angliæ cuſtodiam filiæ Gaufredi Comitis Britanniæ, quam ipſe moriens reliquit ſibi hæredem, quod Rex Angliæ nullo modo facere voluit, ſed miſit Vualterum Rotomagenſem Epiſcopum, alióſque, ad quorum preces induciæ pactæ ſunt vſque ad feſtum S. Hilarij. Paullò pòſt Conſtantia Comitiſſa Britanniæ filia Conani peperit in ipſa nocte Paſchæ filium poſtumum, qui dictus eſt Arturus.* Balduinus puer filius Willelmi Marchionis Rex Hieroſolymitanus obiit, cui ſucceſſit in regnum Sibylla mater eius iure hæreditario, ſed antequam coronaretur factum eſt diuortium inter ipſam, & Guidonem de Liſinia-

co maritum eius per Heraclium Patriarcham, Templarios, & Hospitalarios, quibus cordi erat, vt Walranno Comiti Tripolis, vel alteri nobili viro terræ Hierosolymitanæ nuberet: sed ipsa mirâ calliditate, postquam coronata est, accepit coronam regiam in manibus suis, & posuit eam super caput Guidonis de Lisiniaco mariti sui, dicens: Ego eligo te in Regem, & Dominum meum, & terræ Hierosolymitanæ, quia quos Deus coniunxit homo separare non debet. Cúmque is à Patriarcha vnctus fuisset diuino celebrato officio Templares vtrumque introduxerunt in domum suam, & fecerunt eis conuiuium magnum. Comes autem Tripolitanus dolens, quòd Regina repudiasset illum, abiit ad Saladinum Regem Babyloniæ, initóque cum eo fœdere multa mala machinari cœpit in perniciem Regis & regni. Saladinus inducias, quas vsque ad Pascha dederat, petiit prorogari per tres annos, quod cùm consilio Templariorum concessum fuisset, multi peregrini, qui post Pascha venerunt, nulla oblata prœlij aduersus Saracenos occasione in patriam reuersi sunt. Alia quoque in eam rem narrat Matthæus Parisius, quæ Lector consulet. Basilio Camatero pulso subrogatur Patr. Nicolaus Mundanus ab Isaacio Angelo Græcorum Imperatore. Isaac verò Andronici Tyranni filius, deturbata è solio C P. Comnenorum familiâ, fugâ euasit in Pontum, & Colchidem, nouóque in locis illis Imperio initium facit. Sed de rebus Græcorum, Walachorum defectione, vrbis C P. ab Alexio Brama obsidione, *&c.* plura Nicetas, Chalcocondylas, alíque.

Anno Christi MCLXXXVII. *Philippi Augusti* 8. *ortâ dissensione inter eumdem Regem & Anglos, tum quòd Richardus à patre instructus hominium pro Comitatu Pictauensi de die in diem facere dissimularet, tum quòd Gisortium, aliáque castra adiacentia, quæ tradita fuerant Margaritæ in dotem, Henricus reddere detrectaret, Philippus Rex annum agens ætatis* 22. *ingentem collegit exercitum in pago Bituricensi, captisque Issolduno, Craciaco, alíisque castris, & munitionibus regionem illam vastauit vsque ad Castrum Radulfi. Quod cùm obsideret, venit Henricus Angliæ Rex cum Richardo filio, & ingentibus copiis, nec tamen ausi sunt prælio decertare, timentes Philippi magnanimitatem, & solitam Francorum audaciam, sed missis viris industriis ac religiosis cum Legatis Romanæ Ecclesiæ, ex parte Regis Anglorum eiúsque filij, præstitæ cautione firmauerunt, quòd ipsi secundùm*

iudicium

iudicium Curiæ Regis Franciæ in omnibus plenè ſatisfacerent. Quo peracto datis induciis vnuſquiſque ad propria remeauit. Narrat deinde Rigordus Miraculum B. Virginis Dolenſis. Nam dum Rex in obſidione Caſtri Radulfi moram faceret, quidam è Cotarellis, quos Ricardus aduerſus Francos conduxerat, in oppido Dolenſi alea ludens cum teſſeris in plateâ ante Eccleſiam B. Virginis, amiſsâ pecuniâ, prorupit in verba blaſphemiæ in B. Virginem & Deum. Inde iratâ furibundus eleuatis ſurſum oculis vidit in porticu Eccleſiæ imaginem B. V. Mariæ puerum Ieſum manibus tenentem in lapide ſculptam, proiectóque coram omnibus in illam lapide brachium imaginis pueri Ieſu fregit, & in terram deiecit: de quâ fracturâ, verba ſunt Auctoris, vt à multis qui in obſidione fuerant audiuimus, ſanguis abundanter fluxit in terram, & multi de illo colligentes à variis morbis curari meruerunt. Brachium autem illius Imaginis ſanguinolentum Ioannes, qui dictus eſt ſine terra, filius Regis Angliæ, qui miſſus à patre fortè ibi venerat, pro reliquiis cum honore, & reuerentiâ ſecum portauit. Infelix autem Cotarellus eadem die à dæmone arreptus miſerrimè vitam finiuit: Monachi verò illius loci videntes miracula, quæ Domino operante ibi de die in diem fiebant, imaginem intra Eccleſiam tranſtulerunt, vbi in hodiernum vſque diem multa fiunt miracula. De iis vide paginas 317. & 320. Tomi I. Bibliothecæ MSS. Librorum, & Breuiarium Bituricenſe ad diem 30. Maij, quo per totam diœceſim fit officium Miraculorum B. Mariæ Dolenſis. Poſt pacem illam, teſte Rogerio Houedeno, Ricardus Pictauiæ Comes remanſit cum Rege Franciæ contra voluntatem patris ſui, qui miſſis frequentibus nunciis vt eum reuocaret, hoc demum effecit, vt ille relicta Francia Cainonem veniret, ablatâque theſaurorum patris maxima parte inuito cuſtode, Pictauiæ caſtra inde muniret. Verùm ſpreto tandem prauorum conſilio ad patrem rediit, & coram multis tam laicis quàm Clericis ſuper ſacroſancta Euangelia iurauit ei fidelitatem contra omnes homines, & quod ab eius conſilio non recederet. Quo facto Rex Angliæ in Britanniam Armoricam profectus eſt, cepítque obſidione caſtellum de Monte relapſo, quod Herueus Leonenſis, eiú que frater Guihomarus occupauerant poſt mortem Gaufredi Comitis Britanniæ. Iſabella Regina Franciæ filia Balduini Comitis Haginoënſis peperit filium tertio Nonas Septembris, feria 5. & vocatum eſt nomen eius Ludouicus, ex Rogerio, cui de die non aſſentitur Rigordus qui hæc habet: quarta die Septembris hora tertia fuit Eclipſis Solis particularis in 18. gradu Virginis, & durauit per duas horas. Sequenti die videlicet quinta die Septembris natus fuit Ludouicus filius Philippi Auguſti feria ſecunda

(imò septima Litera Dominicali D) hora vndecima diei vsualis, In cuius natiuitate ciuitas Parisiensis, in qua natus est, tanto gaudio fuit repleta, quòd per septem dies singulis noctibus cum faculis, & cereis accensis populus totius ciuitatis laudes debitas soluens creatori suo ducendo choreas canere non cessauit. Eadem horâ, quâ natus est, cursores missi sunt per vniuersas prouincias gaudia tanti Regis exteris nunciantes. Eodem anno inquit Rogerius, Saladinus Rex Babyloniæ occasione dissensionis, quæ fuit inter Regem Guidonem, & Comitem Tripolitanum, cum immensâ Turcorum suorum multitudine venit in terram Hierosolymitanam, & Kal. Maij 60. fratres Templi, & summum Magistrum domus Hospitalis cum pluribus eius fratribus facta congressione trucidat, multísque castris ciuitatibus ac munitionibus captis in regionem suam reuertitur, vnde paullò pòst per consilium Comitis Tripolitani maiori collecto exercitu intrauit fines regni Hierosolymitani die Veneris proxima post festum Apostolorum Petri & Pauli cum 800. millibus militum, & eò ampliùs: Tiberiadem excepta castri munitione cepit, occurrentémque Christianorum exercitũ strauit die 3. Iulij, Guidonem Regem fugam arripientem, & Crucem Dominici ligni cepit, interfecto Rufino Episcopo Acconitano, qui eam portabat. Solus ferè Comes Tripolitanus proditionis eius conscius cum suis euasit illæsus. Statim verò Saladinus Militiæ Templi atque Hospitalarios fratres segregari fecit ab aliis captiuis & coram se capite minui, & ipse principem Raymundum de Castellione propria manu interfecit. Deinde Acconem cepit, & adiacentia loca. Interim Conradus Marchio, facto in ciuitate CP. homicidio, fugam iniit, relictâ vxore suâ nepte Isaaci Imp. CP. & eadem die, quâ Saladinus victoriam habuit de Christianis, appulit Tyrum, eámque defendit contra Saladinum, qui Berytum, deinde Byblum, Sidonem, Cæsaream, Ioppem, Ascalonem, aliásque ciuitates, ipsam quoque Hierosolymam cepit 28. Sept. vel vt alij 2. Octobris, feria 6. post 14. obsidionis dies, & omnia loca sacra polluit, Mahometicâ superstitione in Templis locisque sanctis dominante. Cúmque Comes Tripolitanus gentem suam à cultu diuino subuertere voluisset, & se suáque tradere Saladino proposuisset, inuentus est mortuus in lecto suo similis dormienti, & vxor illius tradidit se ac ciuitatem suam Raimundo Principi

Antiochiæ, qui Iocelinum filium ſuum eò miſit Comitem Tripolitanum à ſe inſtitutum. Vrbanus Papa cùm audiiſſet temporibus ſuis captum eſſe Regem Hieroſolymitanum, Crucem Dominicam, ſanctámque ciuitatem Hieroſolymitanam, ex nimio dolore in ægritudinem incidit, & mortuus eſt 13. Kalend. Nouembrium apud Ferrariam, poſt ſedem anni vnius, menſium 10. & dierum 25. eíque ſucceſſit Albertus Cancellarius eius, vocatus Gregorius VIII. vir omni commendatione digniſſimus, qui nondum expletis duobus in Papatu menſibus, ſopitâ inter Piſanos, & Genuenſes feraliter diſſidentes diſcordiâ, obiit Piſis die 16. Decembris, cùm priùs de eius aſſenſu Cardinales inter ſe firmiter promiſiſſent, quòd abiectis omnibus diuitiis, & deliciis prædicarent Crucem Chriſti, non ſolùm verbo, ſed opere & exemplo, & euntes mendicando præcederent alios in terram Ieruſalem. Alia reperiet quoque Lector in Annalibus Rogerij, quæ breuitatis cauſa cogor omittere cum iis, quæ in Auctario Aquicinctino, Chronico Roberti Altiſſiodorenſis, Neubrigenſi, Vitriaco, Vrſpergenſi, Marino Sanuto, ac ſimilibus temporum illorum ſcriptoribus obſeruaui commemoratione digniſſima, præcipuè Terrici magni Præceptoris Templariorum, Haimerici Patriarchæ Antiocheni, Conradi Marchionis, Gregorij Papæ, aliorúmque epiſtolas, quibus enixè rogabantur Occidentales Chriſtiani, vt præciſis omnibus moris auxilium ferrent reſiduis ciuitatibus, & deperditas recuperarent. Armeni & Græci Syríque Chriſtiani magno auri dato pretio Sepulcrum Domini cum ſua Eccleſia, & Domini Templum à Saladino redemerunt. *Eodem anno Rex Angliæ dedit Conſtantiam Comitiſſam Britanniæ matrem Arturi Ranulfo Comiti Ceſtriæ in vxorem, & Magiſter Berterus Aurelianenſis Clericus rhythmicâ cantilenâ ad Crucem accipiendam multorum animos excitauit.* Margaritus Siculæ claſſis Dux in mari experientiſſimus contra Imp. CP. potenter agit, aliquot inſulis vaſtatis & occupatis, donec poſt longam, & grauem vtrimque profligationem pax ſancita eſt inter Iſaacium Imp. & Willelmum Siciliæ Regem. *Ioannes Iperius, cuius extat MS. Chronicon, perhibetur hoc anno electus in Abbatem S. Bertini.*

Anno Chriſti MCLXXXVIII. *Philippi Auguſti* 9. Paulus ſeu Paulinus Prænestinus Epiſcopus, & Cardinalis patriâ

Romanus in ſupremum Eccleſiæ Pontificem electus eſt die 6. Ianuarij, dictus Clemens III. qui rebus cùm Romanis compoſitis, iis, quas Baronius in Annalibus refert, conditionibus, magna omnium lætitia Vrbe exceptus, Chriſtianos Principes aduerſus Saladinum Palæſtinæ inuaſorem non ceſſauit incitare. *In colloquio inter Triam ſeu Caluummontem atque Giſortium, factum eſt inquit Rigordus, in feſtiuitate S. Hilarij, quæ* 13. *die Ianuarij, celebratur (alij differunt in* 12. *Kal. Februarij B. Agneti Martyri ſacrum) quod præter omnium expectationem Domino miraculosè inſpirante, Reges Philippus atque Henricus pro liberatione ſancti Sepulcri, & ciuitatis Hieruſalem ſignum ſanctæ Crucis aſſumerent, cum Duce Burgundiæ, Comitibus Pictauiæ, Campaniæ, Blæſenſi, Perticenſi, de Barris, Drocenſi, Clarimontis, Niuernenſi, &c. Et in eodem loco in monumentum huius facti iſti duo Reges deuotè erexerunt Crucem ligneam, fundantes ibi Eccleſiam, agrúmque ſanctum vocantes, quòd in eo ſacris Crucibus fuiſſent inſigniti. Sunt qui addant Archiepiſcopum Tyri Guillelmum oratione ſua ita eos commouiſſe, vt depoſitis odiis Cruces de manu eius ſuſceperint, eadémque hora apparuiſſe in cælo ſignum Crucis. Philippum verò rubram, Henricum albam, Flandriæ denique Comitem viridem geſtaſſe Crucem, quam in rem videndus Rogerius. In media Quadrageſima menſe Martio Pariſiis celebratum eſt Concilium generale, conuocatis omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & totius regni Proceribus, in quo cum aſſenſu Cleri & populi inter alia decretæ ſunt decimæ ab omnibus eo tantùm anno accipiendæ, quæ dictæ ſunt decimæ Saladini. Euolutis autem duobus vel tribus menſibus, ex quo hæc facta ſunt, videlicet inter Pentecoſten, & feſtum S. Ioannis, Ricardus Comes Pictauenſis collecto exercitu intrauit terram Comitis Toloſæ, quam tenet à Rege Francorum, & cepit Moiſſiacum, & alia caſtella. Quo audito Philippus Rex felle commotus ob irruptionem fœderis, cum copiis militaribus poſſeſſas ab Anglis regiones intrauit, nobile Caſtellum Radulfi (quod Dolenſe in Biturià dicitur à Roberto Monacho S. Mariani) cepit ac diripuit, cum Buzenſacio, & Argentonio, & quartum obſedit, quod vocatur Leproſium, vbi torrens nimio æſtu exſiccatus veluti quodam miraculo aquas abundè miniſtrauit, illúdque paullò poſt captum dono dedit Ludouico conſanguineo ſuo filio Comitis Theobaldi, deinde Montem Tricardum, Paluellum, Monteſorium, Caſtelletum, Rupem Guillebaldi, Cullentum, Montem Luzzonis, & quidquid iuris Rex Angliæ in tota Bituria, & Aruernia habebat, Franci ſibi ſubiugarunt, nec vlla*

poterat eis obstare munitio, quod haberent fossores, qui ad modum talpæ subterranea fodientes, quaslibet murorum aut turrium si mitates ferramentis validissimis perrumpebant. Henricus verò Angliæ Rex castrum Drocarum incendit, multáque villas campestres, antequam capto in transitu Vindocino Philippus Rex ad eum accessisset, & ex castro, quod dicitur Trou, turpiter eiecisset. Combustum fuisse Vindocinum à Ricardo Comite Pictauensi circa medium Augustum testatur Auctor quisquis est Chronici Andegauensis pagina 290. Nouæ Bibliothecæ. Tandem superueniente hieme datis inducijs vterque à bello quieuit. Nonnulla alia refert Villelmus Armoricus de patula vlmo à Francis prope Gisortium excisâ, de exercitu Anglorum intra Ibreiam recepto, &c. Interim Ricardus petiit à patre suo vxorem filiam Ludouici Regis, & cum ea regnum, quod cùm facere detrectaret pater, ab eo recessit, & ad Christianissimum Regem Francorum accedens hominium illi coram patre suo fecit, & fœdus sub iuramento firmauit. Verùm hæc ad initium seq. anni Iuliani videntur pertinere. Ipso anno nimius æstus incanduit, fuitque siccitas insolita, & multæ vrbes crematæ, in quibus numerantur Antissiodorum, Trecæ, Pruuinum, Beluacus, Pictauis, Carnotum, & aliæ in Chronologia Antissiodorensi. Henricus Comes Namucensis filiam suam vnicam adhuc lactentem Ermensindam dat Henrico Comiti Trecarum, & cum eâ post discessum suum omnem terræ suæ Comitatum. Balduinus verò Comes Montensis ex sorore eius nepos, cùm ante mensem Augustum in guerrâ Regis, verba sunt Auctarij Aquicinctini, Henricus Comes Trecensis inexcusabiliter occupatus esset, & Henricus Comes Namucensis lecto decumberet, castrum Namucense nudatum defensoribus occupauit, necnon Bouinienſe, & omnem terram citra Mosam sibi subdidit: paucis decem diebus transactis Namuci Comes electis de Floreffiâ Canonicis Regularibus Ordinis Præmonstratensis, castellum sibi fecit aduersus Balduini impetum, & milites cum suis satellitibus ibi constituit. De Caritate Eligiana νεκροφορῶν, & mirabili cereo apud Betunienses hoc annno à duobus fabris ferrariis formato, plura Andreas Hoius in Bethuniæ descriptione, & ex eo Aubertus Miræus. In Houedeni Annalibus nonnulla quoque obseruabis inter legendum: I. cum Raimundo de S. Ægidio pugnasse aduersus Ricardum ferè omnes ditiores Pictauiæ Aimarum Engolismensem, Gaufridum Ranconensem, Gaufridum Lesiniacensem, &c. II. Captos fuisse iussu Comitis Tolosani duos milites de familia Regis Angliæ redeuntes de S. Iacobo, quem causa peregrinationis visitauerant. III. Literas Patriarchæ Antiocheni ad Regem Angliæ eiusque responsionem. IV. Philippum Beluacensem

Ep. combussisse Blangiacum, & Albammarlam, ac similia. V. In Anglia in vigilia S. Laurentij apparuisse Crucem Dominicam ipsumque Christum in ea clauis confixum, & spinis coronatum ab hora diei nona vsque in crepusculum. VI. *Regem Franciæ Ricardo reddidisse pro homagio, & fidelitate sua Castrum Radulfi, & Exoldunum cum toto honore. VII. Henricum Albanensem Ep. Cardinalem postquam Richardum anathematizasset, quod pacem inter Reges initam disturbasset, reuersum in Flandriam obiisse apud Atrebatum. VIII. Obiectam fuisse Cistercienſi Monacho visionem de Rege Angliæ cum hac prædictione:* Leuaui signum meum super eum, venter vxoris suæ intumescet contra eum, & in tormento tormentum patietur, & inter velatas velabitur. IX. Fredericum Imperatorem, qui in conuentu Moguntiæ habito Dominica Lætare in media Quadragesimâ cum pluribus aliis de manu Henrici Albanensis Ep. Crucem sumpserat, prouidisse itineri suo necessaria, reconciliasse se Clementi Papæ, Saladino rescripsisse, traditísque filio suo Henrico Imperij habenis, Ratisponâ abiisse, cúmque se ventis, & mari committere noluisset, per terram venisse CP. ibíque ab Isaacio Imp. benignè susceptum, & cætera, quæ ad annos sequentes pertinent. X. Statutum esse à Papa & Cardinalibus, vt ab vniuersali Ecclesia fieret sine intermissione oratio ad Deum pro pace, & liberatione terræ Ierusalem & Christianorum, qui captiui detinebantur à Saracenis. *XI. Angliæ Regem Natalem Christi, qui die Dominica euenit, apud Salmurum in Andegauis peregisse, licet quamplures de Comitibus, & Baronibus eo relicto adhæsissent Regi Franciæ, & Comiti Ricardo contra eum.* Matthæus Parisius Frederici ad Saladinum, eiúsque ad Fredericum literas datas anno Hegiræ 584. refert, atque ex eo Baronius, qui etiam non omisit epistolas 112. & 121. Petri Blesensis, quibus in impositas Ecclesiis ac pauperibus exactiones inuehitur. Monachus quoque S. Mariani de iisdem expostulat, atque ex eo peccato creditum accidisse, vt iter propositum impediretur, dissensiones ferueſcerent, & malè parta in malum effluerent. Idem quoque duo adiicit. I. Guillelmum Regem Siciliæ per Margaritum classis suæ ducem iter marinum liberum à piratis, tutúmque reddidisse, & tam subuectionibus nauium quàm rerum quarumlibet copia nostris trans mare satis munificè succurrisse. II. Saladinum vrbes, quæ de manu Chri-

ſtianorum receperat, multis roboraſſe munimentis, & Acconem præcipuè muris viriſque præmuniuiſſe, cúmque Tyrum expugnare contendiſſet, ſæpè victum & confuſum cum damno ſuorum abſceſſiſſe. Idem Baronius de aqua vino in Calice Eccleſiaſtico miſcenda occaſione epiſtolæ Gaufredi Ciſtercienſis Monachi, ac de aliis pluribus ad SS. Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti pertinentibus diffuſiùs tractat, quæ Lector per otium euoluet, recentioréſque præterea Theologos hanc quæſtionem ex profeſſo ventilantes conſulet. Iacobus de Vitriaco Guidonem menſe Maio è Saladini vinculis egreſſum memorat, & à Tyriis repudiatum, qui Piſanos ei fauentes vrbe expulerunt. Ferdinando Legionis ſeu Caſtellæ Regi mortuo ſucceſſit filius Alfonſus ad annos 42.

Anno Chriſti MCLXXXIX. *Philippi Auguſti* 10. *poſt feſtum S. Hilarij diruptis induciis, quæ inter Reges erant, Rex Franciæ & Ricardus Comes cum Britonibus hoſtiliter intrauerunt terram Regis Angliæ, eámque circumquáque vaſtarunt. Satagente deinde Ioanne Anagnino Cardinale cautionem dedit vterque Rex ſtandi iudicio illius, & quatuor Archiepiſcoporum Remenſis, Bituricenſis, Rotomagenſis & Cantuarienſis, qui cùm diem colloquij ſtatuiſſent iuxta Feritatem Bernardi in octauis Pentecoſtes, & adeſſent omnes, petiit Philippus Rex ab Henrico, vt Aleſiam ſororem ſuam Ricardo Comiti Pictauiæ donaret in vxorem, vt fidelitates terrarum eidem Ricardo fierent, atque vt Ioannes frater eius acceptâ Cruce iret Hieroſolymam. Quod cùm Anglo diſplicuiſſet, re infectâ diſceſſerunt diſcordes ab inuicem. Cardinalis verò Anagninus aſſerebat, verba ſunt illius ſcriptoris ſæpiſſimè à nobis in huius XII. ſæculi poſtrema ætate citati ſoliti Rogeri Houedeni, quod niſi Rex Franciæ ad plenum componeret cum Rege Angliæ, totam terram eius ſub interdicto poneret: cui reſpondit Rex Franciæ; quòd ſententiam illius non timeret, cùm nulla æquitate niteretur. Dicebat enim non pertinere ad Eccleſiam Romanam in regno Franciæ per ſententiam vel alio modo animaduertere, ſi Rex Franciæ in homines ſuos demeritos, & regno rebelles, cauſa iniurias ſuas, & Coronæ dedecus vlciſcendi inſurgit: adiecit etiam quod prænominatus Cardinalis iam ſterlingos Regis Angliæ olfecerat. Sicque recedens ab eodem colloquio Philippus cepit Feritatem Bernardi, deinde Montemfortem, Bellummontem, ipsámque Cenomanenſem vrbem, vnde Henricus qui in ea natus patrem ibi ſepultum habebat, cum 700. militibus aufugit, & Cainonem veniens ſe in munitionem illam recepit. Rex verò Franciæ expugnauit*

Montem Duplicem, Monterium, Castrum Lidi, Ambasiam, Rupes Corbonis, aliáque castra, tandémque in septimana sequente post festum Natiuitatis B. Ioannis, feria 6. in crastino Apostolorum Petri & Pauli Turonos venit. Die Dominica sequente Philippus Comes Flandriæ, Vvillelmus Remensis Archiepiscopus, & Hugo Dux Burgundiæ accesserunt Salmurum, vt pacem inter Reges componerent, cuius conditiones repræsentat idem Anglorum Historicus, additque I. dum prædicti Reges ore ad os loquerentur, intonuisse super eos Dominum, ictúmque fulmineum cecidisse inter illos duos, sed nullam intulisse illis læsionem, illúdque altera etiam vice contigisse. II. eumdem Henricum cognitâ filiorum suorum defectione, venisse Cainonem, tactúmque dolore cordis intrinsecus, maledixisse diei, in qua natus fuit, & maledictionem Dei, & suam dedisse filiis suis Ricardo & Ioanni, quam numquam relaxare voluit, licèt Episcopi, & cæteri viri religiosi sæpiùs id tentassent. III. Se morti proximum deferendum curasse in Ecclesiam ante altare, ibíque communione Corporis & Sanguinis Domini deuotè susceptâ confitentem peccata sua ab Episcopis, & Clero absolutum obiisse anno regni sui 35. in Octauis Apostolorum Petri & Pauli die 6. Iulij feria 5. cùm regnasset 34. annos menses 7. & dies 4. IV. Omnes eum reliquisse diripientes opes illius qui non hominem sed prædam fuerant aulicorum vulturum more sequuti. V. In crastino obitus sui cùm deferretur in Ecclesiam sanctimonialium Fontis-Ebraudi, Comitem Ricardum filium eius hæredémque venisse obuiam, & misertum illius fleuisse amarè: Sanguinem autem continuò fluxisse de naribus Regis superueniente filio. VI. Filium processisse cum corpore patris sui vsque ad Abbatiam illam, ibíque eum sepeliuisse in choro sanctimonialium, iuxta vulgatam prædictionem, & ipse inter velatas velabitur. VII. Sepulto Henrico Ricardum statim manibus iniectis in Stephanum de Turonis Senescallum Andegauiæ, exegisse ab eo castella, & thesauros patris sui, quos in custodia habebat. VIII. Matildem Ducissam Saxoniæ filiam Henrici eodem anno obiisse. IX. Ricardum Rotomagi à Vvaltero Archiepiscopo coram Episcopis, Comitibus, & Baronibus Normanniæ accinctum fuisse gladio Ducatus Normanniæ ipsa die S. Margaretæ feria 5. postridie Gaufrido filio Rotrodi Comitis de Pertico Matildem filiam Ducis Saxoniæ neptem suam dedisse in vxorem, & die S. Magdalenæ cum Rege Franciæ conuenisse inter Caluummontem & Triam: tum omnes tam Clericos quàm Laicos, qui relicto patre suo illi adhæserant, odio habuisse, & à familiaritate suâ alienos feciss; illos verò qui patri suo fideliter seruierant, secum retinuisse ac multis bonis ditauisse.

X. Trans-

X. Transfretasse cum fratre Ioanne in Angliam Idibus Augusti die Dominica proxima ante Assumptionem B. Mariæ: dedisse Comitatum Moritonij aliósque plures in Angliâ fratri suo, quem statim desponsari fecit cum filiâ Comitis Glocestriæ: *Andreæ de Caluiniaco triouisse Dionysiam filiam Radulfi Dolensis cum honore Castri-Radulfi in Biturigâ, quæ fuerat vxor Comitis Balduini de Riuers, & statim desponsatos fuisse apud Saresbyriam in præsentia Alienordis Reginæ:* Gaufrido notho fratri suo, qui quondam fuerat Lincolniensis electus, vt supra suo loco hoc est anno 1181. obseruauimus, Archiepiscopatum Eboraci, ad quem à Canonicis fuerat de consensu eiusdem Regis electus, concessisse: deinde 3. Nonas Septembris die Dominica, festo ordinationis S. Gregorij Papæ consecratum, & coronatum in Regem Angliæ Londoniis apud Westmonasterium à Balduino Cantuariensi Archiepiscopo, seruato eo ordine, quem cùm vacauerit, in illis Annalibus descriptum leges. XI. Henricum Saxoniæ Ducem Octobri mense rediisse in Saxoniam terram suam, magnóque congregato exercitu inuasisse eos, quibus Imperator eam dederat, ac plusquam 30. castella obtinuisse. *XII. Vuillelmum de Mandeuilla Comitem Albæ marlæ obiisse Rotomagi mense Nouembri, & Hugonem de Puteaco Comitem de Barro supra Sequanam nepotem Hugonis Dunelmensis Episcopi sepultum in loco, dicto Galilæa, apud Dunelmum. XIII. Eodem mense Rotrodum Perticensem, aliósque nuncios Philippi Franciæ Regis venisse in Angliam dicentes quod Rex Francorum in generali concilio Parisiis iurarat tactis sacro-sanctis Euangeliis, & omnes Principes sui qui Crucem Domini susceperant, se apud Vezeliacum ad futuros ad octauas Paschæ atque inde Hierosolymam ituros*, idem quoque apud Londonias conuentu habito statutum à Ricardo & Anglis. XIV. Sibyllam Reginam Hierosolymitanam reddidisse Saladino Ascalonem pro liberatione Guidonis de Leziniaco mariti sui, eúmque vinculis absolutum cum saluo conductu veniisse vsque ad ciuitatem Tyri, quam ingredi cùm à Conrado Marchione fuisset inhibitus, collectis in vnum Templariis, Hospitalariis, aliísque Christianis, qui propter metum paganorum dispersi erant in illa regione, Acconem obsediisse, tertiáque pòst die eò applicuisse *Robertum Comitem Drocensem, Philippum Beluacensem eius fratrem, Airardum Comitem Brienen'em, Iacobum de Auesnis*, Landgrauam de Alaman-

nia, aliósque peregrinos: dein cum iis Saladinum prælio decertasse feria 4. post festum S. Michaëlis, victúmque ac fugatum fuisse, &c. quæ non est opus sigillatim enumerare, ne longior fiam: subiicitur deinde charta Ricardi de libertatibus Wuillelmo Scotorum Regi concessis, & transitus eiusdem Angliæ Regis in Galliam die 11. Decembris, feria 2. cui apud Calesium obuiam venit Philippus Flandriæ Comes; tum obitus sine prole Willelmi Regis Siciliæ apud Panormum mense Nouembri: quo defuncto Tancredus Comes de la Liche consanguineus eius vsurpauit sibi regnum Siciliæ contra sacramentum fidelitatis, quod fecerat Constantiæ Rogeri filiæ, Henrici Regis Alamannorum vxori, quam Willelmus hæredem sibi constituerat, & Ioanna soror Ricardi Regis, quæ fuerat Willelmi vxor, remansit in custodia Tancredi. Hæc & iis longè plura Rogerus, ex quibus aliísque scriptorum monumentis insigniora selegimus. Nunc ex Arnoldo Lubecensi, Vrspergensi, Anonymo Aquicinctino, Roberto S. Mariani Monacho, Rigordo, Britone, Niceta, Neubrigensi, Parisio, aliísque discamus I. Fredericum Comitiis Ratisbonæ habitis die 9. Aprilis peregrinationis iter cum filio suo Conrado Duce Sueuiæ suscepisse in festo S. Georgij, comitante multitudine infinitâ per Hungariæ regnum, Belgradum veniisse 29. Iunij, & aliquos nobiles, qui prædas egerant decollari iussisse: Dein per Bulgariam tetendisse in Thraciam, captáque die 25. Augusti Philippopoli, vnde ciues omnes profugerant, Græcorum sex millia cecidisse, & die 22. Nouembris Hadrianopolim accessisse. Sunt tamen qui minus accuratè dicant obstructis ab Isaacio transitum prohibente itineribus diuertisse in Græciam. II. De Frisia & Dania fœderatas naues 50. & de Flandriis 37. eadem peregrinatione suscepta, dum per Hispanias transeunt, vrbem Siluensem obsedisse, & post 40. dies captam direptámque Portugalliæ Regi possidendam reliquisse. III. Tancredo Siciliæ Regi fauisse Romanum Pontificem, eíque inuestituram tribuisse. IV. Henricum missis exercitibus Italiam, occupatísque Apulia & Calabria, cùm Siciliam ingredi tentaret, re infectâ in Germaniam reuertisse. *V. Idubus Martij obiisse Elisabetham Reginam vxorem Philippi Francorum Regis, sepultámque fuisse in Ecclesia Parisiensi B. Mariæ Virginis, vbi pro eius memoriâ Mauricius Episc. altare erexit, & Rex pro remedio*

animæ illius, & omnium prædecessorum suorum duos sacerdotes perpetuò ibidem instituit, vnicuique assignatis 15. libris Parisiensibus in singulos annos. Verùm satius est habitâ ratione anni Iuliani quo vtimur Reginæ mortem in annum sequentem differre, vt Houedeniani Annales apertissimè demonstrant; cùm addunt eo anno Annunciationem Dominicam euenisse in ipso die Paschæ. VI. Regem illum Philippum, cùm Turonos versus exercitum duceret, super ripam Ligeris fixis tentoriis solum tentando aquas fluuij cum lancea vadum inuenisse, posuísque à dextris, & à sinistris in flumine signis, vt exercitus inter illa duo signa post eum transuadaret, primum ante alios omnes Ligerim transiuisse, cæterísque cum omni supellectili sua, & armamentis in alteram ripam transductis reuersas fuisse aquas fluminis in priorem statum in vigilia S. Ioannis Baptistæ. VII. Ad Ricardi primum ingressum totum Gisortij castrum incendio flagrasse, & in egressu ipsius equenti die pontem ligneum sub pedibus eius fractum fuisse, omnibúsque sociis suis liberè transeuntibus solum Regem cum equo suo in fossatum cecidisse. VIII. Initâ inter Reges concordiâ, Philippum reddidisse Cenomanensem, & Turonen'em vrbes cum Castello Radulfi, totóque eius feudo: Ricardum verò eâ de causâ feuda, quæ pertinent ad Crazzacum, & Exoldunum, & Aruerniam, Philippo & successoribus eius perpetuò dimisisse. IX. Atrebatensem ciuitatem cum Ecclesiâ S. Vedasti incendio conflagrasse. X. Ordinem militum Teutonicorum inchoatum: quem anno 1191. die 22. Februarij Cælestinus Papa confirmauit, licèt alij id factum velint die 22. Aprilis, anni 1201. ab Innocentio III. exortum quoque Ordinem Vallis caulium, de quo nonnulla leges in Maiori Chronico Belgico.

Anno Christi MCXC. *Philippi Augusti* 11. Fridericus Imperator cùm Hadrianopoli hybernasset mense Martio ad Hellespontum venit, eiúsque mensis 28. feria 4. omnium postremus ex Europâ in Asiam traiicit, Turcas ad 6. millia cædit die 7. Maij, iterúmque die 13. in festo Pentecostes ad 10. millia, opitulante Christianis sancto Georgio, Iconium capit die 19. eiusdem mensis, dein Dominica die 10. Iunij obiit submersus in flumine, cùm regnasset annis 37. mensibus 3. & diebus 7. Sunt qui dicant, cùm in fluuio Farfar lauandi, & refrigerandi causa nataret, nec violentiam aquæ sustineret, ter in eiusdem aquæ profundum demersum fuisse, & cum magno militum labore extractum triduo superuixisse elinguem, &

Corpore Dominico accepto ſacráque vnctione præmiſsâ diem vltimum clauſiſſe. Alij cum equo præcipitem lapſum volunt in fluuium, ibíque ſuffocatum, etiamſi vndíque ante & retro præſentes in aquam inſilirent; de loco quoque ac nominibus Prouinciæ ac Fluuij Farfari, Saphari, Ferrei, Calycadni, Cydni, &c. in Armenia Minori, Cilicia, Syria, &c. non minima inter Auctores diſcrepantia. Anonymum ſcriptorem Epiſtolæ quæ extat in Appendice ad Radeuicum, Arnoldum Lubecenſem in Chronico Slauorum, Rogerium, Neubrigenſem, Bleſenſem ep. 169. Robertum S. Mariani, Aquicinctinum, cæteróſque, quos hîc conciliare non eſt operæ pretium: vix enim duo in eamdem mortis illius narrationem conſentiunt. Conradus Imperatoris filius, in cuius verba iurauerat exercitus, Antiochiam venit die 21. Iunij, & cadauer patris ante aram in Eccleſia S. Petri humandum curauit: alij Tyrum vſque detuliſſe aſſerunt, eóque ibidem ſepulto cùm ad Ptolemaïdis obſidionem veniſſet paullò poſt obiiſſe. Pridie Kalendas Auguſti Chriſtiani, qui Acconem obſidebant, inconſultis exercitus Principibus infeliciter pugnarunt aduerſus Saladinum, inſtigante eos Elberto Duacenſi Decano, qui in eo conflictu cum multis vſque ad ſex millia interiit, vt teſtatur Anonymus Aquicinctinus: alij id die S. Iacobi accidiſſe aſſerunt. *Philippus Franciæ Rex teſte Rigordo in feſto S. Ioannis Baptiſtæ ad Eccleſiam Beatiſſimi Martyris Dionyſij venit cum magno comitatu, & ante SS. corpora ſuper pauimentum marmoreum in oratione proſtratus Deo, & B. Mariæ omnibúſque ſanctis ſe commendauit, & cum lacrymis inde ſurgens ſportam, & baculum peregrinationis de manu Guillelmi Remenſis Archiepiſcopi auunculi ſui, quem Clemens III. Sedis Apoſtolicæ Legatum in Francia conſtituerat, deuotiſſimè accepit: Deinde duo ſtandalia ſeu vexilla pro memoria, & tutela SS. Martyrum contra inimicos Crucis Chriſti pugnaturus ex ipſorum ſepulcro propriis manibus accepit; teſtamentum Lutetiæ Pariſiorum fecit, & feria quarta, poſt octauas S. Ioannis Baptiſtæ cum Rege Angliæ Ricardo Vizeliacum (vbi requieſcit corpus B. Mariæ Magdalenæ, inquit Rogerus illius æui ſcriptor) ex condicto venit, ibíque accepta licentia ab omnibus Baronibus ſuis, Adelæ matri ſuæ, & Guillelmo auunculo pro tutela, & cuſtodia totum Regnum Francorum cum Ludouico filio commendauit. Inde Genuam profectus, omnibúſque intra breue tempus paratis è portu ſoluit Orientem verſus, ſed tempeſtate*

exorta in Siciliam pulsus Messanam appulit die 16. Sept. ibique hyemare coactus est, vnà cum Ricardo Rege, qui Massilia soluens, & in Italia iuxta castrum Plumbinum triremem ingressus oraque littorum praeuectus eodem appulit die 23. eiusdem mensis. In Festo Natali Christi idem Philippus Rex militibus, qui vi procellarum res suas in mari perdiderant multa ac magna dona largius est, Duci Burgundiæ, Comiti Niuernensi, Guillelmo de Barris, Guillelmo de Merloto, M. de Montemorentiaco, aliisque. Rogerius Houedenus de rebus à Ricardo ante susceptum iter in Anglia, & Normannia factis plura habet, necnon de Iudæis numero quingentis, qui se vxoresque suas ac liberos in turre Eboracensi interfecerunt, de Willelmo Eliensi Episcopo Apostolicæ Sedis per Angliam, & Scotiam Legato Cancellario Regis, supremóque totius Angliæ Iusticiario, de Hugone Dunelmensi Ep. *de Guillelmo de Chisi in Guasconia iussu Ricardi suspenso, quòd peregrinos S. Iacobi alió que per terram suam transeuntes spoliaret, de pera & baculo peregrinationis apud Turonium de manu Vvillelmi Archiepiscopi susceptis, de ponte Rhodani apud Lugdunum non sine multorum quibus onustus erat laesione corruente, de Rege Franciæ ægrotante Genuæ in ædibus iuxta Ecclesiam S. Laurentij cùm ad eum Massilia venit Ricardus, de B. Thomæ Cantuariensis apparitione, de discordia orta inter Messanenses, & Anglos, de pace inter Reges Messanæ inita 8 die Octobris, de epistola Ricardi ad Clementem Papam,* ac similibus quæ Lectorum diligentiæ reseruanda duximus, paucis dumtaxat exceptis, quorum I. est Sibyllam Reginam Hierosolymitanam duásque eius filias obiisse in Acconitana obsidione, & Conradum Marchionem de Monteferrato Dominum Tyri Melisendim sororem Sibyllæ, facto priùs de consensu Heraclij Patriarchæ diuortio cum Amfrido Toronensi marito eius, duxisse in vxorem, atque inuito Guidone, qui arbitrio Regum Franciæ, & Angliæ stare volebat, omnia iura regni sibi vsurpasse. II. post Festum S. Andreæ cepisse in exercitu Christianorum ingentem famem, quæ durauit vsque ad Purificationem B. Mariæ. III. Henricum Alemanniæ Regem auditâ morte patris sui reddidisse Henrico Leoni Duci Saxoniæ vniuersa quæ pater ei abstulerat, additis insuper decem optimis castellis. IV. Eumdem reconciliatis sibi omnibus misisse nuncios ad Clementem Papam, Cardinales, & Senatores Vrbis, vt in Imperatorem Romanorum promoueretur, saluis dignitatibus,

& consuetudinibus Romanorum, eíque statutum terminum veniendi Romam proximum Pascha, ante quod obiit Clemens Papa, vt postea declarabitur. V. Eodem anno Ricardum Regem Angliæ diuinâ inspirante gratiâ recordatum fœditatis vitæ suæ post contritionem cordis conuocatis vniuersis Archiepiscopis, & Episcopis suis, qui cum eo apud Messanam erant, nudum procidisse ad pedes eorum, vitæ suæ scelera ac libidines confiteri Deo coram illis non erubuisse, acceptáque pœnitentiâ factum fuisse virum timentem Deum recedentem à malo ac facientem bonum, quæ sanè vix conciliari queunt cum iis, quæ de eodem narrat idem Historicus. VI. Ab eodem accitum è Calabria Ioachimum, Abbatem de Curacio, Ordinis Cistercienſis, qui dicebatur habere spiritum propheticum, & ventura populo prædicere, & ab eo libenter audiisse interpretationes visionum Apocalypseos B. Ioannis Euangelistæ: quas tamen à vero aberrasse docuit euentus, vt pluribus ostendit in Annalibus Baronius Ioachimo non admodum æquus. VII. Ricardum dedisse Othoni nepoti suo filio Henrici Saxoniæ Ducis, & Mathildis sororis suæ Comitatum Eboraci, ac subinde in commutationem prioris *Comitatum Pictauensem.* VIII. Multos in obsidione Acconis seu Ptolemaïdis Magnates obiisse cum Sibylla Regina, eiúsque filiabus, scilicet Heraclium Patriarcham Hierosolymitanum, Conradum filium Frederici Imperatoris Ducem Sueuiæ, *Rotrodum Comitem Perticensem, Theobaldum Blæsensem, Stephanum Sacricæsariensem fratrem eius, Brenensem cum Andrea fratre, Ioannem Vindocinensem, Adamum Cambellanum Regis Franciæ*, multósque alios, quorum prolixum texuit indicem. IX. Sanctium Regem Portugalensem dedisse Tarasiam filiam suam Adelfonso Regi de S. Iacobo nepoti suo in vxorem, de qua genuerit tres filios, nec eam voluerit dimittere, quamuis adlaborante plurimum Romano Pontifice, donec ab Adelfonso Rege coactus post quinque annos propriam eius filiam relictâ priore accepit in vxorem permissione Cælestini Papæ pro bono pacis. X. Sanctium Nauarræ Regem in Africam abiisse, vt nuptias celebraret cum filia Boyaci Miramolini Imp. Africanorum, qui eodem anno mortuus est, cúmque abesset à regno Nauarræ, Castellæ Regem 24. oppida & Aragonensem Regem 18. ex eo occupasse. XI. In die

Natalis Domini quæ feria 3. euenit post prandium ortum dissidium inter Pisanos ac Genuenses cum Classiariis Angliæ Regis quos Galeotas vocat, quod vix sedari potuit. Addam iis omnibus ex Auctario Aquicinctino in hebdomada quæ præcessit Natiuitatem Dominicam factum fuisse prœlium in Hispania inter Reges Hispaniarum & Saracenos, in quo Christiani Deo auxiliante victores facti innumerabilem eorum multitudinem peremerunt.

ANNO ÆRÆ CHRIST. MCXCI. *Philippi Augusti Regis Francorum* 12. *in Episcopatu Parisiensi apud Pontisaram Sacerdos quidam Vvillelmus nomine, miræ in pauperes charitatis, vehemensque vitiorum insectator, ac diuini officij vigilantissimus prosecutor, vt verbis vtar Chronographi Antissiodorensis, dum litanias, quæ sunt ante Ascensionem Domini, cum populo ageret, subitâ ægritudine defunctus est.* Per hos quoque dies Benedictus quidam vir in sæculi rebus experientissimus cùm videret Romanam vrbem rapinis, & furtis & cædibus expositam primò sibi paucorum animos conciliat, dehinc pluribus aggregatis eligitur, vt totius Vrbis obtineat principatum. In eadem vrbe diem extremum obierat Clemens III. Papa die 25. Martij, post sedem annorum trium, mensium duorum, & dierum 10. alij differunt in diem 10. Aprilis. Suffectus ei Hyacinthus Bobo Romanus Cardinalis Diaconus vir grandæuus ac generosus die 12. eiusdem mensis Aprilis consecratus est ipso 14. Paschalis solemnitatis die, ac postridie Henricum Imperatorem cum vxore Constantia coronauit. *Philippus Franciæ Rex post aliquot in Sicilia cum Ricardo Anglo concertationes, pacémque ac concordiam cum eo tandem certis conditionibus initam, quas è Rogerio repetas velim, Messanâ soluit die 30. Martij, & feliciter appulit Ptolemaïdam siue Acconem die 20. Aprilis, sabbato post Pascha. Rex verò Ricardus cum exercitu suo remansit apud Messanam, eadémque die quâ Rex Franciæ recessit ex Sicilia Messanam aduenit Alienor Regina mater eiusdem Ricardi, & adduxit secum Berengeram filiam Sancij Regis Nauarræ, quam idem Rex Angliæ in vxorem ducturus erat. Is verò feria 4. ante Cœnam Domini Messanensem portum reliquit, & in die Parasceues Domini circa horam nonam exortâ graui tempestate, dissectísque nauibus in Cretam primùm, dein Rhodum, Cyprúmque appulit, quam insulam subacto Isaacio Comneno tyranno qui in ea regnabat, assumpto*

Imp. nomine, occupauit, eámque deinde Guidoni de Liziniaco Hierosolymitano Regi possidendam certis conditionibus tradidit. Die 12. Maij, Dominica desponsauit idem Ricardus apud Limezzum Berengeram, Nicolao Regis Capellano officium Sacramenti illius perficiente, eámque eadem die coronari fecit, & consecrari in Reginam Angliæ à Ioanne Ebroicensi Episcopo. In vigilia Pentecostes primâ die Iulij, Philippus Flandriæ Comes, qui indigentibus liberalissimus extiterat, obiit in castris Christianorum ante Ptolemaïdam tertio mense transfretationis suæ, & sepultus est in Basilica S. Nicolai in suburbiis Acconis, vbi etiam tumulati sunt plusquam 50. tam Episcopi, quàm Duces & Comites. Thesauros eius, si quæ Francorum hosti Rogerio fides, Rex Franciæ tanquam supremus Dominus possedit, & ab illa horâ quærebat occasionem recedendi ab obsidione Acconis, vt Comitatum Flandriæ sibi subiugaret. Is tamen ad Balduinum Montensem Comitem delatus est iure hæreditario vxoris suæ Margaritæ, quæ filia fuit Theodorici Alsatij, & soror Philippi defuncti, cuius corpus ex Syria postea translatum vxor eius Mathildis in Claraualle sepeliendum curauit. Eadem die prima Iulij, Regina Angliæ, & Regina Siciliæ Ioanna, & filia Isaacij Cypri Regis accesserunt ad portum Acconis. Ipse autem Ricardus relictâ Cypro feria 4. Pentecostes postridie Tyrum appulit, & die sabbato Acconem venit, ante quam Rex Franciæ fecerat sibi domum lapideam turritam, & petrarias aliásque machinas bellicas parauerat. Dein cùm vterque Rex grauiter ægrotasset, & à Philippo Ricardus sæpiùs dissentiret, atque in perurgendis assultibus minùs fideliter ac dissimulanter ageret, Philippus verò vehementissimè insisteret, murorum pars machinis nocte diéque incessanter iactantibus concussa crebris ictibus perfringitur, turris quoque mirabilis firmitatis fossoribus cuniculos subter agentibus conquassatur, hostésque vehementer à Francis arctati, cùm nullam sibi viderent adesse facultatem resistendi, colloquio eiusdem Regis expetito, vrbémque, & sua pariter, & se dedunt die 13. Iulij, post decursum ferè biennium, ex quo cœperat obsideri. Porrò Turci intra vrbem reperti, cùm pacta, quæ cum Rege inierant, tenere non possent, alij multo pretio euasere redempti, alij in compedibus ad seruiendum detenti, & nonnulli gladio trucidati. Qui verò in Syria erant hostes timore perculsi Ascalonem, aliáque castella, quæ Christianis eripuerant diruunt, vacuáque dimittunt. Quibus peractis Philippus Rex in Europam cogitans, apparatu omni suo sub manu Hugonis Burgundiæ Ducis commendato, vela fecit die 31. eiusdem Iulij mensis, in Italiam venit die 8. Octobris, tum de pluribus Ricardi Angliæ Regis iniuriis conquestus apud Romanum

Pontificem

Pontificem, in Galliam reuersus est ante diem Natiuitatis Dominicæ, quem sanus atque incolumis celebrauit apud Fontemblaudi, teste Rogerio qui eius reditum fusiùs descripsit. Ricardus verò in Palæstina relictus ruinis murorum Acconis reparatis, copiísque in tres partes diuisis, vbi aderant Gualterus Blesensis, Guido Montisfortis, Andreas de Chauuigny, Drogo de Mello, Theodoricus Comes Cliuensis, aliíque plures, cùm de Cæsarea pergeret versus Ioppen, sabbato Vigiliæ Natiuitatis B. Mariæ Saladinum in fugam conuertit, multísque Saracenorum cæsis, solus è Christianis cecidit Iacobus de Auesnis miles egregius. *Hæc & alia plura Rigordus, quem de morbo Ludouici filij Regis, factísque ad Deum pro eius incolumitate precibus, & de sacris S. Dionysij lipsanis consule, Vuillelmus Brito, Rogerus, Monachus S. Mariani, Aquicinctinus Anonymus, Iacobus de Vitriaco in Historia Orientali, similésque scriptores, qui etiam obseruarunt tentatâ frustra oppugnatione Vrbis Hierosolymitanæ, ac reædificatis Ioppe, Ascalone, Darâ, Gazâ, aliísque, quæ hostes diruerant, oppidis, Ricardum Ptolemaïde hybernasse.* De Eclipsi Solis 23. Iunij, & Anonymi cuiusdam doctissimi obseruatione ad firmandam temporum rationem vtilissimâ diximus in Chronico Technico. Bernam in Heluetiis modò potentissimam ciuitatem hoc anno conditam multi annotarunt, & Ferdinando Regi Legionensi ærâ 1228. defuncto successisse Alfonsum filium. Tusculum ab Imperatore Henrico Pontifici traditum ab eóque per vim extortum, aut ad pacem hoc pignore redimendam concessum, Romani ad solium vsque destruxerunt, iussis incolis, vt prius sua auferrent, alióque commigrarent, quâ de re plura Sigonius, Baronius, aliíque recentiores. Ipse verò Henricus Neapolim obsedit Tancredi partibus fauentem, in quâ obsidione Philippus Archiepiscopus Colonienſis, & alij Duces, Comitésque, atque omnis ferè exercitus pestilentiâ atque aëris iniuriis consumptus est. Cúmque Salernitani ciues, qui antea Imperatori fauebant, eius morte falsò vulgatâ ad gratiam Tancredi recuperandam cepissent Constantiam Augustam, quæ in eadem ciuitate degebat, custodiæque honestæ mancipassent, Imperator idem amissis exercitu atque vxore tristis rediit Mediolanum, siue in interiorem Italiam, vt loquitur Aquicinctinus, ex quo etiam discimus I. inter eos qui in obsidione Acconitana tam propriâ morte, quàm Saracenorum

telis mortui sunt, desideratos fuisse Balduinum Cameracensem Archiepiscopum, Rogerum Cameracensem Episc. Fridericum, qui aliis passim Conradus dicitur, Ducem Sueuorum, *Theobaldum Blesensem cum fratre Stephano Sacrocæsarienſi, Comites Clarimontis & Pertici, Hellinum Dapiferum Flandrensem, aliósque plures, de quibus etiam mentio facta est superioribus periochis: vt de Alberico Clemente Franciæ Mareſcallo nihil dicam, de cuius egregia morte Rogerus & Rigordus. II. In ciuitate Cameracensi electum Episcopum Ioannem, qui erat ciusdem Ecclesiæ Archidiaconus, & Atrebatensis Decanus. III. Desiderio Morinensi Episcopo in decrepita ætate à pastorali curâ absoluto, Lambertum de Brugis Cancellarium Remensem electum fuisse, & consecratum Episcopum. IV. Albertum Eremitam, Petri Eremitæ, qui Belli sacri auctor Vrbano II. Papæ fuerat, pronepotem ex Episcopo Bethleemitano Patriarcham Hierosolymitanum post Heraclij mortem à Cælestino III. Papa constitutum: sunt tamen qui annum* 1204. *huic promotioni, & Innocentij III. Pontificatum assignent. V. Radulfum Leodiensem Episcopum, qui cum Frederico Imperatore crucem assumpserat, dum è Palæstina rediret mense Augusto obiisse, duósque per contentionem electos, Albertum Godefridi VIII. Louanij siue Brabantiæ Ducis filium, & Albertum fratrem Comitis de Regitesta, Henricum verò ab expeditione Apulienſi reuersum vtriusque electione cassatâ Lotharium Bonnensem Præpositum ditissimum misisse Leodium, palatium Episcopi cum villis, & castellis ei tradidisse, ac clerum populúmque eidem obedire præcepisse. VI. Eumdem Albertum Louanienſis Ducis fratrem assumpto ob metum Imperatoris pauperis viatoris habitu, ad pedes Cælestini Papæ in Lateranum peruenisse, qui auditâ electionis ratione atque concordia literas eidem tradidit, mandans Colonienſi Archiepiscopo, vt ei munus consecrationis conferret.*

Anno Christi MCXCII. *ineunte Philippus Augustus ad Ecclesiam S. Dionysij venit, & ante corpora SS. prostratus Deo, & beatis Martyribus gratias referens in pignus amoris pallium sericum optimum super altare posuit: tum* 15. *Kalendas Aprilis, auditâ apud S. Germanum de Laia cuiusdam Christiani morte à Iudæis ignominiosè perpetratâ, ad castrum Braiam velociter accessit, comprehensósque Iudæos* 80. *& eo amplius fecit comburi. Pridie Idus Maij, apud Nouigentum in Pertico visæ sunt acies militum de aëre in terram descendentium, ibíque factâ mirabili inter se pugna subitò euanuerunt, vt docet Rigordus, qui etiam meminit Eclipseos Lunæ, de qua in Chronico Technico,*

ex Monacho Aquicinctino. Verùm in eo errat, quòd Maio sequenti sexto Idus ipsius mensis tempore Rogationum, ista enim sunt prorsus ἀσύμφωνα, asserat Guillelmum Anglicum sacerdotem sanctitate vitæ, & miraculis pollentem, de quo iam supra meminimus ex Chronographo Altissiodorensi, apud Pontisaram migrasse ad Dominum. Cùm autem in eadem vrbe Rex moraretur, literæ de transmarinis partibus ad eum allatæ sunt, quòd suggerente Ricardo Anglorum Rege, mitterentur ad eius necem Arsacidæ: interfecerant enim, vt mox narrabimus, Conradum Marchionem Regis consanguineum, virum in armis strenuum, qui viribus suis & potentia Terram sanctam antequam Reges illuc venirent, mirâ strenuitate rexerat. Quibus nuntiis auditis Rex irâ inflammatus, statim ab eo castro recessit, misítque quosdam ex suis ad vetalum Arsacidarum Regem, vt per ipsum rei veritatem diligentiùs, pleniúsque cognosceret: atque ad maiorem cautelam custodes corporis sui clauas arcas semper in manibus portantes, & per totam noctem alternatim circa ipsum vigilantes instituit. Balduinus Hannoniæ ac Flandriæ Comes, cum præcipientibus literis Regis ad curiam eius Parisios venisset, cernerétque se nec humanè nec benignè susceptum, Rege insalutato clam à ciuitate discessit, deinde sibi, terræque suæ consulens, ad recuperandam Domini sui gratiam, Abbatem Aquicinctinum, & Camberonensem ad eum direxit. Tandem post aliquod tempus operâ Vuillelmi Remensis Archiepiscopi, & Petri Atrebatensis Præsulis pax inter Regem Comitémque firmata est apud Parronam, quò Rex in septima hebdomada ante Pascha cum suis Episcopis, & Baronibus venit, & hominium à Balduino Comite recepit, cui Orientalem Flandriæ partem possidendam permisit, Occidentalem sibi reseruans, hoc est Atrebatum, Ariam, S. Audomarum, Bapalmas, Comitatus Hesdinensem, & Lensensem, cum hominagiis Bononiensi, S. Paulli, Gisnensi, & Lillensi siue Insulensi, quæ dederat Philippus Comes ipsi Regi, quando ei neptem suam Elisabetham filiam Margaritæ sororis suæ legali matrimonio coniunxit, vt docet Anonymus Aquicinctinus, quo etiam auctore constat I. Conradum Marchisum Montisferrati, qui Tyrum iusto moderamine regebat, *machinatione cuiusdam potentissimi Principis Christiani (Ricardum Angliæ Regem eius criminis suspicione afflatum fuisse insinuant, quæ supra ex Rigordo annotauimus, nec abnuit quamuis id dissimulare videatur Rogerius) probitati & felicitati eius inuidentis*, cùm in diebus Paschalibus 3. seu vt alij 5. Kal. Maij, in loco ciuitatis, vbi monetarij erant, super equo sedens ad eos intenderet, subitò à duobus sicariis, qui Arsacide siue Assidei

dicuntur, vtrumque eius latus cultellis figentibus clarâ die astante populi frequentiâ crudeliter interfectum. Vnum eorum plagis innumeris in momento expirasse, alterum viuum captum flammis crematum asserit Robertus S. Mariani Monachus: excoriatum verò docet Rogerus. *II. Richardum Regem Anglorum, Hugonem Burgundiæ Ducem, cæteróſque Principes, Templi quoque & Hoſpitalis Milites, communicato ad inuicem consilio Henricum Comitem Campaniæ constituisse Principem totius Christianitatis transmarinæ, excepto Comitatu Antiocheno, éique vxorem Conradi defuncti in coniugio tradidisse cum Tyro, Ascalone, Ptolemaïde, Cæsarea, Ioppe, aliísque castellis super littus maris stantibus. Guidoni verò Lisiniano, quondam Regi, traditam fuisse Cyprum (ereptam Templariis quibus ea pro 25. millibus marcarum argenti antea vendita erat) cum filia Isaaci Comneni, quem secum vinctum Acconem vsque duxerat Rex Anglorum Ricardus.* III. Cælestinum Papam acceptis à Tancredo Legatis valdè fuisse indignatum, & ad eum versâ vice duos Cardinales misisse cum mandatis, vt Imperatricem de custodiâ eductam Imperatori remitteret. Si verò hoc facere nollet, anathemate perpetuo se feriendum cum parte prouinciæ, quæ illi fauebat, pro certo sciret. Tancredum verò Pontificis imperio statim paruisse, & haud multò pòst tempore obiisse. *IV. Ricardum Regem Angliæ cupidum, & auarum, omníque Christianitati inuisum, magno auri accepto à Saladino precio, Ascalonem nominatissimam ciuitatem Christianorum subuertisse:* quod Rigordus etiam aliíque obseruarunt, éaque miserâ conditione interpositâ inducias trium annorum inter Christianos, & Saracenos transmarinos firmatas. *V. Vuillelmum Remensem Archiepiscopum acceptis à Cælestino Papa, & ab Archiepiscopo Colonienſi literis Albertum Leodicensem electum in ciuitate Remensi Septembri mense die 20. Dominico Episcopum consecrasse. VI. Henricum Imperatorem nimiùm ordinatione illa indignatum Leodium veniſſe, & domos Clericorum, qui Alberto adhærebant, subuertisse, eidémque Episcopo regni sui introitum interdixisse.* VII. Cælestinum Papam auditâ morte Tancredi, eiusdem filium Guillelmum sub tutelâ Sibyllæ matris in Apulia, Calabria, & Sicilia Regem sublimasse contra Henricum, quem propter Albertum Leodicensem Episcopum, aliásque latentes causas infestum habebat. *VIII. die 21. Nouembris, alij 24. feria 3. Albertum eumdem à quibusdam proditoribus extra Remensem vrbem edu-*

ctum inauditâ mortis crudelitate peremptum fuisse, & sepultum cum magnis omnium lacrymis in Ecclesia B. Mariæ. Eius sacra lipsana Albertus Pius Belgarum Princeps inde transferri curauit Bruxellas in ædem Carmelitanarum, & Paulus V. Beatis adscripsit, vt pluribus docet Miræus tum in Chronico, tum in Fastis Belgicis, aliisque operibus. VIII. Hugonem III. Ducem Burgundionum in Palæstinâ mortuum fuisse succedente Odone III. eius filio. Obiit Raimundus Barralus Massiliensis Vicecomes, & Rex Aragonensis obsedit Massiliam, ex Chronico S. Victoris ad Cyclos Paschales pag. 341. Nouæ Bibliothecæ. Quæ ad Richardi res in Syria gestas pertinent minutatim exequitur Rogerus, sed vix vllum in iis egregium apparet, quod nos aliò properantes diutiùs debeat remorari: quare annotato dumtaxat obitu apud Acconem, *tum Burgundiæ Ducis, tum Radulfi de Codiciaco, & Vicedomini Pinkenniacensis, obseruabimus eumdem Richardum ex portu Acconensi soluisse 8. Idus Octobris feria 5. & infra mensem post diem illum applicuisse ad Insulam Corcyram, dein prope Ragusam, siue inter Venetias, & Aquileiam in Histria, mutato habitu, cùm per Germaniam, vt ad nepotem suum Otonem Ducem Saxoniæ peruenire posset, iter faceret, prope Viennam detectum fuisse, captúmque non longè ab illa vrbe in parua quadam villa à Duce Austriæ Leopoldo, qui eum, à quo in obsidione Acconensis vrbis verborum contumeliis frequenter fuerat appetitus, deinde Henrico Imperatori tradidit, cui exosus erat, tum ob alias causas, tum propter auxilium Tancredo Regi Siciliæ præstitum, & necem Conradi Marchionis consanguinei sui. Idem subiungit I. Regem Franciæ colloquio cum Senescallo, & Proceribus Normanniæ habito petiisse ab illis Alesiam sororem suam, quam custodiebant in turre Rotomagensi, & castellum Gisortij cum Comitatibus Aucensi, & Albæmarlæ, éisque ostendisse chirographum factum inter ipsum, & Regem Angliæ apud Messanam, nec tamen quicquam persuasisse. II. Ægrotante Vasconiæ Senescallo, Comitem Petragoricensem, & Vicecomitem de Marchia, & ferè omnes Barones Vasconiæ, terras Regis Angliæ vastare cœpisse. Verùm eumdem sanitati restitutum Comitis illius Vicecomitísque castra cepisse, & auxilio filij Regis Nauarræ ad portas vsque Tolosæ progressum, cum suis sub ipsis ferè muris pernoctasse. III. Henricum Imperatorem de captione Ricardi Regis ad Philippum Regem Franciæ literas scripsisse, quas recitat cum epistola Vvalteri Archiep. Rotomagensis ad Hugonem Dunelmensem Episcopum. IV. Ricardum conquestum fuisse de proditione Ioannis fratris sui Comitis Moretonij, cui tot beneficia, & honores contulerat immensos,*

qui se Regi Franciæ contra eum dederat. V. Richardum Regem Angliæ in captione Henrici Romanorum Imperatoris detentum, vt è vinculis liber euaderet, consilio Alienordis matris suæ deposuisse se de regno Angliæ, & tradidisse illud Imperatori sicut vniuersorum domino, & inuestiuisse eum inde per pileum suum, Imperatorem verò ex condicto statim reddidisse ei in conspectu Magnatum Alemanniæ & Angliæ regnum illud tenendum, vt ipse loquitur, de ipso pro quinque millibus librarum sterlingorum singulis annis de tributo soluendis, & cætera, quæ anno sequenti melius arbitror conuenire quàm præsenti.

Anno Christi MCXCIII. *Philippi Augusti 14. cùm Ioannes Comes Moretonij in Normanniam transfretasset, & à Senescallo Normanniæ aliísque Proceribus frustra inuitatus esset, vt cum iis ad colloquium cum Rege Franciæ accederet, profectus ipse ad Regem eumdem hominium illi de Normannia, & de cæteris fratris sui transmarinis terris, & de Anglia, vt dicebatur, fecit, iuraúitque se Aleſiam sororem eius in vxorem ductiurum, concesso in perpetuum Gisortio cum Vulrassino Normannico, modò Rex cum eadem sorore sua partem Flandriæ, quam obtinebat, ei permitteret. Iis peractis deinde traiecit in Angliam, cúmque Londonias venisset, & à Vvaltero Arch. Rotomagensi, & Iusticiariis regnum Angliæ sibi petiisset cum fidelitatibus regni, affirmans Ricardum fratrem suum mortuum esse, repulsam ab iis passus, castella sua muniuit, multísque collectis qui ad eum vndique confluebant, terras fratris sui quas Iusticiarij viriliter tutabantur, hostiliter inuasit: & Rex Franciæ Philippus ducto in Normanniam exercitu, receptísque pridie Idus Aprilis Gisortio, & Nieſla, aliísque ad Vulcassinum spectantibus castris Rotomagum obsedit, sed ciuibus strenuè repugnantibus, incensis 24. petrariis, quas in circuitu ciuitatis locauerat, in Franciam rediit. Ex Rigordo tamen & Villelmo Britone Rotomagensis obsidio videtur in anni sequentis Februarium mensem ante Quadragesimæ exordium differenda, vt ex Eclipsi Lunæ, quæ præmittitur, manifestum appareret: superueniente mense Februario, inquit Rigordus, Philippus Rex collecto exercitu iterum intrauit Normanniam, & ciuitatem Ebroicam cepit, & Nouumburgum, & vallem Ruolij, & multas munitiones alias fortissimas sibi subiecit, & quamplures destruxit, & multos milites cepit, & Rotomagum obsedit: sed consideratá loci munitione, & damno suorum nimio furore succensus combustis petrariis, & manganellis suis, aliísque ingeniis, recessit, ac tandem sacro tempore Quadragesimæ superueniente à bello quieuit. Hæc ille. Quæ si vera sunt bis obsessum oportet fuisse Rotomagum, quod tamen nec Rogerius, nec Mo-*

nachus Aquicinctinus, nec auctor Chronici Rotomagensis, aliíve obseruarunt. Idem Philippus Rex secundam duxit vxorem Ingeburgem, quam missio in Daniam Stephano Nouiomensi Episcopo, à Kanuto IV. fratre impetrauerat, Ambianis in Vigilia Assumptionis B. Mariæ Virginis: sequenti verò die Assumptæ eiusdem Deiparæ festo, qui Dominicus extitit, eadem præsente Vvillelmo Remensi Archiepiscopo, eiúsque Suffraganeis Episcopis, pluribúsque Franciæ Principibus, regio diademate coronata est. Octogesimo autem & secundo die post has nuptias quorumdam consilio apud Compendium Rex cum suis Archiepiscopis, Episcopis, ac Baronibus colloquium habuit: vbi quidam consanguinitatem inter primam Reginam, & secundam iurauerunt: Quo iuramento ab iis accepto absque vlla dilatione, & consilio dimisit eam. Hæc Aquicinctinus Anonymus, quæ ex Rigordo, Vvillelmo, aliísque Historicis paucis annotatis licebit illustrare. I. Ipso die coronationis instigante diabolo quibusdam, vt dicebatur, maleficiis per sortiarias impeditum Regem vxorem tam longo tempore cupitam exosam habere cœpisse. II. Linea consanguinitatis per Karolum Comitem Flandrensium (immò potiùs per Annam Henrici I. Regis vxorem, & Philippi I. matrem eiúsque fratrem Izoslaum, vt pluribus docet Blondellus pagg. 324. & 325. Diatribæ de Formula Regnante Christo) ab Episcopis & Baronibus computata per censuram Ecclesiasticam matrimonium huiusmodi fuisse separatum. III. Ingeburgem ad Danos redire nolentem in locis religiosis Galliarum manere decreuisse, ibíque fisci opibus fuisse sustentatam. IV. A Cælestino Papa ad expostulationem Danorum missos fuisse in Franciam Legatos Cardinales Meliorem Presbyterum, & Cencium Subdiaconum: Qui Parisios venientes conuocauerunt Concilium omnium Archiep. & Episc. necnon Abbatum totius regni: sed quia facti sunt canes muti non valentes latrare, timentes pelli suæ, nihil ad perfectum deduxerunt. Verùm Concilium illud in annum vsque 1196. differri debuit. Nonnulla quoque ex Chronico Aquicinctino obiter delibanda. I. Rogerium beatæ memoriæ conuersum Aquicinctinum obiisse. II. Henricum Ducem Louanienſem cum Henrico patruo Duce Ardennensi siue Limburgensi, insurrexisse contra N. Comitem de Hostada & Dalemio, fratrémque eius Lotharium, quem in locum Alberti Remis occisi subrogarat Imperator, & vtrumque captis eorum castellis ad Imperatorem fugere compulisse. III. Cælestinum Papam omnes Alberti interfectores perpetuò anathemate innodasse. IV. Ecclesias Angliæ, & Normanniæ ac Monasteria thesauris suis ob redemptionem Regis Anglorum spoliata. V. Lotharium Leodiensem intrusum

omni Eccleſiæ prælatione à Papa priuatum. VI. Henricum Imp. cum Ducibus Louanienſi, & Ardennenſi ita ſtatuiſſe, vt cum conſilio Capituli liceret quem vellent eligere in ſede Louanienſi, eóſque elegiſſe Simonem filium Ducis Ardennenſis, quod tamen Papæ poſtea diſplicuit. VII. Fratrem Gaufridum Domus Hoſpitalis Hieroſolymorum Magiſtrum datis literis in exitu Aprilis ſcripſiſſe in Galliam mortuum fuiſſe Saladinum die Mercurij in prima ſeptimana Martij, alij diem 16. Februarij, in prima Quadrageſimæ hebdomadâ aſſignant, & poſt eius mortem inter filios eius maximam diſſenſionem ortam: Quilibet enim illorum, quorum alter eſt, inquit, in Halapia, alter in Damaſco, alter in Babylonia commoratur, ſe fratri ſuo ſubiectum eſſe faſtidit. Alij inter eoſdem & Saphadinum Saladini fratrem de regno diutiùs concertatum fuiſſe tradunt. VIII. Albertum Magnum in vico Sueuiæ Lauginga natum. IX. S. Ioannem Gualbertum inſtitutorem ordinis Vallis vmbroſæ à Papa in Sanctorum numerum relatum. X. Denique Panormi ex Conſtantia Rogeri filia, & Henrici Imp. vxore natum fuiſſe Fridericum, magno, vt additur, Eccleſiæ damno. Benedictus, de quo anno ſuperiori, dum ſe Romæ magnificentiùs ageret, inuidiam contra ſe excitat Romanorum, eorúmque factione in Capitolio obſidetur & capitur, captúſque diu in cuſtodia detinetur, vt narrat Chronologus Antiſſiodorenſis. *De pactis initis inter Ricardum Angliæ Regem, & Imperatorem, Regémque Franciæ, aliíſque ad eius reditum in Angliam pertinentibus, conſulendos moneo præ cæteris Rogerium, Neubrigenſem, & Pariſium, qui omnia ac ſingula copioſiùs cæteris proſequuntur; ex quibus aliíſque præſertímque ex Petri Bleſenſis epiſtolis plurima in ſuos Annales retulit Baronius, quem de Patriarchis C P. & Theodori Balſamonis ſcriptis ac Pſeudoalexij cæde differentem Lector ocioſus euoluet, neque enim omnia breuibus pagellis datur, vel ipſo etiam, vt ita loquar, digito in fontes intento accuratiùs indicare.*

Anno Chriſti MCXCIV. *Philippi Auguſti* 15. *Michaël Decanus Pariſienſis vir honeſtate vitæ, & prærogatiua literaturæ famoſus à clero tranſmarinæ Eccleſiæ electus eſt in Patriarcham Hieroſolymitanum, ſed interim dum hanc electionem detrectat ſuſcipere, reuolutis quindecim diebus Senonenſi Eccleſiæ conſenſu Regis Philippi promouetur in Archiepiſcopum Guidonis anno ſuperiore defuncti ſucceſſorem, & 8. Kal. Maij conſecratur. Carnotum ciuitas populoſa ædificiíſque con-*

ferta

ferta habita exustione vastatur, eóque incendio insignis Ecclesia nomine Dei Genitricis ornata cum toto claustro conflagrauit, & corruit, vbi etiam reliquiarum, & hominum multitudo necnon & ornamentorum congeries immensa deperiit. Philippus Rex mense Februario collecto exercitu Normanniam intrauit, & ciuitatem Ebroicensem, Nouumburgum, & Vallem Ruolij cum aliis castris cepit: dein tribus elapsis mensibus Vernolium obsedit sed non cepit, licet magna murorum parte iam destructa, nam cùm rumor sparsus esset, quòd ciuitas Ebroica à Normannis capta esset, & milites Regis ibidem capti, pluréſque ex iis fuissent capite minuti, & ipse Rex nimio furore succensus ab obsidione recessisset, fugatísque Normannis eam funditus euertisset, ipsis etiam Ecclesiis contritis, qui Vernolium obsidebant subitò collectis tentoriis relictis que alimentis ac spoliis recesserunt, & Regem sequuti sunt. Chronologus Aquicinctinus narrat omnia distinctius: Philippum ob iniurias Anglorum Francis illatas circa Ascensionem Domini obsedisse Vernolium: Hoc audito Richardum transfretasse cum copiis, electósque milites misisse ad ciuitatem Ebroicensium, qui castellum ingressi per proditionem ciuium omnes interfecerint: Philippum verò compertâ suorum nece relictâ Vernolij obsidione cum electis militibus Ebroicas venisse, totámque vrbem cum templo S. Taurini Episc. & aliis monasteriis subuertisse in solemnitate S. Spiritus. In quâ Atrebati contigit, vt mulier eodem ligata stipite cum fratre Clerico homicidij reo, illo combusto, ipsa B. Mariæ meritis liberata sit. Leicestriæ Comes Guillelmus à Rege Philippo captus 17. Kal. Iulij, Stampis in carcere positus est. 7. Idus Iulij, grando cecidit horrenda in modum lapidum quantitatis non modicæ quæ in pluribus locis segetes ac vineta ingenti strage vastauit. Eam cladem pluribus describit Rigordus, quem vide sparsim plurima miracula in Ecclesia S. Dionysij perpetrata narrantem, Virúmque Virsionensem per preces eiusdem B. Dionysij de carcere liberatum apud Rotomagum. Interim Rex Angliæ Ricardus, de cuius reditu nonnihil postea dicemus ex Rogerio Houedeno, cum exercitu suo Lochas venit, & Canonicos S. Martini eiecit, rebus eorũ violenter ablatis, pluribúsque iniuriis in Ecclesias Dei illatis. Quòd cùm didicisset Rex Franciæ ipse quoque cepit versa vice omnes Ecclesias, quæ erant in regno suo pertinentes ad Episcopatus & Abbatias quæ erant sub potestate Regis Angliæ. Thesauros quoque multos in diuersis locis congessit expensa modica contentus, dicens prædecessores suos Francorum Reges cùm iis carerent, nec stipendiariis militibus tempore necessitatis quicquam ministrare possent, bellis ingruentibus diminutionem passos fuisse non modicam. Idem ciuitates muniuit, muros reparauit, castella

innumera reparauit, vias vrbium saxis sterni iussit, &c. Cùm idem Philippus Rex cum exercitu transiret per terram Ludouici Blesensis Comitis, Rex Angliæ ex improuiso de nemoribus egressus cum non modica militum caterua sagmarios Regis Franciæ cum pecunia ingenti variáque supellectile (amissum Regis sigillum cum libellis computorum fisci docet Vvillelmus Armoricus) abduxit. Ioanne sine terra & Comite de Arundello cum Rotomagensibus interim Vallem Ruolij obsidentibus, in quos cum paucis balistariis nocte irruens Philippus illucescente Aurora castra eorum irrupit, & in fugam relictis spoliis multísque cæsis captísque compulit. Henricus Imperator qui ad peruadendam Apuliam Siciliámque sæpiùs aspirarat, auditâ morte Tancredi Regis terra maríque copiosum exercitum trans Alpes duxit, Caieta ac Neapoli in deditionem acceptis susceptus à regni principibus Apulienses, Calabros & Siculos, quandámque etiam Africæ partem absque vlla sanguinis effusione subiugauit, Panormitanorum ciuitatem expulsis habitatoribus pænè totam destruxit, quòd eorum factione Imperatrix capta fuisset, Primatésque qui contra eum coniurauerant cepit, & incarcerauit. Fidem deinde Sibyllæ Reginæ datam quâ Guillelmum Tarenti Principem se relicturum promiserat, turpiter violauit, &c. quæ volens prætermitto. Margarita Hannoniæ Flandriæque Comitissa obiit, & in templo sancti Donatiani Brugis iuxta Carolum Comitem sepulta est, sícque ad successores Balduini Hasnonienſis dicti Flandria rediit, defunctis qui è Roberto Casletensi duxerant originem. Guidone Lisiniacensi Hierosolymorum ac Cypri Rege mortuo succedit Amalricus frater eius. Casimirus Poloniæ Rex veneno extinguitur in conuiuio die quinta Maij, succedente sub tutela matris Lesco filio, qui dictus est Albus, & alternante fortunâ ter electus ter repulsus. Obiisse quoque memorantur I. Sanctius Nauarræ Rex Pampelone die 27. Iunij, anno regni 43. cui successit filius eiusdem nominis Sanctius seu potiùs Alfonsus, vt mox dicemus ex Rogero, qui postea à Regibus Aragoniæ, & Castellæ pulsus est; *II. Raimundus Tolosæ siue sancti Ægidij Comes succedente Raymundo eius, & Constantiæ sororis Ludouici VII. Francorum Regis filio. Lambertus paruus Leodici ad sanctum Iacobum Monachus Chronicon ab anno 988. ad hunc vsque annum scripsit.* His præmissis placet adire Rogerium, ex quo pluribus insuperha-

bitis obſeruabimus, I. Henricum Imper. cum Magnatibus imperij ſui, Ricardo eiúſque matre Alienorde ac tribus Epiſcopis regni ſui conueniſſe apud Moguntiam in Purificatione B. Mariæ, ibíque colloquio habito Ricardum à Moguntino, & Colonienſi Archiepiſcopis matri ſuæ redditum fuiſſe pridie Nonas Februarij, feria ſexta, poſtquam in captione Imperatoris fuiſſet per ſpatium vnius anni, ſex hebdomadarum, & trium dierum. II. Imp. tradidiſſe Ricardo ſaluum conductum vſque ad portum Antuerpienſem quò conuenerat multitudo nauium ex Anglia, ad quam tandem appulit apud Sandwicum portum die Dominica tertio Idus Martij, & caſtella aliáſque munitiones, quas Ioannes frater eius aliíque rebelles obtinebant inuaſit, & concilium de negotiis publicis Notinghami per plures dies celebrauit. III. Die 17. Aprilis Dominica in octauis Paſchæ eumdem Ricardum Vintoniæ in Eccleſiæ S. Swithuni iterum in Regem Angliæ coronatum. IV. Willelmum Regem Scotiæ de Curia Regis Angliæ receſſiſſe die 22. Aprilis, feria 6. dolentem & confuſum, quod de Nortumbriæ Comitatu repulſam fuiſſet paſſus. *V. Cùm transfretaſſet in Normanniam Ricardus Ioannem fratrem eius Comitem Moretonij relicto Rege Francorum ad eum acceſſiſſe. VI. Alfonſum fratrem Berengeræ reginæ auditâ morte Sancij patris rediiſſe in Nauarram receptúmque à ſubditis in Regem. VII. Vuillelmum Remenſem Archiepiſcopum, Comitéſque Niuernenſem, & Barrenſem cum aliis conueniſſe prope Vallem Rodolij feria 6. poſt feſtum S. Barnabæ de induciis inter Reges firmandis, ſed fruſtra. VIII. Ricardum poſt captum ex inſidiis Regium theſaurum, Capellam Regiam, & chartas eorum qui ſe tradiderant Regi Franciæ, & Comiti Ioanni, perrexiſſe in Pictauiam ad debellandos Gaufridum Ranconienſem, & Vicecomitem de Engolſma, eiúſque victoriæ teſtes literas miſiſſe in Angliam d e 22. Iulij. IX. Philippum Regem Franciæ intuitu Dei ad preces Cardinalis, & Abbatis Ciſtercienſis conceſſiſſe Regi Angliæ, & ſuis treugas certis conditionibus quæ recenſentur in literis Dragonis Conſtabularij, & Vrſionis Camerarij, &c. datis 23. Iulij. X. Gaufridum Eboracenſem Archiepiſcopum cum Ricardo Rege fratre ſuo reconciliatum fuiſſe. XI. Ioannem Beleſmeium depoſito Lugdunenſi Archiepiſcopatu contentum redditibus centum librarum eſterlingorum in domo Claraualleníi vitam immaculatam Deo, & hominibus placentem vſque ad conſummationem duxiſſe.* XII. Leopoldum Ducem

Austriæ adhuc permanentem in sententia excommunicationis, quam aduersus eum Papa tulerat propter captionem Regis Angliæ, multis à Deo plagis fuisse afflictum, quas præter Rogerium narrant Matthæus Parisiensis, Guillelmus Neubrigensis, aliíque, ex quibus mutuatus est Baronius ea quæ pluribus retulit sequenti anno. Omittunt tamen Angli quod in Auctario Aquicinctino legitur Ricardi iussu excoriatum fuisse vnum, qui Dapifer Ioannis fratris eius fuerat.

Anno Christi MCXCV. *Philippi Augusti* 16. *Martij mensis die* 28. *in pago Cameracensi tempestas cum tonitru horribili cecidit, quæ vnam villam cum templo ita destruxit, vt vix in ea paruæ remanerent reliquiæ. Electio Simonis Leodiensis Episcopi à Cælestino Papa infirmata est Alberto Cuquensi confirmato. Simon paullo post Romæ obiit: cúmque Albertus in reditu Cistercij agrotasset, eiusque mors vulgata esset, elegerunt Canonici Leodienses in Episcopum filium Philippi de Montefalconis. Obiit Balduinus Comes Hainoënsis, & Marchio Namurcensis* 16. *Kal. Ianuarias, & sepultus est Montibus apud Castrilocum cum patribus suis, quorum hîc genealogiam texit Anonymus Aquicinctinus. Successit Balduinus filius, qui viuente adhuc patre duxerat Mariam Henrici Comitis Campanienſis, & Mariæ Ludouico VII. Rege Francorum genitæ filiam, & post aliquot annos susceptæ in Orientem expeditione electus est Imp. C P. Mense Iulio, inquit Rigordus, redditæ sunt treugæ à Ricardo Rege Angliæ, & bellum denuò inceptum. Alesiam sororem suam è Normanniâ, vbi detinebatur, reducem Philippus Rex in coniugem dedit Ioanni Comiti Pontiuensi* 13. *Kalendas Septembris, & Vallem Ruolij, quam munitam tenebat Ricardus ipso vidente, & acerbiter indignante funditus euertit. Ricardus idem collecto exercitu castrum, quod Arcas vocant, obsedit, sed irrito conatu; superueniens enim Rex Francorum cum sexcentis electis militibus omnes Normannos fugauit, & villam opulentissimam, quæ Deppa vocatur destruxit, homines abduxit, & naues eorum iniecto igne Græco combussit, cúmque reuerteretur, ex improuiso Ricardus ex syluis egressus, quosdam extremi agminis interfecit. Interim in Bituricensi pago Merchaderius Cotarellorum, & Ruptariorum Dux Exolduni suburbium destruxit, munitionem ipsam cepit, & Ricardo seruauit, &c. Eo anno tanta aëris intemperies facta est inundantibus pluuiis, vt segetes antequam colligi possent in ipsis spicis, & folliculis germinauerint: vnde hoc vt præcedenti anno, fames valida exorta est, ad quam sublenan-*

dam Philippus Rex largiores tribuit eleemosynas, & Prælatos, Principes, omnésque diuites ad sustentationem pauperum exemplo suo atque hortatibus excitauit. Conuentus B. Dionysij, inquit Rigordus, omne argentum quod præ manibus habere potuit, pauperibus erogauit. Vehementem hanc famem per quatuor continuos annos adeò multiplici calamitate Galliam confeciſſe testatur Monachus S. Mariani, vt multi qui antea multis copiis floruerant publicè mendicarent; nec modo quarumlibet frugum, sed & vini, & olei, & salis, rerúmque omnium, quibus humana fragilitas indiget, penuriam extitisse. Fulcone Sacerdote in Galliis prædicare exorso multi ab vsuris reuocati fuisse dicuntur. Transacto inducíarum tempore Nouembri mense Philippus collegit exercitum in pago Bituricensi iuxta Exoldunum, Rege Angliæ cum copiis suis ex opposita parte castrametato, dúmque vterque ad prœlium armis accingeretur, contra omnium ibi existentium opinionem, Domino miraculosè operante factum est, vt Rex Angliæ, depositis armis, cum paucis suorum ad Francorum Regem quantocyùs venerit. Vbi coram omnibus pro Ducatu Normanniæ, & Comitatibus Pictauiæ & Andegauensi hominium fecit Philippo, & deinceps de pace firmanda vterque Rex iuramentum in eodem loco præstitit. Hæc verò pax inita fuit anni sequentis initio inter Vallem Ruolij, & castrum Gaallonij in octaua Epiphaniæ seu paullo post die 15. Ianuarij, conuocatis vtrímque Archiepiscopis Episcopis, & Baronibus, obsidibúsque ex vtraque parte præstitis, vt in authentico vtriusque continetur instrumento, quod V. C. Andreas Ducheſnius primum edidit pagina 1053. ingentis illius Voluminis quo Historiæ Normannicæ antiquos scriptores in vnum collectos anno 1619. vulgauit. Addit idem Rigordus Philippum Regem non immemorem patroni, & defensoris B. Dionysij quàm citissimè potuit ad Ecclesiam eius properasse, & pro gratiarum actione Deo, & Beatis Martyribus pallium sericum pretiosum super altare obtulisse. Ex Rogerio verò inter cætera discimus in priori colloquio cum Rege Angliæ decretum fuisse, quòd Ludouicus filius, & hæres Regis Franciæ duceret in vxorem sororem Arturi Britanniæ Ducis neptem Ricardi, iísque eorúmque hæredibus idem Rex Angliæ permitteret Gisortium, Neaflam cum Vulcassino Normannico, Vernone, Iurea, Pasciaco, & 20000. marcis argenti, &c. Henricus Imperator ab Apulia victor cum triumpho reuertitur in Germaniam, adducens secum Sibyllam Tancredi viduam, eiúsque filium Guillelmum, & principes qui aduersus eum rebellasse dicebantur, pessimóque violatæ fidei exemplo, causatus quamdam in se

conſpirationem, Sibyllam reginam carceri mancipauit, filium quem Tarenti Comitem fecerat, luminibus priuauit, Tancredíq; præcipuos amicos multis cruciatibus iniuriíſque exagitauit, coniuge ſuâ cum filio, quem ex ea nuper ſuſceperat, apud vrbem Panormum derelictâ cum Conrado, quem Siciliæ præfecit. Immò & Rauennam ac Mathildæ Comitis terras quibus voluit dicitur diſtribuiſſe anathemate percuſſus à Romano Pontifice, quòd exactam à Richardo Rege Angliæ pecuniam reſtituere renuiſſet, *&c.* quæ apud Sigonium, Baronium, alióſque leges ex vetuſtioribus collecta. Aben-Ioſephus, quem vſitato per ea tempora vocabulo Miramolinum Africæ vocant ſynchroni Scriptores, ingenti collecto Afrorum, Numidarum, Macrorúmque exercitu ad ſexcenta millia, in Hiſpaniam transfretauit, & regione longè latéque vaſtatâ Alfonſum Toleti ſeu Caſtellæ Regem die 19. Iulij, feria 5. æra 1233. ſuperauit, cæſis 50. hominum millibus, factáque innumerabili Chriſtianorum ſtrage Bæticam aliáſque prouincias occupatas rapinis cædibúſque profligat. Addit tamen Aquicinctinus Chronographus Regem Hiſpaniæ in craſtino fortè alicuius feſti, quod librariorum incuria excidit, (aliquod enim tempus inter vtramque pugnam interceſſiſſe neceſſe eſt, innuúntque cæteri ſcriptores) viribus per Dei gratiam receptis pluſquam 20. millia Saracenorum interfeciſſe, atque in eo prælio Archiepiſcopum S. Iacobi occubuiſſe. Rogerus quoque à Mauris obſeſſum Toletum docet, ſed irrito conatu, Rege Alfonſo ſtrenuè repugnante maximáque illorum parte gladio interfecta cæteros à finibus ſuis fugante. *Tum eo audito nuncio, Reges Franciæ & Angliæ ad colloquium de pace inter ſe facienda conueniſſe.* Idem Auctor hoc anno mortuos docet Iſacium, qui Cyprum tyrannide aliàs oppreſſerat aſſumpto Imperatoris nomine, & à Richardo Angliæ Rege fuerat expugnatus, & Guidonem Regem Hieroſolymorum ac Cypri, cui ſucceſſit Almaricus frater. De Iſacio Comneno, qui Turſach dicitur in Chronologiâ Altiſſiodorenſi, & ab Alexio Angelo fratre, quem alij Comnenum ſeu Porphyrogenitum à familiâ Regiâ, alij à crudelitate ac libidinibus Tyrannum ac Sardanapalum vocitant, imperio C P. deiectus, oculíſque priuatus eſt die 10. Aprilis, cùm annos nouem, & octo menſes Orienti præfuiſſet, videndus præ cæte-

ris omnibus Nicetas Choniates, ex quo etiam discimus I. Alexium ipso inaugurationis die, cùm equum ferocientem, eúmque sessorem capere recusantem, insiluisset, abiectâ priùs in ipsa succussione coronâ, humi fuisse prostratum. II. Eumdem, cùm nullam ex Templis subditisve suis pecuniam corradere potuisset, sepulcra Græcorum Imperatorum aperuisse, collectísque ad 70. talenta pecuniis sese totum ignauiæ, deliciis atque otio dedidisse. III. Isaaci filium Alexium fuga euadentem in Latinorum fidem se recepisse. IV. Henricum Imperatorem ad Alexium tyrannum legatos misisse, vt aut tributum sibi solueret, cuius summa erat talentorum 16. purissimi auri, aut bellum expectaret, tum pro iniuriis olim Conrado, & Friderico in Palæstinam properantibus illatis, tum pro restitutione vrbium, quas ab Epidauro ad Thessalonicam possederat Willelmus Rex Siciliæ. V. Henricum post biennium morte in Sicilia sublatum de tributo illo, quod Alemanicum à Græcis dicebatur, non fuisse gauisum, eáque auditâ Alexium tantisper respirasse.

Anno Christi MCXCVI. *Philippi Augusti 17. die 15. Ianuarij pax cum Ricardo firmata est, sed ea diuturna non fuit; nam cùm mense Iunio Balduinus Comes Flandriæ hominium Regi feciſſet apud Compendium, adstantibus Guillelmo Remensi Archiepiscopo, Maria Campaniæ Comitissa, multísque aliis, eodémque mense Philippus Rex vxorem duxisset Mariam, filiam Bertoldi IV. Ducis Meraniæ (sunt qui Voitlandiam interpretentur) & Bohemiæ, Marchionísque Histriæ, elapso breui temporis spatio Ricardus postpositis iuramentis, & pactionibus Philippum bello aggressus, Virsionense castrum in agro Biturico ex dolo cepit, funditúsque euertit, cùm tamen se nullatenus nociturum spopondisset. Eamobrem collecto exercitu Philippus Albammarlam obsedit, cepit, solo tenus destruxit; Nonancurtium, quod data pecunia militibus illud custodientibus receperat Ricardus, erectis in circuitu machinis die ac nocte viriliter impugnans expugnauit, & Comiti Roberto custodiendum reddidit. Interdicta est ciuitas Rotomagensis, & tota Normannia, ex Chronico Rotomagensi, pag. 369. N. B. pro castro quod Ricardus firmauerat in Rupe Andeleij contra dignitatem Rotomagensis Ecclesiæ Episc. contradicentibus, & inobedientibus, vt Regi placerent. Vualterus autem Arch. exul ad ciuitatem Romanam profectus est, quò etiam perrexerunt Lexouiensis, & Ebroicensis Episc. vt causam eius ad nihilum perducerent, sed spe sua frustrati sunt. Qua de re consu-*

lendi quoque Neubrigensis, & Houedenus Philippo Regi ad calumniam vsque semper infensus. Cùm Canutus Danorum Rex apud Summum Pontificem Cælestinum conquestus esset de iniuria, quam Rex Franciæ fecerat Ingeburgi sorori suæ, cui alteram superduxerat vxorem, de Vvillelmo Remensi Archiepiscopo qui sine authoritate Apostolica sedens pro tribunali diuortium fecerat, necnon de Nouiomensi, Beluacensi, Carnotensi, Aurelianensi & Catalaunensi Episcopis, de Roberto Drocensi, Ludouico Blæsensi, Theobaldo Trecensi, Stephano immò Petro Niuernensi Comitibus, de Vvalthero Camerario Regis Franciæ, aliisque qui consanguinitatem Ingeburgis, quam Botildam Rogerus appellat, cum Isabella Hannoniensi priore Philippi coniuge iurauerant, Pontifex in Gallias misit legatos Meliorem Presbyterum Cardinalem tituli SS. Ioannis & Pauli, & Cencium Diaconum Cardinalem sanctæ Luciæ, qui Concilio Lutetiæ Parisiorum conuocato de matrimonio quidem tractarunt, sed Regis metu nihil ad perfectum deduxerunt, vt supra iam monuimus. Eodem anno Ricardus Rex Angliæ dedit Othoni nepoti suo filio Henrici Leonis Saxoniæ Ducis Comitatum Pictauiensem: cúmque Constantia Britanniæ Comitissa mater Arturi iussu Ricardi veniret in Normanniam, venit ei obuiam Ranulfus Comes Cestriæ maritus eius ad Pontem Vrsonis, & captam inclusit in castello suo apud S. Iacobum de Beueron. Arturus verò filius eius, cùm matrem liberare non potuisset, adhæsit Regi Franciæ, & terras patrui sui combussit, teste Rogerio: deinde Rex Angliæ magno congregato exercitu hostiliter intrauit Britanniam, eámque deuastauit. Idem Auctor subiungit I. Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum qui curam regendæ totius Angliæ excusserat, ad eam veluti postliminio reuersum prælegisse officium Sacerdotale postponere, quàm Regi terreno non adhærere, sícque accepta regiminis potestate, officij administrationem Ecclesiastici, cui voto professionis adstrictus fuerat, paruipendentem, pro castris Regis Angliæ stare non recusasse. *II. Raimundum Tolosæ seu S. Ægidij Comitem duxisse in vxorem Ioannam sororem Regis Angliæ quondam Reginam Siciliæ, quæ anno seq. filium peperit.* III. Obiisse Belam Hungariæ Regem eiúsque vxorem Margaritam sororem Regis Franciæ, quæ fuerat Regina Angliæ coniux Henrici iunioris, post viri obitum accepisse Crucem profectionis Hierosolymitanæ, ibíque apud Acconem in Dei seruitio permansisse vsque ad consummationem vitæ suæ. *IV. Ioannem Moretonij Comitem fratrem Regis Ricardi cum Marchadero*

chadero principe nefandæ gentis Braibancanorum expeditione in Bellouacenſem agrum ſuſcepta 14. Kalend. Iunij, ſeu potius 13. feria ſecunda (Litera Dominicali F. vel certè cum Rigordo, & Vvillelmo Britonis adeóque & Guillelmo Neubrigenſi in ſequentem annum differenda fuerat illius mentio, literâ Dominicali E, incuriam Rogerij ipſius palàm arguente) dum prædæ capiendæ intenderet, exeuntes cum plebe armata Philippum Beluacenſem Epiſcopum, Guillelmum de Merloto, eiúſque filium multis cæſis cepiſſe ac Regi Anglorum tradidiſſe. Cæterùm conficta videntur à Rogerio alteróve declamatore epiſtolæ mutuæ Philippi illius Epiſcopi ad Cæleſtinum Papam, & Papæ ad eumdem, quæ referuntur in Annalibus, cùm præſertim, teſte Matthæo Pariſio pro liberando Epiſcopo filio ſuo ſcripſiſſe dicatur ad Ricardum Pontifex, eúmque loricam, & alia arma, quibus indutus erat in prælio Epiſcopus, miſiſſe ad Cæleſtinum, quæſitum an hæc filij ſui tunica eſſet: eúmque deinde reſpondiſſe hæc prorſus aurea verba: Non filius meus eſt vel Eccleſiæ. Ad Regis igitur voluntatem redimatur, quia potius Martis quàm Chriſti miles iudicatur: ſed reuertamur ad Rigordum S. Dionyſij Monachum, & quæ omiſimus Lectori Gallicæ Hiſtoriæ auido reponamus. Menſe Martio ſubitâ aquarum inundatione multæ villæ deſtructæ, multi homines extincti, Sequanæ pontes fracti, ideóque pleríſque in locis ad auertendam Dei iram proceſſiones nudis pedibus inſtitutæ, quas Philippus Rex quaſi vnus è plebe cum lacrymis, & ſuſpiriis humiliter ſequebatur. Sacer ſancti Dionyſij conuentus portans Clauum Domini, ſpineámque Coronam, & ſancti ſenis Simeonis brachium, clamantes ad Dominum benedicebant aquis in modum Crucis, dicentes; Per hæc ſigna ſuæ ſanctæ Paſſionis reducat Dominus aquas ad locum ſuum, quod paucis reuolutis diebus Domino placato effectum memorat. Eodem anno, tertio Idus Septembris, Mauricius Pariſiorum Epiſcopus pater pauperum & orphanorum, feliciter migrauit ad Dominum, & ſepultus eſt in cœnobio S. Victoris, ex Vvillelmo Armorico, qui mendosè ipſis Idibus Septembris mortem obiiſſe ſcripſit. Huic ſucceſſit Odo Soliacenſis frater Henrici Bituricenſis Archiepiſcopi, quem miror à Rigordo perhiberi longè à prædeceſſore moribus, & vitâ diſſimilem. Quid ſi reponendam cenſeas particulam negantem quæ ſocordia amanuenſis exciderit? Cùm à Petro Bleſenſi, à Stephano Tornacenſi, ab Auctore Vitæ S. Guillelmi, à Chronographo S. Mariani aliiſque paſſim illius ætatis ſcriptoribus ob ſummam virtutem valdè commendetur. Henricus Imperator hieme tranſactâ, collatóque Philippo fratri ſuo, qui ante annum Iſaaci Angeli Græ-

corum Eximperatoris filiam Irenem duxerat, Ducatu Sueuiæ, ac filio ſuo nondum trienni in ſucceſſorem Imperij in conuentu Principum certis quibuſdam conditionibus electo, ſub prætextu expeditionis Terræ ſanctæ ingentem in Italiam effudit exercitum (præpoſito iis qui hoc & ſuperiori anno de regno Teutonico Crucem aſſumpſerant Conrado Archiepiſcopo Moguntino, cui Saxoniæ Ducem adiungit Monachus S. Mariani) ac primò in Campania, deinde in Sicilia, diram exercuit tyrannidem aduerſus omnes, quos ex Normannis proſapiam ducere arbitraretur. Nouum à quibuſdam Regem electum candenti corona ferrea capite impoſita, & clauis affixa, plurimóſque alios diris tormentis excarnificauit, cóque ſæuitiæ proceſſit, vt Conſtantia eius vxor coacta fuerit aduerſus virum ſuum copias inſtruere, & ab omnibus derelictum in præſidium aliquod munitiſſimum compellere, vt ex Chronico Foſſæ nouæ, Arnoldo Lubecenſi, Rogerio, aliíſque obſeruauit in Annalibus Baronius ad ſeq. maximè annum pertinere. Alfonſus Aragoniæ Rex, qui virtute nulli cedebat, & paullò ante cum Alfonſo Caſtellæ Rege iunctis copiis, Alfonſum Legionenſem Regulum Mauris confœderatum profligauerat, Perpiniani 7. Kal. Maij vita ceſſit, ſuccedente Petro è filiis natu maximo, qui Alfonſo fratri Comitatum Prouinciæ permiſit.

Anno Chriſti M C X C V I I. *Philippi Auguſti* 18. *Balduinus Flandriæ Comes à fidelitate Regis manifeſtè recedens, inquit Rigordus, Ricardo Angliæ Regi confœderatus eſt cum Rainaldo filio Comitis Domni Martini, cui Philippus Rex ex maximo amore, & familiaritate Comitiſſam Bononiæ cum ſuo Comitatu dederat in vxorem. Ij ſpreto hominio ruptíſque pactionibus ac iuramentis dominum ſuum bello aggreſſi, adiunctis Cotarellis aliíſque regni Francici inimicis terras vaſtarunt, prædas duxerunt, & multa mala quaquauerſum intulerunt, quæ alij temporum illorum ſcriptores diſtinctiùs expoſuerunt: Inter Philippum Regem Francorum, verba ſunt Anonymi Aquicinctini, & Balduinum Comitem Flandrorum pax turbatur, inſtinctu Ricardi Regis Anglorum. In menſe Iulio Balduinus Comes contracto vndecumque exercitu copioſo pagos Tornacenſem, & Cameracenſem depopulatus eſt, captíſque caſtellis ad ciuitatem Atrebatenſem tendens eam à parte orientali obſedit, ſed ſecundo obſidionis die ſubitò inde receſſit. Philippus hæc audiens, & indignè ferens congregatis ſui regni Epiſcopis, Abbatibus, Equitum quo-*

que & peditum maxima copia contra Flandrenſes profectus in Vigilia Aſſumptionis B. Mariæ apud Duacum ex improuiſo venit, tranſitoque apud Ariam Liſæ fluminis ponte in terram Comitis eam vaſtaturus intrauit. Verùm quibuſdam damnis affectus habito extra Ipram cum Comite colloquio re infectâ in Franciam rediit. Plura pro more de his ſubminiſtrabit Rogerus I. Ricardum Regem qui apud Burrum diem Natalem Domini in Normannia peregerat plurimum confuſum eò quod Vualterus Rotomagenſis Archiepiſcopus noluerat relaxare ſententiam interdicti, quam in Normanniam tulerat, & corpora defunctorum inſepulta per vicos plateáſque iacerent, Romam miſiſſe Vuillelmum Elienſem Epiſcopum Cancellarium ſuum, qui paullò poſt in Pictauenſi vrbe obiit, & Lexouienſem ac Dunelmenſem Epiſcopos iiſque cauſam Ricardi ſedulò agentibus, Papam & Cardinales, re maturè expensâ conſuluiſſe Rotomagenſi Antiſtiti, vt à Rege Angliæ in compenſationem ablatorum alia reciperet ſecundùm proborum virorum æſtimationem: licere quippe Regi, & cuilibet potenti regiones ſuas munire, ne damnum ſibi ſuiſque contingat. II. Poſt conſecrationem Philippi Dunelmenſis Dominica qua cantatur Miſericordias Domini Romæ peractam, Papam relaxaſſe ſententiam interdicti, quam Vualterus tulerat in vniuerſam Normanniam, Regem verò conuocatis Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus Normanniæ, dediſſe Rotomagenſi Archiepiſcopo eiúſque ſucceſſoribus pro villa Andeliacenſi villam Deppenſem cum molendino Robecenſi in ciuitate Rothomagi, aliiſque. III. Ricardum deinde veniſſe ad S. Valericum, combuſtáque villâ, Monachiſque deſtructis aſportaſſe ſecum in Normanniam feretrum cum reliquiis ſancti Valerici. IV. Campanos & Flandrenſes, & Britones relicto Rege Franciæ adhæſiſſe Regi Angliæ, datis hinc inde obſidibus, quod neque concordiam, neque pacem facerent cum Rege Franciæ, niſi de communi omnium conſilio. V. Vuillelmum Criſpinum Conſtabularium tradidiſſe Ricardo caſtellum Danguſium, quod, cùm illico obſediſſet Rex Franciæ, paullò poſt cepit, nec quiquam Ricardo in Aruerniam profecto, vbi decem caſtella cepiſſe perhibetur. VI. Poſt reditum Philippi Regis è Flandria cœpiſſe colloquium inter Reges feria 4. poſt feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis inter Guallonium, & Andeliacum, ſtatutáſque deinde in vnum annum inducias à feſto S. Hilarij proximè ſequentis inchoandas. VII. Vuillelmum Pictauienſem Ep. obiiſſe, & quamuis vita illius videretur hominibus valdè vituperabilis, tamen poſt obitum miraculis claruiſſe. VIII. Balduinum Flandrenſem Comitem peregrinatum fuiſſe in Angliam ad ſepulcrum S. Thomæ Ar-

Alemaniæ tradidiſſe Amalrico Guidonis Cypri Regis fratri atque hæredi Acconem, Tyrum, Berytum, aliáſque ciuitates, quas ceperant, traditáque ei in vxorem Meliſendi, quæ fuerat coniux Henrici Comitis Campanienſis, vtrumque coronaſſe in ciuitate Berytenſi: ipſum verò Amalricum deueniſſe hominem Henrici Romanorum Imperatoris de inſula Cypri: quod quam ob cauſam factum ſit, non ſatis percipio, cùm nec Occidentis imperio nec Siciliæ Regibus aut Neapolitanis vnquam paruiſſet. XV. Ioannem Camin Dublinenſem in Hibernia Archiepiſcopum ob damna crebráſque iniurias ſibi Eccleſiæque ſuæ ſæpiùs illatas ab hominibus Ioannis Comitis Moretonij Ricardi Angliæ Regis fratris, in exilium ſponte abiiſſe, ac latâ prius in impios prædones excommunicationis, & in Archiepiſcopatum ſuum interdicti ſententiâ præcepiſſe, vt Cruces & imagines cathedralis Eccleſiæ in terram depoſitæ ſpinis circumdarentur, atque vnam ex iis crucifixi imaginem coram omnibus rubore vehementi ſuffuſam guttas ac ſi fleret ab oculis miſiſſe, & à dextro latere ſanguinem, & aquam, *&c.* XVI. Henricum VI. Imp. qui Aſper ob barbaros mores ferocémque animum paſſim dicitur, factâ prius reconciliatione cum vxore ſua, & Magnatibus Siciliæ, miſsóque ad Ricardum Angliæ Regem Sauarico ſuo per Burgundiæ regnum Cancellario, vt ei offerret compenſationem pecuniæ, quam pro eius redemptione ceperat ſiue in auro, ſiue in argento, ſiue in terris, obiiſſe apud Meſſanam die 28. Septembris in Vigilia feſti S. Michaëlis, cùm ab obitu patris regnaſſet annos 8. menſes 2. & dies 22. & poſt eius mortem Meſſanenſem Archiepiſcopum Romam ad Cæleſtinum Papam veniſſe, tum vt corpus Imperatoris, qui excommunicatus fuerat propter captionem ac redemptionem Ricardi Regis, ſepeliretur; tum vt Fredericus filius eius adhuc puer coronaretur in Regem Siciliæ, quod & factum eſt, datis Papæ mille marcis argenti, & totidem etiam collegio Cardinalium; præmiſsóque ab Auguſta Conſtantia tactis ſacroſanctis Euangeliis iuramento, quòd Fredericus de legitimo eius atque Henrici matrimonio fuiſſet progenitus. XVII. Tuſciæ magnam partem, quam Henricus, eiúſque deceſſores Romanis Pontificibus abſtulerant, Cæleſtino Papæ fuiſſe redditam, cum Sicilia, Calabria & Apulia, quas ſicut

proprium patrimonium S. Petri tradidit Frederico Siciliæ Regi. XVIII. Cælestinum conuocatis Cardinalibus Papatum voluisse deponere, modò Ioannes de S. Paulo Presbyter Cardinalis S. Priscæ ei succederet, quod Cardinalibus cæteris non arrisit, dicentibus inauditum esse, verba sunt Rogeri, quòd summus Pontifex se deponeret. XIX. Paullò post Natalem Christi, quem Rotomagi celebrauit Ricardus feria 5. veniisse ad eum nuncios Archiepiscoporum Colonienſis & Moguntini, aliorúmque Alemaniæ Principum, vt cum aliis apud Coloniam adesset 8. Kal. Martij ad eligendum Imperatorem: quod facere noluit, tum quod quæ illis promiserat pro liberatione suâ nondum soluisset, tum quòd Henrici Imp. corpus propter eum adhuc inhumatum esset. Hæc Rogerus, quibus subiiciemus quædam ex aliis collecta. *I. Guillelmum Neubrigenſem Historiam ſuam Anglicam vſque ad hunc annum, ac Concordiam Regis Ricardi cum Vvaltero Rotomagenſi Archiepiſcopo perduxiſſe. II. Epiſcopos, qui eidem Vvaltero fuerant antea inobedientes, veniſſe ad pedes eius proſtratos in proceſſione ſolemni in feſto Conceptionis B. Mariæ Virginis, illúmque miſericordiâ motum redditis mitris baculiſque paſtoralibus gratiam ſuam iiſdem officiosè reddidiſſe, ex Chronico Rotomagenſi pag. 370. Tomi I. Nouæ Bibliothecæ MSS. librorum. III. Caſtri Rodulfi terram omnem fuiſſe à Cæleſtino Papa excommunicatam propter controuerſiam Dolenſis Eccleſiæ cum Andreâ de Caluiniaco, vt teſtatur eiuſdem Eccleſiæ Chronographus pag. 317. Nouæ illius Bibliothecæ.* IV. Ordinem sanctiſſimæ Trinitatis initium cepisse, auctoribus Ioanne de Matha ex Prouincia oriundo, & Felice anachoreta Valesienſi, & ab Innocentio III. Papa paullo post confirmatum fuisse. V. Bertoldum secundum Liuonienſem Episcopum ab infidelibus trucidatum. *VI. Brenenſem Comitem, eiúſque fratres, Campanenſium militum fultos auxilio, Comitatum Niuernenſem peruagatos, direptis incenſíſque pleríſque locis, Vizeliacenſem burgum Abbatiæ, quam expugnare non potuerunt, ſuppoſitum, domibúſque confertiſſimum direptione incendióque deuaſtaſſe. VII. Mariam Comitiſſam Campaniæ, cùm de morte filij ſui Henrici Hieroſolymitani Regis ac ſororis ſuæ Reginæ Hungariæ, quæ poſtquam multo apparatu tranſmarinas partes peragraſſet, apud Ptolemaidam obierat, nuncium accepiſſet, nimis indoluiſſe, nec multo poſt tempore, initio anni ſequentis, vt dicemus, fuiſſe defunctam, filio eius egregiæ indolis Theobaldo in Comitatu ſucce-*

dente. VIII. Petrum Cantorem Parisiensem Doctorem eximium apud Cœnobium, quod Longus pons dicitur, prope Compendium in diœcesi Sueſſionensi, migrasse è corpore, cuius elogium vide in Chronologia Antissiodorensi, & apud Baronium ex Arnoldo Lubecensi, Haythono, aliisque quæ ad Regis Armeniæ coronationem pertinent.

Anno Christi MCXCVIII. *Philippi Augusti* 19. Cælestinus Papa III. migrauit ad Dominum 6. Idus Ianuarij feria 5. postquam Ecclesiæ præfuisset annis 6. mensibus 8. & diebus 28. cui succeſſit electus sequenti die, vel vt alij 12. Februarij, natione Romanus Innocentius III. qui prius Lotharius vocabatur, consecratus die 15. eiusdem mensis Februarij, Dominica prima Quadrageſimæ, vt ex Rogerio, Rigordo, Aquicinctino, Anonymo, aliisque temporum illorum scriptoribus constat, ex quibus Cardinalis Cæsar Baronius, qui huc vsque à primo Æræ Christianæ anno indefesso studio atque incomparabili diligentia prouectus, Tomo XII. atque vltimo Annalium Ecclesiasticorum finem optatum imposuit, vir de Sacro-sancta Romana ac Catholica Ecclesia optimè meritus, nec vmquam pro meritis satis laudandus, quamquam, vt in longissimo opere atque intricatissimo facilè est obrepere somnum, in quibusdam quæ ad Chronologiam Historiámque præsertim Gallicam spectant impegerit, iis destitutus præsidiis, Auctorúmque veterum ac recentiorum monimentis, quæ assiduus Eruditorum hominum labor ab eo tempore, quo scribere desiit, dias produxit in luminis oras. Exceperunt ab hoc anno Continuationem Annalium Abraamus Bzouius Polonus Ord. Prædicatorum, Henricus Spondanus Gallus Episcopus Apamiensis, & Odoricus Raynaldus Italus Congregationis Oratorij, cuius quatuor Tomos vsque ad annum Christi MCCCLXXVIII. & Gregorij XI. felicem obitum hactenus vidimus. Ad hos itaque Triumuiros Historiæ Ecclesiasticæ spectatissimos imposterum Lectorem curiosum amandabimus, vbi, quæ ad huius XII. sæculi finem & XIII. initium pertinent, summa dumtaxat pro more ex Synchronis Scriptoribus libantes fastigia rerum, Deo bene iuuante pertexuerimus. *Mense Martio die vt volunt ij, obiit Maria illustris Trecensis Comitissa soror Philippi Regis Francorum ex parte patris, & soror Richardi Anglorum Principis ex parte matris, mater Henrici II. Hierosolymorum Regis & Theobaldi Tre-*

censis Comitis. Addit Rigordus Fulconem, per quem D. N. I. C. multa operabatur miracula alium sibi Sacerdotem de eodem Episcopatu Parisiensi Petrum de Rossiaco ad officium prædicationis adsciuisse virum literatum, & spiritu Dei plenum, qui multos à peccatò vsurarum, & à furore libidinis reuocauit, ac meretrices è prostibulis eductas in noua S. Antonij Abbatia ad agendam pœnitentiam collocauit. Præter hos duos Herloinus Monachus S. Dionysij Parisiensis versus marinam Britanniam prædicauit, multósque Britones assumptâ Cruce secum in Palæstinam duxit, vbi in multas partes diuisi, cùm Rectorem non haberent, nihil ad perfectum daxerunt. Apud Roseium in Bria in sacrificio altaris vinum in sanguinem, & panis in carnem, in omnium oculis mutatum apparuit: In Veromanduis miles mortuus reuixit, multísque postmodum futura multa prædicens sine cibo, & potu longo tempore vixit. In Gallia, locum non adscripsit Rigordus, circa festum sancti Ioannis Baptistæ in nocte de cælo cadens mellitus ros spicas sapore mellis imbuit: sequutæ sunt tempestates horrendæ, lapidésque nucibus ouísque maiores in quibusdam locis de cælo delapsi tanto colonorum ciuiúmque metu, vt rumor popularis Antichristum in Babylonia natum, & finem mundi imminere iactaret. Eodem anno, pergit idem Auctor, mense Iulio Philippus Rex contra omnium opinionem propriúmque suum edictum Iudæos in Parisiensem reuocauit vrbem, Deíque Ecclesias grauiter persecutus est: ideóque mense Septembri in Vigilia S.ti Michaëlis pœna sequuta est, Rex enim Angliæ ex improuiso, Francis imparatis, cum mille quingentis militibus, multísque Cotarellis, atque infinita peditum armatorum multitudine Vvlcassinum circa Gisortium vastauit, Corcellas destruxit, villas plures combussit, & prædas earum abduxit: cúmque Philippus Rex cum quingentis tantùm militibus ad castrum Gisortium transire cuperet, per medias hostium acies irruptionem fecit, multis suorum captis vel fugatis. Deinde maiori collecto exercitu Normanniam ingressus, eam vastauit vsque ad Nouumburgum, & ad Pulchrum montem Rogerij, magnásque prædas ex hostico duxit. Subiungit I. à Cotarellis, quibus præerat Marchaderius pagos Beluacensem, & Vvlcassinum depopulantibus captos fuisse ex insidiis Philippum Episcopum Beluacensem virum in armis strenuum, Guildelmum de Merloto, aliósque, qui vt prædis iis excuterent, acriter insequebantur. Quod si verum est, ruunt omnia quæ de literis Cælestini ad Philippum teterrimo carcere apud Rotomagum incluso, ac similibus finxerunt Rogerius, Matthæus Parisius, similésque Angli. II. Ciuitatem sancti Audomari, quem Hotmarum vocat, à Comite Flandriæ

Balduino

Balduino eodem tempore captam. Repugnasse obsessos per sex septimanas tradit Monachus Aquicinctinus, cúmque à Rege Francorum subsidium sperare non possent ægrè se victori permisisse. Arienses verò Balduini impetum formidantes se absque vlla mora ei reddidisse. III. Philippum Sueuiæ Ducem fratrem Henrici Imperatoris, (qui Mulhusi in Thuringia die 8. Martij electus fuerat coram Bertoldo Duce Zaringensi propter studium pacis sibi oblatam coronam pactis vndecim marcarum millibus detrectante) maximam partem Imperij obtinuisse: eique Othonem Henrici Saxoniæ Ducis filium, adiuuantibus Ricardo Rege Angliæ auunculo suo, & Flandrensi Comite ex aduerso oppositum, Aquisgrani ab Archiepiscopo Colonienſi coronatum fuisse. *IV. Philippum Regem Franciæ Philippo Sueuo adhæsisse. V. Innocentium III. Papam misisse in Galliam Legatum Petrum Capuanum sanctæ Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem, vt pacem inter Francorum Anglorúmque Reges componeret: sed cùm circa Natiuitatem Domini venisset, nec pacem firmam stabilire valuisset, fide Regum duorum interpositâ, quinquennes inducias ab iis accepisse, quas tamen per obsides, dolis Regis Angliæ interuenientibus, confirmare numquam potuit. Aquicinctinus Chronologus Legatum illum transactis Natiuitatis Dominicæ diebus aduenisse in Galliam contendit literas Philippo Regi deferentem, in quibus præceptum continebatur Apostolicum, vt Ingeburgem Reginam falso consanguinitatis iuramento disunctam legitimè sibi sociaret. Quod si acquiescere nollet, anathematis vinculo subiaceret. Extant Innocentij Papæ ad Odonem Parisiensem Ep. ad ipsum Regem, ad eundem Legatum de eodem negotio epistolæ.* Rogerius postquam multa de Germanorum dissidiis circa electionem Imperatoris præmisit, subdit. *I. Philippum Beluacensem Ep. Rotomago, vbi custodiebatur, missum fuisse Cainonem arctiori custodiâ sepiendum.* II. Innocentium electum Pontificem postridie obitus Cælestini iuuenem 30. aut 37. circiter annorum scripsisse de electione sua epistolam ad Archiepiscopos, & Episcopos, quam exhibet cum alia ad Hubertum Cantuariensem Arch. de quo Monachi sanctæ Trinitatis Cantuariæ Romam profecti conquesti fuerant, quòd contra dignitatem suam gereret se Iustitiarium regni, & Iudicem sanguinis, & ita sæcularibus negotiis implicaretur, vt minimè posset regendis Ecclesiasticis causis sufficere, *&c. III. Ducem Louanien-sem, Comites Brienensem, Guisnensem, Bononiensem, Perticensem, de S. Ægi-*

dio, Blæſenſem, Britanniæ, multóſque alios relicto Rege Franciæ adhæſiſſe Ricardo. IV. Henricum Saxoniæ Ducem è Palæſtinâ reducem veniſſe ad Ricardum auunculum ſuum apud Andeliacum, & ab eo honorificè ſuſceptum. V. Philippum à Rege Angliæ victum fuiſſe prope Vernonem: Corcellas captas 5. Kal. Octobris die Dominicâ, eundémque Philippum, cùm aſcendiſſet pontem Giſortij eo præ multitudine aduentantium fracto, in fluuium Eptam cecidiſſe, multos ab Anglis captos, quorum nomina recenſet. VI. Fulconem de quo ſupra, cui in prædicatione Euangelica comites adſignat Petrum, Robertum, & Euſtachium Abbatem Flauiacenſem, dixiſſe Regi Ricardo vt tres filias ſuas peſſimas, ſuperbiam, cupiditatem, & luxuriam à ſe procul remoueret, ne quid deterius illi contingeret, tum Lexouium profectum, à Clericis, quorum obſcenam vitam arguerat, in carcerem fuiſſe conjectum, vinculíſque conſtrictum, à quibus liber, & à caſtello Cadomenſi exiuit illæſus, &c. VII. Obiiſſe apud Panormum in Sicilia Conſtantiam Auguſtam, vxorem Henrici Imp. eiúſque filium Fredericum ab Innocentio Papâ ſuſceptum cum regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ, & Principatu Capuæ. VIII. Suſpenſam iterum fuiſſe à Papa regionem omnem Adelfonſi Regis de S. Iacobo à celebratione Diuini officij, propter vxorem eius filiam Regis Caſtellæ, quia erant conſanguinei in tertio gradu: nec quauis conditione oblatâ coniugij veniam potuiſſe impetrare. Aquicinctinus Monachus teſtatur Primatibus Lotharingis aſſentientibus Othonem Comitem Pictauenſem obſediſſe Aquenſe palatium contra Waleramum filium Henrici Ducis Lemburgenſis, qui cum valida manu militum illud Philippo Duci Sueuorum cuſtodiebat, & intra ſextam obſidionis ſeptimaniam nullis ſubmiſſis auxiliaribus copiis occupaſſe; ibique ab Arch. Colonienſi, eiúſque ſuffraganeis ſacro oleo inunctum, & in ſolio regni collocatum (à diebus quippe Karoli Magni Aquiſgranum ſedes regni eſt, vbi idem requieſcit) duxiſſe in vxorem filiam Godefridi Louanienſis Comitis, ac Lotharingiæ inferioris ſeu Brabantiæ Ducis. In alio codice MS. adſcriptum legitur, S. Dominicum Ordinem fratrum Prædicatorum inchoaſſe, & Almaricum Regem Cypri ductâ in vxorem viduâ Henrici Campanienſis, & Conradi Montiſferratenſis inducias cum Salfandino Salaadini filio pro terræ ſanctæ ſecuritate renouaſſe. *Robertus S. Mariani Monachus poſtquam de Fulcone plurima narrauit docet ex Populicana hæreſi omnium feculentiſſima, quæ viru-*

lentas radices latè quidem, sed latenter propagaret, multos ad fidem fuisse conuersos, incensúmque Terricum hæresiarcham, magnum diaboli laqueum, qui apud Corbiniacum in specu subteraneo diu latuerat, pluréſque subuerterat. Apud vrbem quoque Niuernensem Abbatem S. Martini, & Maioris Ecclesiæ Decanum dehoc pestilentissimo errore notatos in Concilio Episcoporum Senonis conuocato, hunc quidem suspensum, illum depositum ad sedem Apostolicam fuisse destinatos: Quosdam deinde apud Charitatem viros prædiuites ab Ecclesia fuisse præcisos, & expositos publicæ potestati. De Epitaphio quodam Græco mendosissimè à Gualthero inter monumenta Siciliæ relato diximus in Chronico Technico.

Anno Christi MCXCIX. *Philippi Regis* 20. *die* 6. *Idus Aprilis feria* 3. *ante Dominicam in Ramis Palmarum, Ricardus Angliæ Rex iuxta Lemouicam ciuitatem graniter vulneratus occubuit: obsederat enim Castrum Lucij de Capreolo hebdomadâ passionis Dominicæ, occasione thesauri à quodam milite ibidem inuenti, quem à Vicecomite Lemouicensi, ad quem miles, qui illum inuenisse dicebatur, confugerat, instantissimè sibi reddi petebat. Dum verò in obsidione castri illius Rex moram faceret, & per singulos dies viriliter impugnaret, balistarius quidam ex improuiso quarello transmisso, verba sunt Rigordi, lethale ei vulnus in humero intulit, paucíſque post diebus euolutis, septem alij numerant, alij* 9. *viam vniuersæ carnis ingressus est, ac sepultus apud Fontem Ebraldi in Abbatia Monialium iuxta Henricum patrem suum. Thesaurus autem prædictus, vt ferebatur, fuerat Imperator quidam de auro purissimo cum vxore filiis ac filiabus ad mensam auream residentibus, qui posteris, quo tempore fuerant, certam dabant memoriam. Auditâ fratris morte Ioannes, qui sine terra dicebatur, Rotomagum aduolauit illicò, & Dux Normanniæ in Octauis Paschæ ibidem factus, in Angliam transfretauit, ac die* 27. *Maij in festo Ascendentis ad Patrem Christi apud Vvestmonasterium Londini Rex Angliæ coronatur, vt pluribus Rogerius, Parisius, Monachus S. Mariani, Aquicinctinus, aliíque referunt, cum Chronicis Andegauensi seu Vindocinensi, Fiscanensi, Rotomagensi, &c. Rex Francorum rerum suarum statu in melius mutato, inquit Rigordus, ciuitatem Ebroicam cepit cum circumpositis munitionibus, totámque Normanniam, vsque Cenomanos vastauit. Arturus verò adhuc puer, Comes Britannici littoris, nepos Ioannis Regis Angliæ, comperto ciusdem Ricardi obitu, cum valida manu Andegauensium fines ingressus, Comitatum illum cepit, intra vrbem ipso Paschæ die à ciuibus receptus, dein Philippum Regem Franciæ*

Cenomanos conuenit, eíque hominium de Comitatibus Cenomanico Andegauensi & Turonico fecit, & omnimodam fidelitatem, cum matre sua, sub iuramento firmauit. Interim Balduino Flandrorum Comite Atrebatensem Taruanensémque pagos cum Aridagamantia rapinis incendíisque vastante Philippus Comes Namurcensis frater eius captus cum 12. militibus mense Maio iuxta castrum, quod Lentium vocant, & Regi Philippo traditus cum Petro Duacensi, qui multa mala Regi eidem fuerat machinatus, & fratre eius Petro de Corbolio dicto, qui in Episcopum Cameracensem fuerat electus, pro quo Petrus Capuanus S. R. E. Legatus, de quo anno superiori dictum est, totam Franciam sub interdicto posuit: sed reuolutis tribus mensibus habito Rex saniori consilio Petrum eumdem, vulgò de Corbolio dictum, qui Innocentij Papæ præceptor fuerat, liberum reddidit, & paullò post mortuo Michaële Senonensi Archiepiscopo succedere permisit, cùm Pontifex Hugonis Antissiodorensis Episcopi genere literis ac facundia clari electionem probare noluisset. Alienordis quondam Angliæ Regina apud Turonos Philippo Regi hominium fecit pro Comitatu Pictauensium, qui ad eam iure hæreditario pertinebat, & tunc Rex Arturum adduxit secum Parisios 5. Kalendas Augusti. Tertia verò die sequente Ecclesiam B. Dionysij causa peregrinationis adit, & in pignus deuotionis pallium sericum Deo beatíque Martyribus super altare obtulit. Mense autem Octobri induciæ inter duos Reges firmatæ sunt, vsque ad sequens festum S. Ioannis. Maria Comitissa Flandrorum pro pace inter Regem auunculum ac Comitem maritum suum componenda Parisios venit: eamque Rex honorificè suscepit, dimisítque lætam, & de pace securam cum quibusdam captiuis in pignus pacis, quæ his tandem conditionibus in colloquio apud Perronam inter Philippum ac Balduinum per Mariæ Comitissæ industriam in ipsis diebus Natiuitatis Dominicæ concluſa est, vt Baldnino Comiti eiúsque hæredibus tota Flandria vltra nouum aggerem ad orientem cedat: Rex verò Audomaropolim, Lensium, Bapalmam, Ariam, Hesdinium, aliáque oppida & agros citra fossatum, vt vocat Aquicinctinum Auctarium, suos sibi suíque successoribus possideat: ex quibus Comitatum Rex instituit, & filium suum Ludouicum Artesiæ Comitem creauit. Eodem anno Henricus de Soliaco Bituricensis Antistes ad superos abiit die 3. Idus Septembris, vt rectè Rigordus contra Chenutium, Robertum, Frizonum, aliósque plurimos nostrates externósque Historicos, qui in annum sequentem differunt tum Henrici mortem, tum S. Guillelmi Abbatis Karoli loci Ordinis Cistercienſis in eius locum electionem, quam litem pluribus argu-

mentis secundùm Rigordum decidere aliàs conati sumus in Appendicibus ad Elogium Bituricensis ciuitatis, præsertímque diplomate ipsius Philippi Regis dato apud Castrum Renaudi hoc ipso anno post ipsiusmet Henrici obitum. In diebus Aduentus Domini 6. Decembris, festo S. Nicolai conuocatum fuit Concilium apud Diuionem in Burgundia à Petro Capuano Cardinale S. R. E. Legato omnium Episcoporum, Abbatum, & Priorum totius regni. Factam ibi constitutionem non indigere penna vel pergameno, inquit Anonymus Aquicinctinus: Rigordus verò testatur à Nunciis Regis ad Romanam sedem fuisse appellatum, quòd Cardinalis Regnum Franciæ sub interdicto ponere moliretur. Ipse tamen appellationi non deferens in eodem loco astantibus Episcopis vniuersis sententiam protulit, sed vsque ad 20. dies post Natiuitatem Domini non esse publicandam præcepit. Transactis verò diebus 20. à Natali Christi tota Francorum Regis ditio interdicto subiacuit. Quo audito Rex vehementer iratus, quòd Episcopi regni sui interdicto faciendo consenserant, ipsos Episcopos à propriis sedibus deturbauit, & Canonicos Clericósque eorum rebus suis expoliatos eiici de terra sua præcepit, & bona eorum confiscauit: Presbyteros etiam qui in parochiis manebant omnes eiecit, & bona eorum diripuit. Ad cumulum verò totius mali Ingeburgem vxorem suam legitimam omnium suorum solatio destitutam apud Stampas in castro suo recluſit. Aliud insuper addidit, quod totam Franciam valdè turbauit: Milites qui olim libertate sua gaudere consueuerant, ipsorúmque homines, tertiâ bonorum suorum parte violenter ablatâ priuauit, & à burgensibus suis intolerabiles tallias, & exactiones inauditas extorsit. Hæc Rigordus, quæ mirum à Vuillelmo Armorico fuisse omissa. Interfuisse Diuionensi Concilio, quod duranit à festo S. Nicolai ad 7. dies Lugdunensem, Remensem, Bisuntinensem & Viennensem Archiepiscopos cum 18. Episcopis, & quamplurimis Abbatibus docet S. Benigni Monachus in notis ad Cyclos Paschales pag. 295. Nouæ Bibliothecæ editis, vbi pro MCC. *legendum moneo* MICC. *duásque annorum periochas in vnam fuisse per auctoris librariíve socordiam compactas. Post paucos verò dies prædictus Cardinalis apud Viennam particulare conuocauit Concilium, vbi promulgauit sententiam ab Innocentio Papa datam in omni terra, quæ obedit Regi Francorum (hanc feruentissimè fuisse obseruatam ab Episcopis Parisiensi, Siluanectensi, Suessionensi, Aurelianensi, Atrebatensi; & aliis, quos summus Pontifex miris per epistolas ad eos missas extulit laudibus, contemptores autem verbis minacibus terruit, testatur Monachus Aquicinctinus) vt in Ecclesiis nullum celebraretur officium diui-*

num præter baptiſma puerorum, & pœnitentiam morientium, durauítque interdictum apud nos, inquit ille Auctor, à tertia die poſt Purificationem B. Mariæ vſque ad Vigiliam Exaltationis S. Crucis anni ſequentis, quem priuſquam ingrediamur, placet ex Rogerio Houedeno eximia quæque paucis delibare. I. Marchadeum cum ſuis Braibancenis poſt pactas inducias inter Reges redeuntem in patriam à quatuor Comitibus Francis, per quorum regiones tranſiturus erat, victum fugatúmque fuiſſe, multis necatis. II. Bertrannum de Gurdun, qui ſagitta miſsâ è caſtello Chaluzij Ricardum Regem occiderat, poſt eius mortem fuiſſe ab eodem Marchadeo excoriatum ac ſuſpenſum. III. Richardum præcepiſſe vt cerebrum, & ſanguis ac viſcera ſepelirentur apud Carofum, cor apud Rotomagum, & corpus in Fonte Ebraldi ad pedes patris ſui. IV. Principes Andegauiæ, Cenomaniæ, & Turoniæ adhæſiſſe Arturo Duci Britanniæ ſicut domino ſuo ligio ſecundùm conſuetudinem illarum prouinciarum, in quibus filius fratris ſenioris debet ſuccedere in hæreditate patrui. Conſtantiam verò Turonis tradidiſſe Regi Philippo Arturum filium ſuum, qui eum Pariſios miſit duxitve ad Ludouicum filium, eiúſque nomine occupauit ciuitates caſtella ac munitiones, & cuſtodibus ſuis ſeruanda commiſit. V. Ioannem Comitem Moretonij 7. Kal. Maij, feſto ſancti Marci Rotomagi in matrice Eccleſia accinctum fuiſſe gladio Ducatus Normanniæ ab Archiepiſcopo Vvalthero, & circulo aureo habente in ſummitate roſas aureas redimitum, ac coram omnibus iuraſſe ſuper reliquias Sanctorum, & ſuper ſacroſancta Euangelia, quòd ipſe ſanctam Eccleſiam, & dignitates illius bona fide ſeruaret illæſas, rectam iuſtitiam exerceret, legibúſque iniquis abrogatis bonas inſtitueret. VI. Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum ipſo Aſcenſionis Chriſti die quo Regem Ioannem coronauerat, ab eo Cancellariam regni accepiſſe, Hugone Bardulfi dicente: Numquam audiuimus de Archiepiſcopo fieri Cancellarium, ſed de Cancellario vidimus fieri Archiepiſcopum. VII. Gaufridum Eboracenſem Archiepiſcopum peractis Romæ negotiis ſuis veniſſe in Normanniam, & à fratre ſuo Rege Ioanne honorificè ſuſceptum fuiſſe. *VIII. Philippum (imo Balduinum) Flandriæ Comitem apud Rotomagum deueniſſe, vt eius verbis vtar, hominem Ioannis Regis Angliæ feria 6. ante Aſſumptionem B. Mariæ, fratrem verò eius Henricum (imo Philippum) Comitem Namurcenſem, & Petrum Duacenſem militem optimum, atque ipſum quoque electum Cameracenſem Epiſcopum fratrem prædicti Petri (vnde patet Blondellum, alióſque al-*

lucinatos fuisse, qui duos in vnum fratres compingere voluerunt, repugnantibus, vt vides, Rogero & Rigordo, cui verba hîc aliqua deesse non ambigo) captos fuisse à familiaribus Regis Franciæ, eíque traditos. IX. Non solam Franciam ob captionem prædicti Cameracensis à Legato S. R. E. interdicto suppositam, sed etiam Normanniam propter retentionem Philippi Beluacensis Episcopi, & antequam sententia illa relaxaretur, Petrum à Philippo, & Philippum à Ioanne fuisse dimissos, Philippo Beluacensi iurante coram prædicto Cardinale, quod numquam in vita sua arma gereret aduersus Christianos. X. Mense Septembri Ioannam vxorem Raymundi Comitis de S. Ægidio, quondam Siciliæ Reginam obiisse apud Rotomagum, & sepultam inter velatas Fontis ebraldenses. XI. Vvillelmum de Rupibus calliditate magna eripuisse Arturum Dominum suum de custodia Regis Franciæ, & cum Ioanne Rege patruo suo reconciliasse: verùm eundem paullò pòst cum matre sua Constantia, & Vicecomite Toarcensi aliísque relicto Rege Angliæ nocte fugisse, & recepisse se in ciuitatem Andegauorum. XII. Eamdem Constantiam relicto Ranulfo Comite Cestriæ marito suo, nupsisse Guidoni fratri prædicti Vicecomitis Toarcensis. XIII. Philippum nothum Ricardi Regis Angliæ, cui pater suus dederat castellum & honorem de Cuinaco interfeciisse in vindictam patris sui Vicecomitem Lemouicensem. XIV. Decisam fuisse vetustissimam controuersiam, quæ fuerat inter Turonensem, & Dolensem Ecclesias super iure metropolitico, quod à Nomenoij tyranni tempore Dolensis Ecclesia vsurpauerat, iussúmque ab Innocentio Papa, vt Dolensis tamquam suffraganea Ecclesiæ Turonensi metropoli omni exemptione sepositâ subiaceret, atque vt electus Dolensis à Turonensi Archiepiscopo munus consecrationis acciperet. XV. Paucis post Natalem Domini diebus in colloquio inter Andeliacum, & Guaillonium inter Reges conuenisse, vt Ludouicus filius Regis Franciæ duceret in vxorem Blancam siue Candidam filiam Aldefonsi Castellæ, neptem Ioannis Angliæ Regum, ab cóque ob hanc causam missam in Hispaniam fuisse Alienoꝛdem Reginam ad prædictum Alfonsum.

Anno Christi MCC. *Philippi Augusti Francorum Regis Christianissimi* 21. *Petrus de Capua Cardin. Apostolicæ sedis Legatus, vt iam anno superiori monuimus, sententiam interdicti dedit in regnum Franciæ, abiensque præcepit Clero in virtute obedientiæ, vt nulla diuina permitterent celebrari præter baptismata, & pœnitentias: sed Papa Innocentius hanc confirmans sententiam excepit omnes, qui suscepissent aut suscepturi essne Crucem peregrinationis Hierosolymitanæ,*

ſtatuítque, vt ipſis Miſſam audientibus, & ſepulturam Chriſtianorum habentibus, cæteri omnes Miſſâ, & ſepultura Chriſtiana carerent. Rex miſſis frequenter ad ſummum Pontificem nunciis petiit, vt ſententia relaxaretur, ſed nihil impetrare potuit, niſi reuocatâ Ingeburge vxore ſua: quam cum in qualemcumque gratiam recepiſſet, Octauianus Epiſcopus Oſtienſis S. R. E. Legatus die 7. Septembris interdictum ſoluit, conceſſis interim ſex menſium, totidémque hebdomadarum, dierum, horarúmque induciis vſque ad Concilium Antiſtitum Sueſſione anno ſeq. celebrandum, vbi poſt litem acriter diebus quindecim vtrimque agitatam tædio affectus Rex inſalutatis Legatis, aliíſque, qui frequentes conuenerant, diſceſſit cum Ingeburge. Idem Octauianus Petrum de Corbolio, qui litteraturæ ſæcularis & Theologicæ prærogatiua famoſus in Scholarum regimine Pariſiis diu claruerat, & de Cathedra Magiſtrali ad Eccleſiæ Cameracenſis thronum nuper aſſumptus fuerat, tam de aſſenſu Regis, quàm Papæ, Clero licet præter paucos inuito, Senonenſibus præficit. Albericus de Domno-Martino obiit ſepultus apud Gemeticum, ex Chronico MS. eiuſdem Abbatiæ: filius eius Reginaldus Bononiæ Comes contra meritum ſuum, vt loquitur Vuillelmus Armoricus, recipitur in gratiam Philippi Regis. Sanctius Nauarræ Rex audiens damna, quæ Caſtellæ, & Aragoniæ Reges regni ſui prouinciis, quas fermè omnes occupauerant, ex Africâ rediit, & cum illis inducias in tres annos pepigit. *Alienor ex Hiſpania cum Alfonſi filia Blanca Burdegalam reuerſa ibidem Paſchales peregit ferias, cúmque ad eam Marchadeus veniſſet, feria 2. in hebdomada Paſchæ interfectus eſt. Ipſa verò ſenio ac longi itineris labore fatigata tranſtulit ſe ad Abbatiam Fontis Ebraudi, ibíque remanſit: filia autem Regis Caſtellæ, & Elias Archiepiſcopus Burdegalenſis, & cæterì, qui eam comitabantur, venerunt vſque in Normanniam, eámque tradiderunt Ioanni auunculo ſuo. In octauis, non Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ* (vt mendosè exhibent Rogerij Annales, ſed Aſcenſionis Chriſti Domini, vt ex Rigordo, aliíſque, atque adeò ipſis vtrimque ſubſcriptis diplomatibus colligitur) *ambo Reges conuenerunt* 11. *Kalendas Iunij, feria* 2. *inter Vernonem, & inſulam Andeliaci, ſiue inter caſtra Guletunum, & Butauantium, in quo colloquio, cùm Philippus Ioanni ciuitatem Ebroicenſem cum toto Comitatu, omnibúſque caſtellis, quæ occupauerat in Normannia aliíſque terris reddidiſſet, atque inde homo Philippi factus fuiſſet, vniuerſa illa Ludouico eius filio confeſtim tradidit propter coniugium cum Blanca nepte ſua, quæ poſtridie, feria ſcilicet tertia 23. Maij, deſponſata eſt*

apud

apud Purmor in Normannia, (quia tunc totum Franciæ Regnum interdicto ſuppoſitum erat) à prædicto Burdegalenſi Archiepiſcopo præſentibus multis Epiſcopis, Comitibus, ac Baronibus Francis, & à ſponſo ſuo in Franciam deducta. Eodem die apud Vernonem Arturus Dux Britanniæ deuenit homo patrui ſui Ioannis de Britannia, & aliis terris ſuis conſenſu & voluntate Regis Franciæ; in cuius tamen cuſtodia remanſit ab ipſo Ioanne traditus. Robertus Drocenſis Comes frater Philippi Beluacenſis Epiſcopi obiit. In nocte Paſchæ 4. Idus Aprilis combuſta eſt tota Rotomagenſis Eccleſia cum omnibus campanis, libris, & ornamentis, & maxima parte ciuitatis, pluribúſque Eccleſiis. Ioannes Angliæ Rex facto per Heliam Burdegalenſem, Willelmum Pictauenſem, & Henricum Sanctonenſem Antiſtites diuortio cum Hauiſia vxore ſua filia Willelmi Gloceſtriæ Comitis, conſilio Regis Franciæ Philippi domini ſui, duxit in vxorem Iſabellam filiam Aymari Engoliſmenſis Comitis, quæ ante aliquot annos nondum nubilis ab eodem Comite patre ſuo tradita fuerat conſenſu Ricardi Regis Hugoni Bruno Comiti Marchienſi. Eodem anno orta eſt grauis diſſenſio inter ſcholares ciuéſque Pariſienſes occaſione cædis nobilis Clerici Teutonici, vnius de electis in Epiſcopum Leodienſem, perpetratæ à Thoma Præpoſito Pariſienſi, qui è carcere, in quem coniectus fuerat, per fugam euadere cupiens, fracto, cùm per murum demitteretur, fune, ab alto in terram corruens expirauit, vt explicat pluribus Rogerius Houedenus, cuius Annales Anglicani à nobis ſæpiùs anteà laudati vltra ſequentis anni terminos non porriguntur: Ex quo etiam nonnulla decerpemus ad huius anni periocham ſpectantia. I. Paullò ante feſtum ſancti Petri ad Vincula apud Bruneſwicum commiſſo prælio Othonem victorem cepiſſe pluſquam ducentos milites de familia Philippi Sueuiæ Ducis de Imperio decertantis. II. Margaritam Romæ fuiſſe à quodam è famulis ſuis interfectam, cùm priùs operam ſuam triremésque Regi Philippo addixiſſet, vt eum ad Imperium CP. eueheret. III. Conrado Moguntino Archiep. mortuo ſucceſſorem eius, quem à ciuibus electum Philippus recuſauerat, vocatum in vrbem Othonem in Natali Domini Germaniæ Regem coronaſſe. IV. Euſtachium Abbatem Flauiacenſem vnum ex Comitibus Fulconis de Nulliaco relictis Normanniæ partibus in Angliam transfre-

taſſe, vt prædicaret verbum Domini, ibíque benedicto fonte in villa prope Cantuariam, aliíſque locis miracula multa operatum fuiſſe, quorum nonnulla recenſet. V. Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcop. in generali Concilio apud Lundonias plurima ſtatuiſſe decreta. VI. *In vigilia Natiuitatis B. Mariæ relaxatâ interdicti, quod per 30. hebdomadas durauerat, ſententiâ, pulſatis campanis factam fuiſſe lætitiam magnam in populo, atque Agnetem Teutonicam Merauiæ Ducis filiam quam Rex receptâ Ingeburge dimiſerat, peperiſſe filium, qui de patris ſui nomine vocatus eſt Philippus: eiuſdem verò filiam quinquennem Mariam Alexandro filio Willelmi Regis Scotorum fuiſſe deſponſatum.* VII. die Sabbati proximo ante feſtum S. Michaelis 9. Kalend. Octobris Willelmum cognomento Malumuicinum ordinatum fuiſſe in ſacerdotem apud Lugdunum, & ſeq. die conſecratum ab eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopo, per mandatum Innocentij Papæ, Glaſconenſem in Scotia Epiſcopum. VIII. Ioannem duxiſſe in Angliam menſe Octobri Iſabellam Engoliſmenſem ſponſam ſuam, & 8. Idus eiuſdem menſis die Dominicâ cum ea apud Weſtmonaſterium ab Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo fuiſſe coronatam. IX. Obiiſſe 16. Kalend. Decembris feriâ v. Hugonem Epiſcopum Lincolnienſem ſanctitate conſpicuum; die 10. Kalend. eiuſdem menſis, feriâ 4, Ioannem Regem intraſſe Lincolnienſem Eccleſiam, atque extra ciuitatem poſtridie collocutum fuiſſe cum Willelmo Scotorum Rege, qui iurauit ei fidelitatem, *&c.* eodémque die in vrbem delatum fuiſſe corpus prædicti Hugonis, quod Rex ipſe cum Baronibus ſuis portauit vſque ad oſtium Eccleſiæ, & Archiepiſcopi atque Epiſcopi vſque in Chorum, vbi miracula perpetrata. X. Denique paullò ante Natalem Dominicam in Prouincia Eboracenſi apparuiſſe de nocte in cœlo quinque Lunas.

FINIS DVODECIMI SÆCVLI.